EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS.

Pergite, tu, dilecte fili, tuique in scribendo socii, pergite, ut facitis, tam bene de religione mereri, atque operam Nobis vestram summo in Ecclesiam obsequio probare.

(Leo Pontif. XIII).

Fili hominis, pone cor tuum, et... auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.

(Ezechiel. 44. 5).

ANNUS NONUS — VOLUMEN NONUM

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
EL
Alma, California

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA A PACE, PHILIPPI CUGGIANI
In Vico a Pace num. 35.

1895.

41124

Annus IX. N. 1. Ianuar. 1895

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

OMINA.

Humanissimis omnibus Consociatis nostris ubique gentium ac terrarum diffusis, non possumus quin fausta quaeque feliciaque omnia a caelesti Infante adprecemur. Quemadmodum Ipse, uti Ecclesia canit, volens adventu suo mundum recreare, se dedit nobis socium; ita peroptamus ut Eius nativitatis effectuum dignetur Ven. Ephemeridum Lectores participes facere. Hinc ut omnigenis repleti bonis et de rore caeli ac de pinguedine terrae aquas mundi huius traiicere securi valeant, portumque denique arripere ominamur.

DECRETUM

GRANATEN.

Hodiernus Rm̃us Archidiaconus Metropolitanae Granatensis Ecclesiae, de mandato Rm̃i sui Archiepiscopi, sequentia Dubia Sacrae Rituum

Congregationi pro opportuna solutione humiliter subiecit, nimirum:

Dubium I. In Ecclesia Metropolitana Granatensi munere magistri Caeremoniarum fungitur alter ex Beneficiatis eiusdem Ecclesiae, qui utitur habitu chorali tam in Choro quam ad Altare, exposito Sanctissimo Sacramento. Hic habitus, durante hieme, consistit in cappa nigri coloris cum linteolo etiam nigro, collo aptato. A die vero Ascensionis Domini usque ad festum Omnium Sanctorum utitur mozzetta, humerali amiciolo sine cucullo eiusdem coloris.

Quaeritur: num liceat Magistro Caeremoniarum, attenta consuetudine non immemoriali, officium suum cum habitu chorali implere, praesertim ad Altare?

Dubium II. In eadem Ecclesia Lectiones recitantur aut concinuntur in Matutinis hoc ordine: Prima et Secunda primi nocturni, a duobus acolythis de Choro, sive ordinatis, sive non. Tertia autem ab uno beneficiato: Prima vero secundi nocturni ab alio ex beneficiatis: Secunda a canonico iuniore, sed Tertia, a prima Dignitate post Decanum. Demum in tertio nocturno, Prima, a beneficiato, a quo Evangelium canendum est in Missa Conventuali: Secunda a Canonico hebdomadario: Tertia a Decano: diebus tamen quibus induuntur pluvialia in Matutinis, lectio Octava canitur a Decano et Nona ab hebdomadario.

Quaeritur an licite observari queat exposita consuetudo?

Et quatenus Negative, quis ordo et quae dignitas personarum servanda sit in recitatione Lectionum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Servetur Caeremoniale Episcoporum ac detur decretum in *Capuana* diei 10 Aprilis 1876. Ad II. Negative ad primam partem; ad secundam: diebus solemnibus serventur dispositiones Caeremonialis Episcoporum (*Lib. II, cap. V, n. 4 et cap. VI, n. 15*): diebus vero haud solemnibus servetur dignitatis ordo, ita ut Lectiones I Nocturni ab Acolythis; II Nocturni a Beneficiatis; III demum a Canonicis recitentur.

Atque ita rescripsit et declaravit die 14 Decembris 1894.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus*

ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius*.

EXPOSITIO NOVISSIMA

RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(Contin. V. n. 11, a. VIII, pag. 654).

(Contin. Tit. VII. n. 3).

...*Cum commemoratione alterius:* cuius, ob inferioris festi dignitatem, fieri non potuit integrum officium. Sed nota, sicuti duo festa, ita duas Octavas, idem quandoque habere posse obiectu, quandoque, autem idem subiectum, sed diversum obiectum, quandoque idem et obiectum et subiectum. Pro obiecto festi intelligimus illud, quod in mysterio vel Sancto, de quo festum agitur, directe colitur: pro subiecto intelligimus personam, ad quam pertinet festum. Ita obiectum festi in Immac. Conceptione Deiparae est ipsum Conceptionis mysterium quatenus ab originali labe immunis, in festo SSmi Redemptoris obiectum est ipsa humani generis redemptio etc. etc. Subiectum vero est persona, de qua in festo peculiarem aliquam gratiam, vel dotem vel mysterium praedicamus. Itaque, cum duae Octavae ad diversum subiectum pertinent, nulla difficultas in commemoratione agenda, iuxta praesentem Rubricam; sed accidere potest ut eaedem Octavae ad idem subiectum, seu ad eamdem personam pertineant: quo in casu sequentia animadvertenda sunt. Aut est persona Christi, cuius duo si-

mul Octavae occurrunt, aut persona Deiparae, cum duae eiusdem Sancti Octavae simul occurrentes vix dari possint. In prima hypothesi fit semper alterius Octavae commemoratio, quoties diversum sit festorum obiectum: secus omittitur. In altera autem hypothesi, sive idem sit, sive non, obiectum, dum alterius Octavae fit officium, nunquam de altera fit commemoratio. Equidem haud facile est semper de identitate obiecti in Octavis, uti in festis Domini iudicium ferre; nihilominus, si nihil ex Decretis decisum habeatur, uti de Cruce habetur, de Passione, de Sacramento Eucharistiae, de SSm̃o Corde, ex officii partibus et finali causa festorum arguendum erit, quo melius fieri possit, vel S. R. C. consulenda.

(194) *De die autem octava cuiuscumque festi fit totum officium duplex.* Festum habens Octavam absolvitur cum ultimo die, qui est octavus; hinc, licet alii infra Octavam dies semiduplici ritu recolantur, ultimus nihilominus recolitur iuxta ritum Romanum ritu duplici, ut complementum festi difficilius impediatur. Hinc, quamvis dies octava duplicis sit ritus, privilegio tamen ampliori gaudet omnia alia duplicia excludendi, sive minora, sive maiora, ut suo loco exponetur.

... *cum commemoratione diei infra aliam Octavam,* uti dixit superius in hoc num. 3 alia Rubrica agens de duplicibus translatis, cum qua praesens perfecte convenit. De festis autem occurrentibus in die octava nihil hic dicendum, quod ad aliam praesens Rubrica remittat, in qua agitur de Translatione Festorum.

TEXTUS.

N. 4.

Officium de Octava (195) fit cum tribus Nocturnis, (196) novem scilicet psalmis et novem lectionibus (197), (exceptis Octavis Paschae et Pentecostes, in quibus fit cum uno nocturno (198), ut suis locis ponitur), et omnia dicuntur sicut in die festi (199), praeter lectiones: quarum primae tres semper sunt de scriptura occurrente in officio de tempore (200), praeterquam infra Octavam Assumptionis Beatae Mariae, in qua singulis diebus positae sunt Lectiones propriae de Canticis Canticorum (201): aliae lectiones secundi et tertii Nocturni dicuntur quae infra Octavam positae sunt (202). Infra Octavam vero Patroni, vel Titularis Ecclesiae aut alterius Festi, quod in aliquibus Ecclesiis consuevit cum Octava celebrari (203), si apud illas Ecclesias non habentur propriae et approbatae (204) Lectiones pro secundo et tertio Nocturno, infra Octavam repetantur Lectiones positae in Communi Sanctorum, (205) si de Sanctis fiat Octava, alioquin Lectiones diei festi (206).

(195) *Officium de Octava,* nempe seu de diebus infra octavam, seu de octava die, cum quae sequuntur, ad utrosque dies applicari possint et debeant, uti patebit.

(196) *Fit cum tribus nocturnis,* uti in festis semiduplicibus fieri solet, ad quae pertinent dies infra

octavam, et a fortiori in duplicibus, ad quae dies octava pertinet, sicut alibi dictum est. Est enim haec dies solemnior quam reliqui infra octavam, utpote complementum festi, hinc semiduplicis illi, haec vero duplicis minoris est ritus, iuxta morem romanum; licet apud quasdam Ecclesias octavam diem consueverit celebrari ritu solemniori in aliquibus praestantioribus festis (*Guyet, Lib. II, cap. XIII, q. 3*), et inferiori in aliquibus minus solemnibus. Hinc praesens Rubrica exigit, ut trium nocturnorum officium in octavis recitetur, quod trium nocturnorum officium, uti optime supercitatus auctor advertit, sit quasi nota et character maioris solemnitatis, qua utique discernuntur festivi dies a feriatis (*Lib. II, cap. XX, q. 2*).

(197) *et novem lectionibus*, cum unicuique nocturno tres lectiones respondere debeant, uti antiquitus factum fuisse constat: unde in Ordine quodam Romano veteri, e codice manu exarato Sangallensis Monasterii, notat Meratus, habetur: " Qui voluerint novem lectiones facere, novem psalmos decantent (*Sect. V. c. 12, n. II*) „.

(198) *exceptis octavis Paschae et Pentecostes, in quibus fit cum uno Nocturno......* Ex superius dictis inferri non potest officium octavarum Paschae et Pentecostes eiusdem esse quasi iuris ac officium simplex, quod unum tantum hae habeant nocturnum et tres lectiones, longe enim aliae sunt rationes. Praeter mysticas quas plures auctores recensent et perstringit Gavantus (*Sect. 6, cap. 14*) naturalem rationem assignat Guyetus, nempe fatigationem ex prolixiori praecedentium dierum officio, et functionem peculiarem pro Neophytis persolvendam. Addit praeterea potiorem rationem maximae laetitiae redundantisque animi sensus: qui non potuit ab Ecclesia melius quam pau-

citate verborum, longiorisque sermonis coarctatione exprimi, iuxta illud Augustini *serm. 1 de hac solemnitate*: " Non queo, fratres charissimi, quod mente concipio, ore proferre, et cordis mei laetitiam lingua non explicat (*Lib. III, c. XX, q. 1*) „.

Utriusque autem octavae, non solum Paschae, sed etiam Pentecostes, graviora antiquitatis testimonia ferunt, semper fuisse cum uno nocturno celebratas, uti Rabanus Maurus *Lib. II. De Institutione Clericor.*, Rupertus *De divin. offic. lib. 10, cap. 2,* et alia, quod videre est apud Guyetum *loc. cit.* Adeo ut errasse videantur Amalarius et Honorius, dicentes, antiquitus hoc officium ex romano usu novem fuisse lectionum (V. *Guyet, loc. sup. cit.*).

(199)... *et omnia dicuntur sicut in die festi....* cuius, uti iam diximus, dies infra octavam sunt continuatio, et octava dies complementum. Hinc idem Invitatorium, iidem prorsus psalmi, eaedem antiphonae in toto officii utriusque decursu, etc. Eadem quoque habetur Oratio: quae tamen lex patitur exceptionem, in octavis Paschatis et Pentecostes, in die octava Epiphaniae. S. Stephani et S. Laurentii, in quibus diversa Oratione utimur.

(200)... *praeter lectiones: quarum primae tres semper sunt de Scriptura occurrente in officio de tempore...* Rubricalis huiusce dispositionis ratio est, ut quantum fieri possit, lectiones de Scriptura occurrente non omittantur. Cum autem ratione peculiaris solemnitatis omitti debeant, vi alterius Rubricae, in duplicibus I et II classis, atque etiam in duplicibus maioribus, imo quandoque etiam in duplicibus minoribus, et semiduplicibus, uti ex. gr. pro S. Ioseph a Copertino, et pro festo Stigmatum S. Francisci atque pro S. Elisabeth Portugal. Reg.: hinc sapienter Rubrica praesens disponit,

lectiones de Scriptura occurrente tam infra octavas, quam diebus octavis non omittendas, sed legendas esse. Namque praecipua festi solemnitas die suo iam celebrata fuit: aliunde, si toto octavarum tempore lectiones de Scriptura omittendae essent, id nimis cederet in illius damnum, quod non est in Ecclesiae votis. Unde vero lectiones primi nocturni sint sumendae, quando non habeantur de Scriptura occurrente in officio de tempore, dicetur in expositione num. 9 Tit. XXVI, ubi expresse de illis agendum erit.

(201)... *praeterquam infra octavam Assumptionis Beatae Mariae, in qua singulis diebus positae sunt lectiones propriae de Canticis Canticorum.* Exceptio haec est potius privilegium huius solemnitatis. Cantica namque canticorum Scripturam constituunt, quodammodo occurrentem, cuius lectio haberet locum mense Augusto, quo nempe in Breviario ponuntur Libri Sapientiales, quos constituunt: Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus. At tertius ex recensitis libris in Breviario de tempore omittitur hac certo de causa, ut nempe in festo et per octavam Assumptionis Deiparae legatur. Tempore enim S. Pii V, tota Assumptionis octava libera erat si excipias diem octavam S. Laurentii, ideoque, uti tempus aptius pro lectione Cantici, cuius liber brevis est, elegit Ecclesia octavam huius solemnitatis B. M. V.

(202) *Aliae lectiones secundi et tertii nocturni dicuntur quae infra octavam positae sunt...*, si tamen habeantur: quid vero agendum quando eiusmodi lectiones propriae, seu pro diebus infra octavam, seu pro diebus octavis non habeantur, exponemus num. 9 Tit. XXVI.

(203) *Infra octavam vero Patroni vel Titularis etc.* De his octavis, nempe quae, sicut habetur in Rubrica 6 post Tabellam Occurrentiae, *non sunt in Ca-*

lendario Breviarii Romani, nihil dicitur in Breviario ipso; ideo quod in hoc loco Rubrica docet lectiones in 2. et 3. nocturno legendas infra octavas Patroni et Titularis, atque *alterius festi quod in aliquibus Ecclesiis consuevit cum octava celebrari.* Bene hic omittitur octava dedicationis, pro qua in fine Breviarii habentur lectiones propriae pro unoquoque die.

(204)... *si apud illus Ecclesias non habentur propriae et approbatae.* Multis enim pro dioecesibus, aut Regularium congregationibus concessae sunt et adprobatae lectiones propriae pro diebus infra octavam quamplurium Sanctorum. Quae concessio et adprobatio, post bullam S. Pii V *Quod a nobis,* reservata est Apostolicae Sedi, quae per S. R. C., sicut alia nova officia, adprobat huiusmodi lectiones, prout egit pro octava S. Ambrosii in ecclesiis Mediolanensibus romani ritus, die 8 aprilis 1886.

(205) *Lectiones pro II et III Nocturno infra octavam repetantur lectiones positae in Communi Sanctorum.* Est namque mens Ecclesiae, ut pro posse lectiones eaedem non repetantur, nisi in casu necessitatis; porro hic praescribit Rubrica ut infra octavas Sanctorum, sumantur lectiones de Communi Sanctorum;

Nihilominus S. R. C. die 19 Februarii 1622 adprobavit *Octavarium Romanum* a. cl. Gavanto elaboratum a Card. Bellarmino laudatum, ita ut, qui illud possidet, bene potest infra octavam sui Titularis, lectiones legere prout in dicto Octavario adnotantur. Immo eadem S. R. C. die 29 Novembris 1856 Septempedano Episcopo proposuit ut pro sua dioecesi lectiones 2ⁱ et 3ⁱ nocturni infra octavas Titularis sumeret ex laudati Gavanti Octavario.

In praxi ergo, infra octavam proprii Titularis, lectiones 1 Nocturni, uti dictum est, sumuntur de Scri-

ptura occurrenti; quod si occurrat vel Feria II. Rogationum, vel Quatuor Temporum, in quibus desunt lectiones Scripturae, tunc sumuntur e Communi, primo loco vel secundo loco uti dicitur in citato Tit. XXVI n. 9. Lectiones vero II[i] Nocturni, si habeatur Octavarium, ex eo sumuntur, continet enim lectiones pro festis universalibus quae alicubi cum octava celebrari possunt, et pro unoquoque Communi Sanctorum; si non habeatur Octavarium, lectiones diei festi repetendae sunt, si hoc festum non habeat Commune; quod si Commune habeat, nempe si Titularis sit ex. gr. Sanctus Martyr, in die festo leguntur lectiones propriae, deinde prima die infra octavam, qua fit de Octava, de Communi 1° loco; secunda die de Communi 2° loco et sic alternatim usque ad diem Octavam.

Circa vero lectiones III Nocturni distinguendum est; vel Evangelium quod legitur in Missa Titularis est de aliquo Communi, et tunc in Octavario repeririuntur pro unaquaque die lectiones diversas super eodem Evangelio; si autem Evangelium non sit de Communi tunc haec docet Gavantus in III notamine in Rubricis sui Octavarii. « Quod si in III Nocturno „ Communes non deserviant aliquibus festis, quae vi- „ delicet proprium habent Evangelium, eo casu, post „ diem festum (in quo legi debet proprium Evange- „ lium cum sua homilia) in sequentibus diebus infra „ octavam lege Evangelium in Missa et Officio vel „ primum, vel aliud congruentius de Communi, cum „ suis homiliis, ut fit infra octavam SS. Petri et Pauli. „ In die vero Octava legatur in III Nocturno ut in „ die festo, si propriis caret, seu communibus lectio- „ nibus in Evangelium diei festi, nisi aliud notetur „. In casu tandem quo non habeatur Octavarium, in III Nocturno semper repetendae erunt lectiones diei

festi, ita A Carpo (*p. 2. n. 192*). Nota tamen quod si in Breviario Romano habeantur plures lectiones in idem Evangelium, uti ex. gr. Evangelium *Vos estis sal terrae* pro doctoribus; *simile est... decem virginibus*, in Communi et in festo S. Caeciliae; *Ecce nos reliquimus omnia* in communi Apostolorum et Abbatum, etc. tunc nobis videtur tuto doceri posse pro lubito in casu lectiones illas alternatim sumere infra octavam Titularis, ob eamdem rationem quae dicta est pro lectionibus II nocturni.

(206) *Si de Sanctis fiat Octava, alioquin lectiones diei festi*, quia si de Sanctis agitur octava, pro iis adsunt Communia, quo recurri potest in casu: si autem non agatur de Sanctis, quia ex. gr. Titularis est Angelus, aut B. Maria Virgo, aut Ss. Trinitas, vel Transfiguratio, vel Ss. Cor D. N. I. C., tunc ad Commune recurri non potest, ideoque Rubrica hic distinguit, uti apparet, et concludit proinde *alioquin lectiones diei festi* prout supra dictum est.

(Continuabitur.) Doct. Petrus Piacenza.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. num. ult. praec. anni pag. 708*)

Quaeres 5. Quonam habitu induti esse debeant defunctorum officium recitantes vel decantantes in choro?

Resp. Omnes et singuli habitu chorali utuntur cum officium defunctorum recitant; officium vero fa-

ciens stolam nigram quoque potest adhibere. Quod si ratio solemnitatis id postulet, solus officium faciens etiam pluviale eiusdem coloris induit iuxta Caeremoniale Episcoporum (*Lib. II, cap. 10, n. 10*), et Decreta (*Faventina 12 Aug. 1854 ad V*).

§ 3.

DE MISSA EXEQUIALI.

Dico 1. Missa exequialis in die obitus, quantum fieri potest, omittenda non est. Patet 1. ex Rituali Romano, quod pluries exigit, ut Missa praesente corpore defuncti celebretur. 2. Ex pia Ecclesiae intentione, quae non intendit defunctos hoc praecipuo suffragii modo privare, ut quantocius requiem et lucem aeternam acquirant.

Nihilominus, *quantum fieri potest,* diximus, ut casus necessitatis excludatur: quem potest inducere, vel ratio loci, aut temporis mortis, vel solemnitas Ecclesiae, vel talis defuncti haeredumve paupertas, ut nequeant pro illa expensas solvere.

Dico 2. Solemnitates maximae Missam exequialem impediunt. Probatur 1. ex Rituali Romano, quod Missam hanc praecipiens, addit tamen: nisi magna diei solemnitas obstet. 2. Ex Sacro Rituum Tribunali, quod eamdem Missam in solemnioribus diebus pariter inhibet eidem legi Ritualis inhaerens. 3. Ex ratione, cum nequaquam conveniat, ut solemnitates maiores Ecclesiae, quae ingenti cum laetitia recoluntur, ab exequiali Missa deturbentur.

Quaeres 1. Quaenam sint solemnitates maximae Missam exequialem impedientes?

Resp. Sunt tantum 1. omnia festa duplicia primae classis, quae cum feriatione, aut ius ad illam, in universa Ecclesia recoluntur, quibus, ob maximam celebritatem addendum quoque est triduum maioris hebdomadae, nec non dies in quibus ob publicam gravemque causam solemniter expositum est in Ecclesia SS. Eucharistiae Sacramentum. 2. Insuper tria localia festa maxima, nempe Patroni praecipui loci, quod etiam celebrandum est cum feriatione, Dedicationis Ecclesiae propriae anniversarium, nec non Ecclesiae propriae Titularis, licet sine feriatione recolantur. 3. Iis vero in locis, ubi festa maxima in Dominicam sequentem transferuntur quoad solemnitatem, dies quoque dominici, in quos solemnitas recolenda transfertur, dummodo eam recolat populus. Quae singula ex S. R. Congñis dispositionibus satis superque nota sunt.

Quaeres 2. Utrum Missa exequialis esse debeat in cantu, ut diebus non exceptis semper permissa sit?

Resp. Affirmative, sive cum ministris, sive sine ministris dicatur: quod si private fiat, nullo generaliter privilegio fruitur, et nonnisi semiduplici vel inferiori occurrente ritu celebrari potest. Dictum est autem *generaliter*, ut unicus excludatur casus pauperis defuncti, qui pro Missa quidem privata, haud vero cum cantu, solvere valet expensas. Tunc S. R. C. permittit ut etiam Missa lecta privilegiis fruatur cantatae, ut omnibus diebus non exceptis celebrari possit.

Nota. Si nihilominus unus tantum esset alicui Paroeciae Sacerdos, qui conventualem aut parochialem Missam teneretur facere, uti accidit in Dominicis festisque diebus, atque etiam diebus S. Marci, Rogationum, et in vigilia Pentecostes, Missam exequialem facere non posset, ita S. R. C. disponente; illa quippe isti praevalet.

Quaeres 3. Utrum pro Missa exequiali diebus non impeditis semper requiratur praesentia cadaveris?

Resp. Negative; si enim accidat ex aliqua graviori causa, uti esset morbus contagiosus, vel civile vetitum, ut cadaver esse praesens nequeat, imo etsi iam terrae mandatum pridie, Missa exequialis cani quoque licite potest, eadem ferme ratione ac si physice praesens esset (*Decr. S. R. C. 13 Febr. 1892*). Ratio fortasse est, quia cum haec sit prima, quae dicitur ab obitu, Missa, et ratio absentiae cadaveris vel sepulturae sit ex necessitate imposita, placuit Ecclesiae, ut suffragio Missae non privaretur defunctus.

Quaeres 4. Qualis esse debeat Missa exequialis?

Resp. Quae secundo loco in Missali inscribitur, cum unica proinde pro defuncto Oratione propria, sive cantetur, sive sine cantu fiat, cum sequentia et reliquis uti in Missali prostant.

Quaeres 5. Utrum plusquam una Missa exequialis cantari valeat pro uno die obitus?

Resp. Missa huiusmodi notis gaudens privilegiis pro die obitus, nonnisi una esse potest et plures non permittuntur, ac in illa tantum ubi cadaver efferendum est Ecclesia (*Tuden. 23 Maii 1846, ad 13*).

Inferes: 1. Missas plures, sive cum cantu sive a fortiori lectas, in casu, celebrari non posse, nisi ritus semiduplex vel inferior eas permittat: quod et pro Ecclesia valet, ubi est cadaver, aut esse deberet, et a fortiori pro aliis. 2. Hic non agi de pluribus Missis, quae iuxta recens Decretum licite celebrari possunt per totum mane in aula episcopali cadaveris expositionis tempore (*Vid. Decr. Gen.* Qui pro Domini, 3 Aprilis 1894).

Nota. Si fieri quandoque debeat Oratio funebris, immediate post Missam habenda est (*Caerem. Episc.*

Lib. I, cap. XXII, n. 6). Concionantis habitus sit talaris ordinarius, sine superpelliceo et stola, quacumque in Ecclesia sermo habeatur: nulla praemissa oratione, sermo incipiat (*Limburgen. 14 Iun. 1845*).

§ 4.

DE ABSOLUTIONE SUPER CADAVERE.

Quaeres 1. Quid sit Absolutio, et quaenam eius origo?

Resp. Nomine Absolutionis hic venit rituum ac caeremoniarum complexus, quae fiunt circa defuncti corpus, ut a poenis quas incurrit vivens absolvatur defunctus. Originem duxit ab antiquissima consuetudine psalmos aliasque pias preces super defunctorum corporibus recitandi antequam sepulturae traderentur, ac de illa agunt Augustinus, Hieronymus, Tertullianus, aliique antiqui.

Quaeres 2. Quomodo haec Absolutio peragenda?

Resp. 1. Celebrans, absoluta Missa, deposito manipulo, et pluviali indutus, una cum Diacono, praecedentibus Subdiacono, medius inter acolythos, cum cruce, post duos clericos, quorum unus thuribulum, alter aquam benedictam ac Rituale gestans, et toto subsequente clero cum cereis accensis, ultimus accedit ad tumulum: quem ita circumdant ut Subdiaconus sistat se ad caput defuncti facie ad altare princeps versa, ad pedes Celebrans, reliquus clerus hinc inde circulum circa tumulum perficiens et claudens. 2. Celebrans legit elata voce orationem *Non intres,* post quam circumstans clerus vel cantores, incipiunt et prosequuntur modulantes *Libera me, Domine,* ut in Ri-

tuali. 3 Post *Kyrie eleison* a Celebrante intonatur *Pater noster*, inde circumiens cadaver aspergit, postea eodem modo thus ei adolet: quibus expletis, resumit: *Et ne nos inducas etc.* et alias canit praescriptas preces, prout Rituale indicat. 4. Absolutione peracta, eodem, quo venerant, ordine, revertuntur in sacrarium.

Quaeres 3. Quomodo defunctus super feretrum collocandus pro Absolutione?

Resp. Rituale Romanum distinguit inter simplicem fidelem et Sacerdotem defunctum: ut ille pedibus sit locandus versus altare maius, iste contra versus Ecclesiae portam. Ratio est, ait Baruffaldus, sacerdotalis dignitas, ex qua etiam facientes Missam faciem ad populum vertunt, dum salutant, et terga altari, quod aliis, etsi sacris ministris, non permittitur; quos enim salutamus, eis faciem praesentamus (*Tit. XXXIV, § 17, n. 148*).

Quaeres 4. Num plures successive pro uno defuncto Absolutiones fieri liceat eadem die, in eadem Ecclesia?

Resp. Negative, iuxta Rituale Romanum, quod ipsamet S. R. C. sic interpretatur (*Tuden. 23 Maii 1846 ad 12*). Excipiuntur ab hac lege Episcopi Ordinarii, et S. R. Ecclesiae Purpurati Patres, a fortiori Summus Pontifex quibus addendi Reges, magni Duces, aut Domini loci, pro quibus lex extat in Pontificali Romano, atque in ipso Caeremoniali Episcoporum.

Inferes: hos praefatos codices, cum aliquas tantum respiciunt personas, quibus generaliter est iurisdictio, non posse favere aliis quibuscumque ibi non nominatis, qui nulla iurisdictione gaudent: ut plures pro iis Absolutiones, nisi indultum suppetat, legi aperte contradicant.

Quaeres 5. A quo Absolutio sit facienda?

Resp. Absolutio, de qua in casu, ab ipso Celebrante facienda est qui decantavit Missam, non vero ab aliis (*Briocen. 12 Aug. 1854 ad 13*), etsi in episcopali dignitate constitutis, nisi Ordinarii quoque sint. Ratio est, quia Absolutio, uti infertur seu ex Rituali seu ex Missali defunctorum, est veluti Missae appendix, quae proinde uti accessarium ad eumdem spectat, qui principale seu Missam celebravit. Episcopus autem Ordinarius, cum iurisdictione gaudeat, alium delegare potest sibi subditum pro Missae celebratione, sibique reservare tantum Absolutionem. Hoc ceterum S. R. C. recenter disponit, quamvis anteriora Decreta aliquid in contrarium disponere fortasse videantur.

Quaeres 6. Num fieri Absolutio post Missam in die obitus ex praecepto debeat?

Resp. 1. Communiter affirmatur, seu ex Rituali, quod ita se exprimit, ut placitum Celebrantis non admittat: seu ex consuetudine, vi cuius in die obitus nunquam Absolutio solet omitti, etsi Missa dici nequeat, aut non sit dicendum defunctorum officium: seu denique ex piae Matris Ecclesiae intentione quae esse videtur, ut Absolutio saltem in die obitus nunquam omittatur.

Quaeres 7. Utrum fieri Absolutio possit post Missam de vivis, aut omnino extra Missam?

Resp. Quamvis Absolutio sit velut Missae appendix, non tamen sequitur post quamcumque Missam fieri posse; est enim funerea functio, quae optime defunctorum Missam sequitur, non tamen Missam vivorum, cum qua nullam relationem dicit. Proinde post eam prohibita dicenda est; sed nihil vetat, quominus extra Missam eadem haberi possit, dummodo tamen Sacerdos eam peragat sine ministris paratis.

Quae ceterum ipsa S. R. C. decrevit *Montispessulani 6 Febr. 1858*).

Quaeres 8. Num tempore Absolutionis a Celebrante et Ministris transeuntibus ante Sacramentum quod asservatur in Tabernaculo, aut toti clero, si fiat elevatio in Missa, genuflectendum sit?

Resp. Negative ad utrumque. Ratio primi asserti est, quia per circulum, quod in Absolutione fit, altare Sacramenti quodammodo absconditur ab oculis totius cleri: ut novum quoddam efformetur templum in ipsa Ecclesia, intra dictos limites, cum novo altari, quod Crux efformat cum candelabris. Hinc et huic altari respectus a Celebrante et Ministris habendus est, non vero Sacramenti, quod ex praefata ratione considerari non debet. Si nihilominus clerus non adesset, aut pauci e clero forent, procul dubio et Celebranti et Ministris de more esset genuflectendum.

Ratio secundi est, quia totus clerus ex una parte in actu adorationis quodammodo manet, Deum exorans et collandans: ex altera vero nimis functio deturbaretur, cum ab altera ad alterius usque elevationis finem genuflexus manere deberet. Hinc, campanula nequaquam pulsanda, ut elevatio significetur; sed etsi ex errore pulsetur, cum actu oret clerus, attendere ad illam non debet.

(*Continuabitur*). FRANCISCUS STELLA P. C. M.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

I.

Ecclesia Collegiata B. quae extra civitatem episcopalem extat, recolit sub ritu duplici primae classis cum octava ex peculiari indulto solemnitatem Sacratissimi Rosarii, et quidem magno cum apparatu atque exteriori pompa, ingentique populi concursu. Dies autem huiusce maximae festivitatis eadem est ac pro universa Ecclesia, videlicet Dominica prima mensis Octobris. Sed vero Titulus Cathedralis Ecclesiae est S. Franciscus Assisiensis, cuius festum die 4 eiusdem mensis agitur, non solum in civitate episcopali, sed et in tota dioecesi sub eodem ritu duplici primae classis cum octava. Anno autem 1891 accidit, ut in eamdem diem incideret utrumque festum, quod in praefata Ecclesia B. gravi locum dedit controversiae. Quidam enim ex Canonicis S. Francisci festum die 4 Oct. recolendum dicebant, sive quia diei mensis affixum, sive quia primarium, sive quia ex Rubricis impositum. Alii vero Solemnitatem SS. Rosarii eadem die peragendam sustinebant, sive ratione dignitatis, sive quia maximae celebritatis, et etiam quia, licet secundarii rationem habeat, relative primaria considerari potest. Istis cessit Calendarii redactor, non sine tamen formidine de opposito, ut sequentia sibi dubia impraesenti enucleanda proposuerit:

1. *In quo praecise (inspecta maxime solutione quaestionis de primariis secundariisque festis) ratio*

primarii et secundarii constitui debeat: et num inter primaria et secundaria festa, alia per se, *alia* per accidens *talia censenda sint?*

2. *Num festum, eo quod affixum diei mensis, alii quia feriae vel Dominicae affixum, ceteris paribus, praeferri debeat?*

3. *Item an festum quia solemnius licet secundarium, alii minus solemni quamvis primario, vel quia ex Rubricis, alii indultivo, ceteris paribus, praeferri debeat, seu Rubricis, seu Decretis perpensis?*

4. *Quid, inspectis omnibus, de casu proposito nunc iudicandum?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Eutichiani Cioci ex Alumnis Pontif. Seminarii Pii, habita in Ecclesia presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam die 22 Nov. 1893: acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Philippum M. Canon. Difava.

I. Inquiritur primo, in quo praecise ratio primarii et secundarii constituenda sit, nunc maxime post percelebris solutionem quaestionis super iisdem primariis et secundariis festis: et num eiusmodi festa, aut primaria aut secundaria, talia censenda sint, vel per se vel per accidens.

Animadvertendum ante omnia, ly primarium uti et secundarium, esse relativum; primarium enim supponit secundarium, istud autem illud. Ut consequenter, si detur festum aliquod primarium, necessario detur vel saltem dari possit et secundarium. Diximus, vel *saltem dari possit;* eo quod plurium Sanctorum festa indubie primaria recoluntur in Ecclesia universali, quorum tamen

relativa festa secundaria in eadem universali Ecclesia non celebrantur. Dari nihilominus possunt, et dantur revera in particularibus Ecclesiis. Ita ex. gr. unum Calendarium romanum notat festum S. Augustini Doctoris Ecclesiae, sed Ordo Eremitarum a praefato Sancto nuncupatorum eiusdem quoque Conversionem, festum secundarium, recolit. Item universalis Ecclesia unum celebrat festum S. Theresiae Virg., sed Ecclesiae plures in Hispania recolunt eiusdem S. Virginis Transverberationem, quod secundarium est festum: atque ita de aliis plurimis, nisi fortasse de omnibus. Haec quidem de Sanctis; si vero de Christo Domino rege, ac de alma Virgine regina Sanctorum loquamur, in aprico est, non solum dari posse, sed dari plura festa, ex quibus quaedam primaria, quaedam vero secundaria nuncupantur.

Praeterea animadvertendum est, ly primarium uti et secundarium, non ad subiectum seu ad personam referri, sed ad id quod festi obiectum constituit, quamvis obiectum istud ad ipsam personam referatur, quae in festo honore habetur et colitur. Obiectum autem festi dupliciter potest considerari, vel quatenus aliquid principale in persona constituit, vel quatenus aliquid minus principale. Illud appellari potest primarium, istud secundarium: consequenter, cum festum ab hoc obiecto suam desumat naturam, facile sequitur, festum, cuius obiectum principale est, esse primarium: festum, cuius obiectum minus principale est, secundarium esse. At nemo non videt, obiectum aliquod festi, vel reapse esse principale, vel uti tali censeri posse, atque idem de minus principali obiecto esse dicendum. Ita ex. gr. conve-

niunt omnes, Sanguinem Christi quid praecipuum certo constituere, in quo abluti ac redempti feliciter fuimus. At conveniendum pariter, obiectum istud, dignissimum licet, posse non censeri praecipuum in illius celebratione festi, sive quia pluries commemoratur, sive quia in aliis festis continetur. Similiter Sancta Crux aliquid principale per se constituit, quippe quae salutis nostrae triumphale signum, per quod salvati et liberati sumus. Sed re penitius considerata, facile patet, posse tamquam minus principale obiectum ex superallato duplici momento censeri. Ex opposito, nihilominus, hoc idem festum, si alicuius Ecclesiae constituat Titulum, nil vetat quominus tamquam praecipuum consideretur, utpote festum quod magna cum solemnitate ex Rubricarum praescripto recolendum est.

Ex quibus, ni fallimur, inferri posse credimus ad duplex quaesitum propositum aequam responsionem. Namque imprimis dici iure potest ac debet, festum primarium semper esse principale, ordine habito ad aliud, quod minus est principale. Ergo ratio primarii cuiuscumque festi in eo consistit quod principale est, proindeque ratio secundarii in hoc quod minus est principale.

Sed videndum modo est, hoc principale in quo constitui debeat ad festa quod attinet: secus, cum quid sit primarium festum inquiramus, ignotumque sit istud principale in quo primarium constituimus, idem erit atque ignotum per ignotum explicare. Itaque, sicut ratio cuiuscumque festi celebrandi est excellentia personae, sub peculiari aliquo respectu considerata; ita quando eiusmodi excellentiae obiectum est praerogativa aliqua, vel

mysterium vel factum maiori consideratione dignum ex intentione Ecclesiae, illud tamquam quid principale habendum erit, festumque primarium constituet, secus constituet festum secundarium.

Sed animadvertendum quoque est, quibusdam Sanctos talibus esse posse praerogativis praeditos, quae maiori consideratione dignae iure merito sint, respectu habito ad quasdam Ecclesias, minori vero, respectu ad alias habito. Ita ex. gr. Exaltatio vel Inventio S. Crucis, quae, ut superius diximus, uti secundarium festum consideratur, peculiari gaudere potest praerogativa Titularis Ecclesiae, ad quam proinde respectu habitu, festum licet secundarium, primarium evadet. Ita e converso dici fortasse potest de Dedicatione Ecclesiae, quippe quae quid principale constituit, respectu habito ad Ecclesiam propriam: non ita vero, respectu habitu ad alias Ecclesias, pro quibus non propria, seu minus propria est, essetque proinde festum secundarium.

His perpensis, facile inferes, festum aliquod esse posse primarium *per se*, videlicet, obiecto festi perpenso, quod est primarium; evadere posse secundarium *per accidens*, si ipsum festi obiectum, quod principale est per se, aliis de causis minus principale censendum veniat. Similiter festum *per se* secundarium, evadere quoque per accidens posse primarium, quando scilicet alia peculiaris ad festum praerogativa accedat, praecipua consideratione dignam.

Considerandum nunc, utrum doctrina, quam tradidimus, certa revera sit, maxime quaestionis authentica solutione inspecta circa festa primaria et secundaria. At non dubitandum esse facile

convenies, si Generale Decretum paulo perpendas, quod circa Catalogum versatur praedictorum festorum, quae uti primaria vel secundaria retinenda sunt. Sane hoc in Catalogo recensita habentur quamplura festa, quorum obiecta principaliora sunt. Ex his autem alia in praecipuis mysteriis consistunt, quae maxima sunt consideratione digna, uti ex duplicibus 1. cl., Nativitas Domini, Epiphania, Resurrectio, Ascensio, Pentecostes, Corpus Christi, Assumptio et Conceptio Imm. Deiparae: ex duplicibus vero 2. classis, Circumcisio Domini, Sancta Trinitas, Purificatio Deiparae, eiusdem Annuntiatio, Visitatio (1) et Nativitas. Alia vero in eventu aliquo consistunt, nisi et ibi mysterium considerare velis, uti, ex duplicibus 1. cl. Nativitas S. Ioannis Baptistae et Natalitia dies uniuscuiusque ex Sanctis Patronis locorum ac Titularibus Ecclesiarum, sicuti et earumdem Ecclesiarum Dedicatio: ex duplicibus vero 2. classis, Dedicatio S. Michaelis Arch. Natalitia dies Apostolorum atque Evangelistarum, S. Stephani protomart. Ss. Innocentium, S. Laurentii, S. Annae, et S. Ioachim: ex duplicibus maioribus, Transfiguratio Domini, trium Romanarum Basilicarum patriarchalium Dedicationes, Festum Angelorum Custodum, Natalitia dies S. Barnabae, S. Benedicti Abb. S. Dominici, S. Francisci, et

(1) Plura ex enumeratis festis mysterium non tantum, sed etiam eventum continent maximae gravitatis; sed peculiariter id notandum de Visitatione Deiparae, in qua non factum solummodo Ecclesia celebrat, sed et maxime eximiam Deiparae caritatem in Elisabeth fratriam suam, et sanctificationem in illius utero Praecursoris Christi.

minus principalium Patronorum: ex duplicibus minoribus vel semiduplicibus, dies natalis uniuscuiusque Sancti: quin recenseamus et alia localia festa, uti Ss. Archangelos Gabrielem et Raphaelem, aliquorum Sanctorum Natalem, sicuti Commemorationem Sanctorum, quorum asservantu.ı Reliquiae in relativis Ecclesiis.

Alia autem festa sunt, quae vel in mysterio vel eventu consistunt minus principali, uti singula festa, seu Domini, seu Deiparae, seu Angelorum, seu Sanctorum, quae in praefato Catalogo enumerantur. Cum vero, si haec festa cum aliis superius enumeratis comparentur, unicuique palam fiat, minoris esse gravitatis; consequens est, seu mysterii seu eventus ratione perpensa, ex quo constituuntur, ut concludi iure debeat, primarii festi rationem in graviori mysterio vel eventu consistere, secundarii vero pariter in mysterio vel eventu, cuius satis minor sit gravitas: quod erat probandum.

Sed diximus quoque, festum tam primarium quam secundarium, eiusmodi esse posse *per se*, vel *per accidens*, quod et probandum est. At negotium nullum videtur, namque in dicto Catalogo quaedam non desunt festa, quae, si a ritu abstrahas, qui in primarii vel secundarii rationem nihil influit, eadem omnino vel propemodum sunt, et nihilominus, ex illis alterum primarium, alterum secundarium est. Se nobis primo libenter exhibet festum Decollationis S. Ioannis Baptistae, quod indubie dies eius natalitia (1) est: nonne

(1) Nos quidem non latet, diem 29 mensis Augusti, haud natalem esse, sed quasi-natalem S. Praecursoris, qui circa festum

ergo et primarium, *per se* saltem? Namque dies natalis eadem est pro omnibus Sanctis; si ergo pro aliis festum primarium talis dies constituit, idem primarium festum constituere etiam debet pro S. Ioanne: ut proinde *per se* toto iure primarium dici possit et debeat. Et nihilominus, iuxta Catalogum, secundarium est: quare autem? Quia veluti principium statutum est, ut nullus ex Sanctis, Christo eiusque Matre exceptis, praeter unum, aliud festum primarium habeat. Cum autem Sanctus Ioannes Bapt. festo Nativitatis primario ex antiquissimo instituto gaudeat, eius Decollatio, hoc est martyrium, seu quod idem est, dies eius natalis, secundarium est festum. Ergo festum, quod erat *per se* primarium, *per accidens* factum est sedarium. E converso Catalogus recenset inter secuncundaria festa SS. Mariae Nomen; at non desunt, ut in Urbe, ita alibi, Ecclesiae, quae idem festum, sed primarium, recolunt, quia Tituli praerogativa gaudet. Festum ergo *per se* secundarium, *per accidens* quodammodo evadit primarium: quod et probandum erat.

II. Quaeritur secundo, num festum diei mensis affixum, ceteris paribus, alteri praevaleat, feriae affixo vel Dominicae.

Respondemus affirmative, seu ratione liturgica seu S. R. Congñis Decretis inspectis. Sane, si Liturgiam consulamus, ab antiquissima Ecclesiarum

---

Paschae martyrium suum fecit, et cuius hac die festum colitur, quo ipsius dicitur caput inventum; sed in praesenti materia dies natalitia, quasi-natalitia, imo et assignata, nec non translata, pro una eademque sumuntur, cum festum eiusmodi die assignatum sit ex generalissima lege primarium, uti palam Decretum edicit.

omnium consuetudine accipimus, festa communia affixa fuisse semper diebus alicuius mensis. Ratio est, quia Sanctorum festa celebrabantur diebus, quibus e corporis servitute soluti aeternam ingrediebantur vitam. Hoc autem computari solemne semper habitum est, non a feria vel Dominica, sed a mensis die, ut anniversaria illorum mors pretiosa singulis annis recoli posset. Constat id maxime ex Catalogo Philocaliano, et ex Martyrologio, Hieronymiano dicto. Ille ita appellatus fuit, quia editio eius ultima a Furio Dionysio Philocalo perfecta fuit, qui celebris erat callygraphus Damasi Papae, et ad saeculum quartum ascendit (an. 354): quamvis calendaria, quae continet, paulo antiquiora sint (an. circiter 336). Hoc documentum quod cl. Archaeologus De Rossi nuncupat *antiquum feriale Ecclesiae Romanae*, praeter alia, quae ad rem nostram nequaquam pertinent, festa recenset Depositionum Episcoporum et Depositionum Martyrum, solaque fixa continet festa, haud vero mobilia, quae in Urbe recolebantur et alibi sub Pontifice Melchiade. Istud autem, nempe Martyrologium Hieronymianum, inter octavum saeculum et nonum satis commune, veluti miscellanea reputatur Martyrologiorum antiquiorum, quibus variae utebantur Ecclesiae; sed citra controversiam continet vetustius Martyrologium Romanae Ecclesiae, e duobus codicibus transcriptum, cum manifestis indiciis adnotationum eiusdem temporis ac Bonifacius primus, Melchiades, atque ipse Anterotus (236). Porro in utroque codice ex omnibus et singulis festis depositionum, seu Episcoporum, seu Martyrum, ne unum quidem Dominicae vel feriae legitur affixum, sed

universa aut calendis, aut nonis aut idibus mensis sunt affixa. Quinimo ipsa aetate Pii Papae V vix aliquod extabat exemplum festorum, quae affixa non essent diei mensis, uti ex Calendario, primis sub dicto Pontifice editionibus cusis praemisso, satis abunde patet. Eapropter inferendum certo est, festa feriis affixa vel Dominicis ad instar festorum mobilium, quae de mysteriis Domini consuetudo antiquissima adhuc retinet, ut Dominicis vel feriis toto iure celebrentur, recentissimi esse instituti. Non itaque praesumendum, hanc fuisse mentem Ecclesiae, ut per huiusmodi festa, quae ad instar mobilium sunt, laedere voluerit iura aliorum festorum, quae diebus mensis iam erant affixa, ut merito fixa nuncupentur. Quinimo oppositum facile constabit, videlicet minoris ea iudicata fuisse gravitatis, atque ideo ad instar mobilium concessa, non autem fixa, si paulisper velimus perpendere Decreta, quae eiusmodi festa respiciunt. Namque, si perpauca excipias, quae ad universam pertinent Ecclesiam, vel ad aliquem Statum, festa ad instar mobilium ea conditione fuere concessa, ut si die propria impediantur, transferri non debeant, sed penitus omitti. Haec Decreta referre praetermittimus, cum satis nota sint Liturgicae disciplinae cultoribus, sed in authentica Collectione ea legere nullius momenti negotium est. Praeterea, recentius Decretum super primariis et secundariis festis, id ipsum evincit. Ex una enim parte indubie nunc constat, festa secundaria non esse, in paritate ritus, praeferenda primariis: ex alia vero, factum ostendit, fere omnia festa ad instar mobilium, secundaria esse. Ergo patet, caeteris paribus, festa ad instar mobilium

inferioris esse conditionis, quam alia, quae fixa sunt. Consequenter ratio postulat, ut festum ad instar mobilis, nullo pacto praeferatur alii fixo, si ambo in eamdem diem incidant.

S. R. C. affirmativum, quod exhibuimus, responsum plane confirmat. Namque Decretum extat in *Senen.* d. d. 22 Iul. 1848 ad 1, statuens, in occurrentia duorum festorum, quorum alterum diei mensis est affixum, alterum mobile, hoc est ad instar festi mobilis, *praeferendum officium diei mensis.* Equidem hoc Decretum duo respicit festa Virginis Deiparae; sed non adest ratio, cur principium applicari non debeat cuicumque aliii festo. attentis quae superius exposuimus.

III. Tertio inquiritur, utrum festum secundarium, sed solemnius, praeferri debeat primario, sed minus solemni. Item, utrum festum praeceptivum praeferendum sit indultivo, ceteris tamen paribus, vi seu Rubricarum seu Decretorum. Ad primam quod attinet quaesiti partem, respondendum negative ex sequenti ratione. Solemnitas in festis liturgicis alia intrinseca est, alia extrinseca: illa aut ritum respicit, aut primarii qualitatem, aut dignitatem personae, de qua festum agitur: ista vero nonnisi pompam respicit, exteriorem apparatum, concursum populi etc. Porro intrinsecam solemnitatem extrinsecae praestare nemo non novit: ut si ex duobus festis alterum intrinseca, extrinseca alterum solemnitate utcumque sit praeditum, illud huic praeferri certo debeat. Quod intelligendum est seu de ritu, seu de qualitate primarii, seu de personae dignitate, etiam divise acceptis: ut proinde ritus potior inferiori praevaleat, qualitas primarii in paritate ritus secun-

darii qualitati, iisque paribus, dignitas maior minori dignitati praeferatur, quacumque extrinseca solemnitate neglecta. De potiori ritu super inferiori perspicuae sunt Rubricae, atque ita patentes, ut nemo valeat contradicere. De qualitate primarii super qualitate secundarii, Rubricas interpretatur authentice Generale Decretum *Iamdudum* d.d. 27 Iun. 1893, atque a Leone Pontifice XIII confirmatum die 2 Iul. eodem anno. De dignitate autem potiori praeferenda in conflictu cum inferiori, reliquis paribus, tam Rubricae quam Decreta plane manifesta sunt, uti legenti facile patebit. Ergo festum solemnius secundarium nullo pacto solemniori primario praeferendum est, sed plane verum est oppositum.

Ad alteram quod spectat partem, praenotandum, illa appellari festa praeceptiva, quae Rubricae recolenda praescribunt: illa vero indultiva esse, quae, sive quoad celebrationem, sive quoad ritum, non ex Rubricarum praecepto sed ex peculiari concessione recoluntur, quamvis eiusmodi festa semel concessa, de facto sint ex praecepto celebranda. His praenotatis, respondendum est, festa praeceptiva aliis quibuscumque indultivis, reliquis paribus, praeferri debent. Quod licet explicite Decreta non doceant, innuunt tamen implicite: ut cl. Gardellinius adnotans Decretum *Orbis* d. d. 31 Mart. 1821 iure merito concluserit: « ut tam in occurrentia, quam in concurrentia cum festis aequalis ritus, secundaria primariis, *facultativa praeceptivis* cedere deberent. » Hoc autem iisdem Rubricis maxime conforme est: quae apertius innuunt, Dedicationem et Titulum propriae Ecclesiae, uti et Patronum loci praecipuum, aliis

quibuscumque festis, nisi solemniora sint in universa Ecclesia, nunquam cedere, etsi sub eodem ritu recolantur, quod et S. R. C. abunde confirmat. Ergo festum praeceptivum facultativo, ceteris paribus, praeferendum est.

IV. Quaeritur denique, quid iudicandum, omnibus perpensis, de casu proposito.

Hucusque expositis attente consideratis, sequitur: 1. Festum S. Francisci Assisiensis, utpote Ecclesiae Cathedralis Titulum, quae non solum pro Clero civitatis, sed totius quoque Dioecesis est propria, potius esse quam festum SSmi Rosarii, quod, ritu inspecto, est indultivum. 2. Esse illud primarium, istud vero secundarium: consequenter dignitatem personae vim habere non posse, ut istud secundarium illi primario praevaleat. 3. Maximam solemnitatem extrinsecam, qua Rosarii festum celebratum est, sufficiens non esse motivum, sicuti neque dignitatem ipsam, ut tamquam primarium, esto relative, considerari valeat. Hinc rationabilem fuisse tenendum est, formidinem de opposito, qua angebatur Calendarii redactor, dum cessit sustinentibus faciendum esse de solemnitate SSmi Rosarii prae Titulo Ecclesiae propriae. Revera namque, et dubio procul, hi in errore versati sunt, ut faciendum in casu fuisset de S. Francisco, quia hoc festum erat Titulare et praeceptivum, affixum diei mensis, primarium, et maximae solemnitatis intrinsecae: alterum e contra erat indultivum, diei dominico affixum, secundarium, et solemnitatis maximae quidem sed extrinsecae. Ergo alteri praevalere non poterat, ut neque haec solemnitas consideranda esset in casu, neque intrinseca dignitas, sed utraque negligenda.

MANUALE NOVISSIMUM

PRO VISITANDIS ECCLESIIS
A VICARIIS EPISCOPALIBUS ET FORANEIS

(*Contin. V. n. 7. vol. VII, pag. 409*).

100. Candelabra et candelae. Rubrica Missalis, praeter Crucem, duo candelabra exigit super altare, cum candelis accensis tempore Missae: " candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque eius latere (*Rit. celebr. Tit. XX*). „ Quapropter usus infigendi duos asses ferreos in extremitate graduum altaris, ut in illis candelae ponantur pro candelabris, aut etiam haec collocandi extra altare, neque Rubricae respondet, neque Decreto in *Cameracen.* diei 16 Sept. 1865 ad 1. Non autem convenit ut super ipsa collocentur mensa, optime nihilominus super dicta mensa locari potest tabula vel marmorea vel lignea, quae longitudinem eiusdem mensae, iuxta vel subtus gradus altaris, percurrat, ut super ea candelabra consistant, uti plurium fert Ecclesiarum usus.

Iuxta Caeremoniale Episcoporum candelabra in altari ponenda non sunt omnino inter se aequalia (*Lib. I, cap. 12, n. 11*), sed ita ut eorum altitudo paulatim exurgat, altioraque sint quae proximius cruci sunt posita. Quod tamen, aequalibus etiam extantibus candelabris, aeque obtineri potest per diversitatem altitudinis candelarum. Contraria nihilominus inducta consuetudo retineri potest (*S. R. C. in Briocen. 21 Iul. 1855 ad 9.*

Candelabrorum numerus in altari principe sex esse debet iuxta citatum codicem; sed in altaribus minoribus quatuor sufficiunt ex consuetudine.

E latere Epistolae aliud candelabrum vel quid aliud brachialis instar parieti appensum, collocandum est ut tertius cereus accendatur pro Missae elevatione vi Rubricae Missalis (*Rubr. Gen. Tit. XX*), quae tamen pluribus in locis in desuetudinem abiit, ut usus contrarius servari possit (*Urgellen. 30 Dec. 1881 ad 11*). Candelabrorum materia esse potest vel argentea, vel ex aurichalco, vel ex cupro, aut ex ligno, deaurata tamen, aut decens saltem, prouti Ecclesiarum facultates sinunt, et relativa festorum solemnitas.

Haec omnia Visitator observet, atque insuper inquirat, num dictis candelabris utatur Ecclesiae Rector circa tumulum pro absolutione erigendum, quod Rituale prohibet (*Tit. VI, cap. 1, n. 6*).

Neque toleret, ut praefata candelabra serico aut alio panno cooperiantur, sive ne pulvere sordescant, sive ob temporis moestitiam, dum exponuntur; cum id quoque ex S. R. Congñe sit prohibitum (*Molinen. 12 Sept. 1877 ad XI*).

Visitator praeterea observet, num candelae altaris, quae adhibentur, sint ex cera, uti lex praecipit, an potius ex materia prohibita, uti ex saevo, cuius usus S. R. C. haud obstante paupertate, exigit ut eliminetur ab altaribus (*Carolinopolitana, 10 Dec. 1857*): aut etiam ex stearina vel alia materia, quae non sit cera, etsi purificata, quas pariter S. R. Tribunal vetat (*Brionen. 25 Sept. 1875 ad 3*). Quamvis autem optandum, ut cera ex apibus in Ecclesiis adhibeatur ob mysticas plures significationes; nihilominus praesentium temporum tristitia inspecta, ea quae venumdatur cera, licet materiam ex apibus in minima quan-

titate contineat, permissa est nihilominus, vel indubie tolerata, ut prudenti indulgentia Visitatori opus sit.

101. Imago. Quodvis altare debet habere aliquam sacram imaginem, quae Sanctum vel Mysterium repraesentet, in cuius honorem Deo dicatum vel benedictum fuit altare. In hoc tamen distinguendum est inter altare *fixum* et *portatile*, prout iam supra cum de altaribus egimus docuimus. Imago enim altaris fixi, eo quod istud consecratum sit *in honorem Dei Omnipotentis et ad nomen et memoriam Sancti* N. N., sicut habet formula consecrationis in Pontificale, nequit inde amoveri, nam Sanctus cuius imago in altari fixo collocatur vere *titulus* ipsius altaris est. Et S. R. C. (*die 27 Aug. 1836 Congr. Miss.*) cuidam Alexandri VII constitutioni inhaerens, mandavit imaginem Titularis altaris fixi amoveri non posse absque Apostolico indulto. Et cum conceditur hoc indultum, eadem S. R. C. exigit ut ad pedes novae tabulae, parva tabella imaginem Titularis altaris referentem ponatur, ne pereat memoria Sancti ipsius Titularis.

Imago vero altaris portatilis, quia huiusmodi altaris consecrationis formula absque nomine alicuius Sancti profertur: *Sanctificetur haec tabula in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, non est reapse Titulus altaris ipsius, ideoque bene potest amoveri, sed ex constitutionibus Synodalibus, fere omnium dioeceseon occurrit ad hoc Episcopale indultum. Rectores ergo Ecclesiarum sciant, non pro eorum lubito Imagines altarium immutari posse, etiam sub specie maioris pietatis in populo promovendae, sed cum debitis approbationibus superiorum id fieri fas est.

Utrum Imagines altarium debeat benedici auctores non concordant, fortasse quia S. R. C. in una *Urbis* d. 12 Iul. 1704 ad 1, docet, Cruces altarium.

uti et quae in processionibus deferuntur, *non esse de praecepto benedicendas.* Sed, nisi fallimur, distinctione hic opus est, cum par non sit ratio benedictionis Crucis altaris et Imaginis. Namque Crux pertinet ad altaris ornatum, eiusque imo est ornamentum praecipuum, et in consecratione Ecclesiae, aut altaris benedicitur. Et revera Pontificale Rom. peculiarem continet ritum, qui appellatur: *Benedictio* tobalearum, vasorum, et *ornamentorum* altaris consecrati. Post primam autem ritus huiusce orationem ponendam esse docet super altare *Crucem et alia ornamenta.* At de minori imagine id praedicari nequit, ut consequenter eam benedicendam esse dici possit. Quidquid tamen sit, cum magis conveniat, ut dictae imagines benedicantur, quam sine benedictione relinquantur, uti consideranti facile patet, optime Visitator inquirere poterit, num imagines, quae principales non sunt (hae namque in consecratione vel benedictione altaris per se benedictae manent), fuerint nec ne benedictae, et de huius saltem convenientia benedictionis edoceat Rectorem Ecclesiae.

Operae hic pretium ducimus referre, quae super imaginibus altarium docet S. Carolus, apprimeque respondent Constitutioni Urbani Papae VIII. *De veneratione Ss. imaginum* diei 15 Mart. 1642: ut Visitator ante oculos habeat quid prohibere, quid permittere ea super re possit aut debeat. " Cum Sacrosancta Tridentina Synodus decreverit, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesiae etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit, eiusque diligentiae et curae commendarit, ut in sacris effingendis imaginibus nihil falsum, nihil profanum, nihil inhonestum, nihil praepostere, nihil non recte atque ordine adhiberetur,

illud in primis caveant Episcopi, ne quid pingatur aut sculpatur, quod veritati Scripturarum, traditionum, aut ecclesiasticarum historiarum, adversetur, ne cuius lectio prohibetur, eius imago populo proponatur. Historiae quoque, quibus neque Ecclesia, neque probati auctores auctoritatem ullam dederunt, sed sola vulgi vana opinione commendantur, effingi prohibeantur. Deinde uniuscuiusque imaginis os, corpus, corporis habitum et statum, ornatum et locum inspiciendum curent Episcopi, ut haec omnia ad prototypi dignitatem et sanctitatem apta sint et decora; atque ex imaginis inspectione pietas excitetur, nulla vero turpis cogitationis detur occasio. Haec et reliqua huiusmodi et Tridentini Concilii praescripto ut commodius Episcopi exequantur, convocent suarum Dioecesum pictores et scultores, omnesque pariter doceant a quibus cavere debeant in sacris imaginibus effingendis, curentque ne illi, inconsulto Parocho, aliquam sacram imaginem publice vel privatim effingant. Quod si qui deliquerint, puniantur tam ipsi artifices, quam ii quorum sumptibus vel iussu effictae erunt imagines. „

“ Parochi vero Episcopo significent, quae illi indicarint in sacris imaginibus effingendis ad se propter difficultatem deferri debere. Quod si quae iam fictae imagines fictave simulacra, ob artificum temeritatem aut inscitiam, eiusmodi fortasse fuerint, ut ferenda nullo modo videantur, ea curent Episcopi, doctorum etiam privatorum virorum consilio adhibito, ut omnino deleantur, vel saltem aliqua ratione corrigantur. Effigies praeterea iumentorum, canum, piscium aliorumque brutorum animantium, in Ecclesia vel alio sacro loco fieri non debent: nisi historiae sacrae expressio ex matris Ecclesiae consuetudine aliter quandoque fieri postulet. Quae praeterea ob significatio-

nem rei sacrae Imaginibus Sanctorum appinguntur, eiusmodi apponantur, quae ex Ecclesiae instituto apte decoreque conveniunt, ut corona quae scuti rotundi instar Sanctorum capitibus apponitur, palmae in manibus Martyrum, mitra et baculus pastoralis, quae Episcopis dantur, et alia huiusmodi, tumque quod proprium est ac praecipuum insigne cuiusque Sancti, In quibus omnibus diligentia adhibenda est, ut ex historiae veritate, Ecclesiae usu, et Patrum praescripta ratione exprimantur. „

“ Videndumque est, ut Christi Domini corona a coronis Sanctorum distinguatur, crucis figura. Hocque cavendum est item, ut eiusmodi corona nemini apponatur, nisi quos Ecclesia canonizavit. Si quae sacrae tabulae, imagines pictae, nimia vetustate, carie, situ, aut sordibus pene deletae indecenti aspectu sunt, eas Episcopus pia et religiosa pictura ab iis quorum interest, renovari iubeat, aut si id non potest, omnino deleri. Ne tabulae Sanctorum Imaginibus expressae vetustate consumptae, in vilem et sordidum profanumque usum convertantur, sed ut beati Clementis Pont. Max. et Mart. Decreto sancitum est, in ignem coniiciantur: tum cineres praeterea, ne pedibus inquinentur in pavimenti fossis collocentur. In pavimento, quale illud sit, neque pictura, neque sculptura crux exprimatur, nec vero praeterea alia sacra Imago, historiave, ac ne alia item, quae sacri mysterii typum gerat. „

Urbanus VIII autem sequentia peculiariter decrevit; “ Ne quis cuiuscumque gradus, qualitatis, ordinis, status, vel conditionis ac dignitatis, aut praeminentiae etiam ecclesiasticae, etiam individua et speciali expressione dignae existat, Imagines D. N. I. C., et Deiparae Virginis Mariae, ac Angelorum, Aposto-

lorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum et Sanctarum quorumcumque sculpere aut pingere, vel sculpi aut pingi facere; aut antehac sculptas, pictas, et alias quomodolibet effictas tenere, seu publico aspectui exponere aut vestire cum alio habitu et forma, quam in catholica et apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit, nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis regularis, tenore praesentium prohibemus, ac ut Imagines aliter pictae vel sculptae ab Ecclesiis et aliis locis quibuslibet amoveantur et deleantur, vel reducantur et reformentur ad habitum et formam in Ecclesia catholica et apostolica ab antiquo tempore consuetam, ut veneratio et cultus sic dictis Imaginibus augeatur, et quae oculis fidelium subiiciuntur, non inordinata nec insolita appareant sed devotionem pariant et pietatem. „

Attendat insuper Visitator, si, praeter principalem in altari Imaginem, aliae fuerint minus principales. Sciat namque oportet, has quidem non posse dici severe prohibitas, nihilominus reprobandum omnino esse devotionis excessum, vi cuius plures subtus praecipuam pictam tabulam exponuntur fidelium venerationi minus principales Imagines, quod minus decentiae respondet. Itaque ex his una quidem tolerantia digna dici potest, sed plures reprobandae videntur. Benedictus namque XIV, licet nec approbet nec reprobet eiusmodi usum, recentiorem tamen iure appellat, ac proinde minus antiquitati conformem. Nihilominus a gravitate absonum dicendum est, plures ex istis imaginibus accumulare super altare, more altariolorum, quae domi efformant pueri, quod profecto non respondet decori Ecclesiae. Ceterum dictas Imagines tolerans Visitator inquirat, num sequentes adimpletae fuerint conditiones, quas cl. Gardellinius exi-

gendas docet. *a*) Ut id non fiat ex privato arbitrio, sed ex facultate Episcopi. *b*) Ut imago sit benedicta, vel solemniter ab ipso Episcopo, vel ab alio Sacerdote privata praescripta cum forma, quae prostat in Rituali romano. *c*) Ut locus imaginis sit aptus, ita ut Crucis aspectus non impediatur (*Nota ad Dub. 6 Decr. Gen. d. d. 31 Mart. 1821*). *d*) Tandem, ut neque in altari principe collocetur, neque ubi SSmum Sacramentum asservatur in tabernaculo (*Academ. Liturg. Quaest. V, die 8 Mart. 1894)*: saltem nisi ita statuatur Tabella ut omnibus et undequaque appareat Tabernaculum pro basi non inservire.

Ad Beatorum quod spectat Imagines, inquirat Visitator, utrum, si in pariete cappellae aut super altaribus habeantur, Indultum extet apostolicum, sine quo eas non licet habere, neque in Sacristia (*Decr. Gen. 17 Apr. 1659*): vel saltem edoceri postulet, num Missae celebrandae in alicuius Beati honorem facta sit facultas, tunc enim in ea et illius imaginis, minoris tamen, exponendae indultum includitur (*Declaratio Decr. etc. 17 Apr. 1660 ad 1*).

Item iudicet Visitator, num materia, ex qua imagines vel statuae sunt confectae, maiestati Ecclesiae respondeat. Licet enim pro iis determinata materia non sit praescripta, indubie ab Ecclesiis removenda sunt simulacra ex fragili materia confecta vel indecora, uti ex vitro, ex gypso, ex charta etc. Oportet quoque ut Visitator iudicet de habitu, quo exponuntur imagines, cum ille apprime respondere debeat Constitutionibus Pontificiis et S. R. Congñis decretis. Item non sunt introducendae imagines photographicae, chromolitographicae etc. donec S. R. C. super iis iudicium definitivum proferat. Excipe illam aliasve similes, quas Leo Papa XIII probavit, de Sacra Familia: quo nihilo-

minus indulto reliquae ex eadem materia imagines non ideo approbatae pro Ecclesiis censentur. Ut propterea, si ex dictis materiis fuerint imagines in Ecclesia publicae venerationi expositae, eas censura notet atque prohibeat.

Similiter caveat, ne in eadem Ecclesia duas eiusdem Sancti vel Mysterii imagines permittat (*Ord. Praedicatorum 24 Febr. 1890 ad 2*): optime tamen duae Christi vel Deiparae permittuntur vel plures imagines sub diversis titulis, dummodo non in eodem altari.

Si denique in vitris Ecclesiarum imagines virorum repraesentatas videat, qui cum fama sanctitatis decesserunt, sciat eas esse permissas, quamvis antiquitus prohibitas, ex recentiori iure: dummodo imagines illae, neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium praeseferant, neque quidquam profani, aut ab Ecclesiae consuetudine alieni (*Decr. Gen. 14 Augusti 1894*).

102. *Tabella Secretarum.* Infra crucifixum, super altaris mensa, tabella Secretarum collocanda est iuxta Rubricam Missalis: usus vero duas alias induxit hinc inde ponendas, pro commoditate Celebrantis. Inquirat Visitator, num ad vitanda incommoda eae in altaribus desint tempore Missae, et Rubricam usumque servandum curet.

Alicubi etiam parva tabella pro precibus post Missam recitandis a Leone XIII praescriptis, super gradus altaris superiores ponitur; sed minus congrue, cum Rubrica exigat nihil esse super altare ponendum, quod Missae non inserviat. Locus aptior pro dicta tabella est abacus, vel alius prope altare, quem opportunius seligendum Visitator Rectorem Ecclesiae doceat.

(Continuabitur)

P. S. Florentii, *Vic. foraneus.*

CASUS LITURGICUS.

Paroeciae dioecesis B. ita ex pluribus locis hic sunt efformatae, ut parochus in illis residere ob distantiam nequeat, sed pro eo in iis resideat alius Sacerdos ab Ordinario deputatus. Qui sub dependentia parochi, in eiusque auxilium, curam animarum exercet, plures minoresve habens attributiones, secundum quod plus minusve parochus distat, et locorum rerumque adiuncta postulant. Sacerdos sic deputatus Sacramenta in sibi credita Ecclesia administrat baptismi, poenitentiae, eucharistiae, extremae unctionis: verbum Dei annuntiat, catechesim docet, aliasque peragit functiones sacras, quae illi ab Ordinario vel parocho permittuntur. Hic autem aliquoties tantum in anno in dictas Ecclesias, quae filiales appellantur, pergit, ut functionem aliquam, vel aliquid aliud agat. Nunc autem nonnullae ex his Ecclesiis sunt consecratae, et pluribus ab hinc annis dubium exortum fuit: utrum Sacerdotes isti coadiutores parochi teneantur nec ne ad officium Titularis et Dedicationis relativarum Ecclesiarum.

RESPONSUM.

Principium quidem, cui responsum innitendum est, clarius et manifestius esse nequit, sed non adeo facilis iuris applicatio ad propositum casum: rem perpendamus. Dictum principium est, illos Sacerdotes Tituli et Dedicationis Ecclesiae officium celebrare debere, quibus Ecclesia eadem propria est, seu ad quam pertinent, haec enim

proprietas seu pertinentia est unica et tota ratio huiusce celebrationis officii. Verum, sunt ne Ecclesiae, de quibus in casu, vere propriae, ut praedicti Sacerdotes dicendi sint ad has Ecclesias vere pertinentes? Quantum videmus, nos affirmative reponimus, sequentibus momentis freti.

Ecclesiae huiusmodi sunt vere tales, adeo ut per se Titulus et Dedicatio ius habeant ut recolantur; at si Sacerdotes iisdem Ecclesiis inservientes dicta festa non celebrarent, haberentur Ecclesiae, quae sub omni fere respectu parochiales sunt, imo et consecratae, et nihilominus quarum Titulus ac Dedicatio sine cultu manerent, vix fortasse excepta Missa: quod gravissimum esset inconveniens. Mens autem Ecclesiae Sacrique Tribunalis Rituum, haec esse non potest. Et sane, in una *Marianopolitana* statutum est, Oratorium, si sit consecratum ius habere, ut illius Dedicatio ac Titulus quotannis recolantur cum officio et Missa sub ritu dup. 1. cl. cum octava, nec plus nec minus uti Ecclesiae vere publicae (*18 Iul. 1885 ad VI*). Quinimo expetita S. R. C. utrum quaedam ad dicti iuris exercitium requirerentur conditiones. ex. gr. ut pateat fidelibus ingressus, ut nonnullae ibi celebrentur sacrae functiones, ut aliquis clerus sit Oratorio adscriptus, ita respondit, ac si negative respondere voluisset, ait enim: « Si Oratorium sit consecratum, sufficit sola consecratio (*Decr. cit. Dub. VII*). Ratio patet, quia Oratorium consecratum uti Ecclesia habenda est, ad praefatam saltem quod attinet Dedicationis et Tituli celebrationem. Porro hoc supponit, Ecclesiae publicae Dedicationem et Titulum esse omnino quotannis recolenda. Accedit praeterea,

tales esse Ecclesias in casu nostro, ut veluti parochiales haberi possint et debeant: in qua videlicet nulla fere omittitur functio, vere parochialium propria, uti superius exponitur. Ergo iure praesumitur Ecclesiae mens, ut sine cultu debito Dedicatio et Titulus in casu non remaneant, qui in officio et Missa solemniori recolendis ritu de more consistit. Consequenter dictarum Ecclesiarum Sacerdotes parochorum functiones exercentes ad haec duo festa tenentur.

Contra haec afferri possent Dubia tertium et quartum Decreti *Tuden.* d. d. 23 Maii 1846, in quibus quaeritur, an solus parochus, vel etiam vicarius parocho subiectus in alia Ecclesia commoranti, qui pro commoditate populi Missam celebrat in subiecta Ecclesia, et poenitentiae atque eucharistiae tantum Sacramenta administrat, concionatur et catechismum explicat, aliaque munia explet, teneatur ad officium Titularis. Responsum est autem: « Ad officium Titularis teneri parochum tantum ». Sed respondemus, casum longe esse alium; quia Sacramenta poenitentiae et eucharistiae in omnibus Ecclesiis administrari possunt, uti et rudimenta fidei doceri, aut etiam conciones fieri, quae vix parochorum iurisdictionem attingunt. Sed Sacramenta potiora, uti baptisma, extrema unctio, matrimonium, a Parocho tantum in sua parochiali Ecclesia administrabantur. Vicarii eapropter, de quibus in Decreto *Tuden.* minores solum agebant functiones in subiecta Ecclesia, et pro potioribus parochialis aderat: ut consequenter parochum quidem adiuvarent, sed curam animarum concredita ipsis non fuisset; neque ad hoc seu a parocho, seu ab Ordinario fue-

rant deputati. Accedit dictas Ecclesias, de quibus Decretum loquitur, non fuisse consecratas; aut certe de earum consecratione Decretum silet, uti de Dedicationis officio. Dicendum ergo, huiusce dispositionem ad casum nostrum non esse applicandam, quippe qui agit de Sacerdotibus ab auctoritate destinatis, omnia parochialia munera exercentibus, et in Ecclesia saepe consecrata, licet quodammodo a parocho dependente: qui tamen ob distantiam rarissime in eam conferre se potest, ut omnia in illorum manibus relinquere cogatur.

Hinc cl. De Herdt inter obligatos ad duo praefata officia recitanda ponit deputatos ab auctoritate ad spiritualem alicuius Ecclesiae curam. En eius authentica verba: « Cappellani, quibus cura spiritualis alicuius Ecclesiae a legitima et competente auctoritate integre commendatur, causa administrandi Sacramenta, instruendi populum, officia Ecclesiae celebrandi, et alia peragendi, quae ad curam spiritualem pertinent; ad officia Titularis et Dedicationis obligantur, quia eo casu sunt vere Ecclesiae rectores (*Pars 4, n. 221; Resp. 2*).» Porro Sacerdotes in casu nostro quid magis esse videntur huiusmodi Cappellanis, de quibus citatus auctor, cum Ecclesiae eorum veluti parochiales sint; et licet aliquam habeant dependentiam a parocho, nihilominus, attente omnibus perpensis, omnia uti parochi peragunt. Etenim non solum parocho sed et Episcopo inserviunt, nec obiectum dependentiae respicit administrationem Sacramentorum et reliqua parochialia munia, quae ipsi tenentur ex iure delegato et ex officio persolvere, sed ad summum esse potest onus quoddam reddendi rationem parocho vel potius Epi-

scopo, si res malevertant. Sed hoc non officit, quia ex hoc dici non possunt pretio conducti ut parochum adiuvent in eius absentia, cum revera omnia officia independenter exerceant, habeantque non solum externam, sed integram administrationem Ecclesiarum sibi commissarum. Ceterum et parochus tenetur Episcopo rationem reddere, si petat, quamvis sit vere parochus. Consequenter Sacerdotes nostri in casu essent velut oeconomi, qui amovibiles sunt quidem, sed Ecclesiam, quam administrant, tamquam propriam habent in sensu Rubricarum, eiusque Dedicationis et Titulum celebrare tenentur.

Contra huiusmodi proprietatem Ecclesiarum obiici fortasse potest Decretum *Societatis Iesu*, d. d. 18 Sept. 1877 ad Dub. I, quo edicitur, Regulares, quibus ad Episcopo alicuius Ecclesiae cura concreditur, ut illam administrent, Confessiones audiant, concionentur et Missam faciant, nihilominus ad officium Dedicationis et Tituli non teneri. Sed et hic reponimus, huiusmodi dispositionem ad rem non facere pro nobis; quia casus citatus respicit meram externam administrationem Ecclesiae, non autem curam animarum, Sacramentorumque praecipuorum administrationem, per quae Sacerdos talibus officiis fungens Ecclesiam vere propriam sibi facit. Hinc Ecclesiae, de quibus noster casus, paroeciae vocantur, licet filiales, et eas administrans totum parochi officium agit, quamquam verus non sit parochus: adeo ut, si duos habere parochos Ecclesia posset, quorum alter altam directionem, alter totum officium haberet, Sacerdotes in casu, huius postremi locum tenerent. Eapropter arbitramur concludi posse

iuxta exhibitum ab initio responsum, videlicet, apprime omnibus consideratis, Sacerdotes, de quibus casus, teneri ad officia Dedicationis et Titularis Ecclesiarum, quae sibi commissae sunt.

QUAESITUM

De concursu duorum officiorum semiduplicium, eiusdem aut diversi ordinis.

In penultimo *Ephemeridum* num. nihil omnino dictum est de officiis votivis ad libitum, cum ex variis Decretis aliquid novi statutum fuit super iure liturgico; hinc quaeritur: Quomodo ordinandae sint Vesperae, duobus officiis votivis ad libitum, aut ex quibus alterum festivum, alterum votivum, eiusdem ritus, inter se concurrentibus?

Resp. 1. Si de duobus officiis votivis agatur eiusdem ritus, ius certum exhibere impraesenti non possumus, saltem quod omnia super iis Dubia resolvat; etenim pendent adhuc quaestiones nonnullae, quas quamprimum diremptum iri confidimus. Haec ratio, ob quam de iis omnino siluimus, arbitrantes, opportunius et securius in posterum quaestiones omnes eo super negotio tractari nos posse ac resolvere. Cum nihilominus e pluribus regionibus eaedem quaestiones nobis propositae fuerint, non possumus quin aliquid respondeamus, ut Ven. Consociatis nostris, quantum fas erit, faciamus satis.

Itaque notum ponimus, Rubricas de festis semiduplicibus Sanctorum, aut de diebus infra octavas inter se concurrentibus, ita hucusque fuisse expositas, ut cuiuscumque essent dignitatis, Vesperas semper dividerent. At, vulgato nunc Generali Decreto 14 Aug. 1894, quod incipit *Vulgato Generali Decreto*, indubium fit, diversam esse debere earumdem Rubricarum interpretationem: adeo ut si ex duobus semiduplicibus concurrentibus alterum sit primarium, alterum secundarium, illud sit huic praeferendum, et integras habeat Vesperas cum istius tantum commemoratione. Si vero utrumque semiduplex sit, aut primarium, aut secundarium, Vesperas dividendas diximus; at alia non desunt super hoc resolvenda Dubia, quae fieri possunt, et cum quibus praesens quaestio de votivis officiis relationem dicit.

Quaeritur namque, quomodo sint ordinandae Vesperae, duobus officiis votivis inter se concurrentibus; et nos quaerimus, quid foret agendum, si duo semiduplicia festa inter se concurrerent, ambo primaria, aut secundaria, et ex quibus alterum esset altero dignius? Dubium quidem inutile; quia de subiectis, quorum consideranda est personalis dignitas, si a Dominicis abstrahas, festa semiduplicia non dantur in nostra Liturgia, et de aliis subiectis dignitas, puta Martyrii, Virginitatis etc., attendi non debet. Sed nihil interest, cum negotium perpendamus, non in facto, sed in principio. Itaque quid quaesito reponi deberet? Nos arbitramur respondendum, ex duobus semiduplicibus primariis, aut secundariis, praeferendum esse dignius dignitate personali, quod proinde integras haberet Vesperas, dum alterum tantummodo com-

memorationem. Hoc autem inferimus ex ipsis Rubricis, quae, concurrente Dominica cum sequenti semiduplici Sanctorum, praescribunt, integras agendas esse de eadem Dominica Vesperas, dum sequenti solam commemorationem tribuunt. Quare autem, nisi quia Dominica, licet semiduplex, est festum Domini, consequenter uti dignius alteri minus digno praeferendum est? Secundo, vix intellectu foret, qualitatem primarii ita excellentius festum semiduplex reddere, ut alteri secundario sit preferendum, dum personalis dignitas in eodem semiduplici ita esset negligenda,, ut pro nihilo computaretur, nullumque effectum pro praecedentia pareret. Tertio denique, haec nobis esse videtur S. R. Coñgnis intentio in praelatione decernenda semiduplicis festi primarii prae secundario, ut nempe, sicuti festum primarium, licet semiduplex, praeferendum est secundario eiusdem ritus, ita idem semiduplex, aut primarium aut secundarium si nobilius, alteri pariter aut primario aut secundario praeferatur minus nobili. Nam maior excellentia subiecti, ad quod festum pertinet, non minus dignum efficit festum, quam primarii qualitas. Si ergo haec ratio tribuit praelationem alteri semiduplici prae altero, a pari inferendum, S. R. Coñgnem voluisse, ut semiduplex dignius, qualitate primarii aut secundarii pari, alteri minus digno praeferatur. Namque, si semiduplicia festa sacrum Tribunal voluit aequiparare, circa primarii et secundarii qualitatem, omnibus duplicibus, non apparet ratio, ob quam eadem semiduplicia a duplicibus differre debeant circa dignitatem. Ergo, quantum videmus, concludi posse arbitramur, datis duobus semiduplicibus con-

currentibus, ratione primarii aut secundarii paribus, dignius esse minus digno praeferendum, et alteri integras Vesperas, alteri solam commemorationem esse tribuendam.

Hac admissa quaesiti nostri solutione, nullius momenti apparet alterius quaesiti propositi solutio, quomodo videlicet ordinandae Vesperae, duobus officiis votivis concurrentibus inter se. Etenim haec officia votiva hucusque considerata fuerunt uti semiduplicia, sive quod ritum, sive quod concurrentiam attinet inter se. Videtur ergo eadem Rubricarum interpretatio ad illa applicanda, ac pro semiduplicibus, de qua superius locuti sumus. Verum quidem, officia votiva non esse festa, sunt tamen ad instar festorum: ut proinde in casu par videatur esse ratio, illa eodem modo tractandi ac festa semiduplicia, servatis servandis. Ad instar, inquam, festorum semiduplicium, sed non quae primaria sunt; bene tamen quae secundaria; eo quod officia votiva sunt veluti repetitiones festorum, et ex devotione recoluntur, non ex praecepto, nisi aliquando per accidens id contingat.

Quid ergo agendum, duobus officiis votivis ad libitum inter se concurrentibus? Si quae hactenus disseruimus arrideant, cum illa omnia rationem secundarii habeant, uti eiusmodi consideranda sunt; et Vesperae erunt ordinandae, sicut in concursu duorum semiduplicium, quae secundaria sint. Itaque, aut eiusdem, aut diversae dignitatis sunt: si primum, Vesperae erunt integrae de praecedenti sine ulla commemoratione sequentis; et hoc consequens, cum perfecte cohaereat Decreto *Urgellen.* ad III, d. d. 11 Iun. 1884,

nulli discussioni subiacet. Si proinde in feria V factum fuerit de almo Sacramento, et feria VI agendum sit de Passione, integrae secundae Vesperae fient de primo, et nihil de secundo. Haec hypothesis pro obiecto habet non solum eamdem subiecti dignitatem, sed etiam eiusdem subiecti identitatem; quia in officiis votivis ad libitum, de quibus loquimur, diversa hypothesis nequit fieri. Si nihilominus ageretur de sola dignitate pari, non vero de eodem subiecto, puta de duobus Apostolis, quorum festivum officium duobus non intermissis diebus recitetur, uti accidere potest; tunc Vesperae forent, uti ex praemissis sequitur, a Capitulo de sequenti. Si alterum, Vesperae fient de digniori, et com. de minus digno: uti si feria VI factum sit de Passione, et Sabbato faciendum sit de Immaculata, vel si feria II factum fuerit de S. Angelis, et feria III agendum sit de Apostolis, Vesperae erunt integrae de praecedenti cum commemoratione sequentis.

Resp. 2. Alterum dubium vix ullam praesefert difficultatem. Namque festum semiduplex dignius indubie est quocumque officio votivo, etsi superioris dignitatis, quae attendi in casu non potest. Et sane, aut semiduplex, de quo agimus, est primarium, aut secundarium. Si primum, iam notum est, primarii rationem dignius festum reddere ita, ut alteri eiusdem ritus secundario praeferendum certo sit, cuiuscumque dignitatis ratione spreta. Quod cum comprobetur in festis semiduplicibus, a fortiori comprobari necessario debet in officiis votivis, quae festa non sunt, licet festorum instar instituta. Ergo festum semiduplex primarium, concurrens cum officio quocumque votivo,

integras habet Vesperas, et solam dat officio votivo commemorationem, eo quod officia votiva semper secundaria sunt. Si alterum, ad eamdem, per aliam licet viam, descendimus conclusionem. Etenim officia votiva, praeterquamquod vix possunt nuncupari festa, semper ad libitum sunt, iure liturgico inspecto. E contra officia semiduplicia vere festa constituunt, et praeceptiva sunt vi Rubricarum. Porro non videtur dubitandum, sicut in occurrentia, ita etiam in concurrentia, festa praeceptiva debere praeferri officiis facultativis, qualia sunt votiva. Quod occurrentiam attinet, certum omnino videtur, et cl. De Herdt nonnulla citat Decreta, ab ipso Gardellinio hoc sensu exposita, quae asserta et probata a nobis confirmant *(Pars 4, n. 268, reg. 3)*. Ergo etiam quod concurrentiam spectat, admittendum id pariter videtur, Decreto recentiori attento, quod semiduplici cum alio semiduplici concurrente integras quandoque Vesperas tribuit. Namque si S. R. C. praefert semiduplici secundario semiduplex primarium, id profecto accidit, quia primarium est magis solemne, consequenter et dignius secundario. Iam vero, si compares semiduplex secundarium cum officio votivo, statim unicuique patescit, illud esse satis isto solemnius, consequenter et dignius. Ergo, si primarium festum praeferri secundario debet, quia solemnius et dignius, denegandum non videtur etiam festum secundarium esse votivo officio semper praeferendum, quod solemnius sit pariter et dignius. Eapropter concludimus, festum semiduplex, sive primarium sive secundarium, concurrens cum officio quocumque votivo, semper

habere integras Vesperas cum commemoratione alterius.

Animadvertas nihilominus, has conclusiones nostras tanti valere, quanti momenta, quibus eas demonstrare conati sumus. Si certitudinem desideres atque securitatem, patientia tibi adhuc necessaria est.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Utino*. **De festo primario vel secundario S. Marinae Virg.** Die 17 Iulii hic recolitur translatio S. Marinae Virg. sub ritu dup. mai. eiusque festum est unicum in anno: est ne considerandum ut primarium, an ut secundarium?

Resp. Omnes et singuli Sancti nonnisi unum festum primarium habere possunt, reliqua secundaria sunt, ita disponente S. R. Congñe. At ex eo quod unum tantum festum alicuius ex Sanctis alicubi recolitur, non sequitur esse illud primarium aut secundarium; si enim in aliquo loco unum recolitur, alio in loco aliud celebrari potest. Ex generali regula, natalitia dies vel quasi natalitia festum primarium constituit: reliqui dies inventionem, translationem etc. commemorantes, secundaria constituunt festa. Exposita atque indubia principia applicantes ad propositum dubium, manifesto derivat, Translationem S. Marinae Virg. esse festum secundarium, eiusque natalem diem esse primarium. Reapse legere est Martyrologium Romanum, et patebit Translationem

dictam occurrere die 17 Iulii, die vero 18 Iunii occurrere eius diem natalem: qui proinde festum primarium erit, et illud tantummodo secundarium.

II. *E Pictavis.* **De Missis votivis quorumcumque Sanctorum.** Posito, Missam votivam celebrari posse de singulis Sanctis in Martyrologio Romano inscriptis, ubi desumendae sunt Missae votivae pro Sanctis ad antiquum foedus pertinentibus?

Resp. Desumendae sunt e relativo Communi Sanctorum, nisi propria suppetat, uti de S. Elia propheta; et exemplum accipe a Missa S. Zachariae Patris S. Praecursoris Christi, quam Appendix Missalis Romani notat « Os iusti » licet cum Oratione propria.

III. *Ex eodem loco.* **De modo separandi matutinum a Laudibus in nocte Natalis Domini, et in triduo mortis Christi.** In nocte Nativitatis Domini post Orationem et versiculos in fine matutini ante Missam, addenda ne est oratio dominica? Et in triduo mortis Christi a private recitantibus matutinum separatim a laudibus, aliquid ne addendum?

Resp. 1. Rubrica specialis ad rem clarior esse non potest quae, si legatur, manifeste apparebit post versiculos celebrandam esse primam Missam, et orationem Dominicam non habere locum. Videre quoque est Dub. II Decreti *Marianopolitana* d. d. 18 Maii 1883, idem statuens. Nos quidem non latet, aliud extare Decretum, quod loquitur de oratione dominica addenda in fine; sed non respicit recitationem choralem: cui tamen difficile intellectu est, quare unusquisque etiam in privata recitatione se conformare non possit.

Resp. 2. Si matutinum a laudibus separetur in triduo mortis Christi quomodo se gerere quis

debeat in recitatione an statutum sit nescimus; sed ordo consuetus postulare videtur, ut dicatur tantum Oratio *Respice quaesumus*, et sic concludere. Ita salvo meliori iudicio.

Nota. Festa Dominicis assignata, si particularia sint, iure translationis, secluso privilegio, destituuntur. Nec obstat, Translationem Reliquiarum fuisse concessam una cum aliis in generali approbatione Calendarii; quia omnia et singula festa quae conceduntur, celebranda conceduntur iuxta Rubricas et Decreta: haec autem festa particularia Dominicis affixa transferenda vetant.

IV. *E civitate B.* **De suffragio Titularis in Ecclesia privata.** Hic extat Ecclesia olim parochialis, sed benedicta tantum, divo Thomae Apost. dicata: quae impraesenti reservata est clero Seminarii, et fidelibus clausa. Potestne, in Suffragiis, S. Thomae commemoratio communis fieri?

Resp. Per se negative, et ratio patet, cum Oratorii privati nunc talis Ecclesia rationem habeat. Nihilominus, si consuetudo ibi vigeat eiusmodi commemorationem agendi, attento cultu liturgico, quem divus Thomas Ap. ea in Ecclesia ab antiquiori aevo habuit, non crederemus eum esse ab illo et nunc recipiendo fortasse exturbandum.

V. *E regione Belgica.* **De die 2 Nov. non impedita pro Missa votiva SS. Cordis Iesu.** Hoc anno 1894 prima feria VI mensis Nov. incidit in diem 2 Nov. seu in diem Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum: in illa autem feria, ex benigno Indulto Leonis PP. XIII (*Altero nunc, 28 Iun. 1889*) licet facere Missam votivam SS. Cordis Iesu. Quae-

ritur: utrum huiusmodi Missa, attenta die 2 Nov. in quam praedicta feria incidit, impedita maneat, tam in Ecclesiis aut Oratoriis, ubi plures dicuntur Missae, quam in aliis, ubi una tantum celebratur.

Resp. Decreto inhaerentes, quod in Dubio proposito citatum est, hoc pro certo habendum, Missam votivam SS. Iesu Cordis esse prohibitam: ratione ritus, in omnibus duplicibus primae classis: ratione privilegii, in feria, vigilia et octava ex privilegiatis: ratione festi, in omnibus festis Domini occurrentibus. Atqui dies 2 Nov. non est dup. primae classis, non est ex feriis, vigiliis, octavis privilegiatis, non est, *per se saltem*, festum Domini, ergo...

Sed opponi iure potest, hac die Missas omnes esse dicendas de requie, conventuali excepta; ergo Missa votiva de SS. Corde celebrari non posse videtur. Sed reponi quoque potest, hanc legem non reddere hanc diem privilegiatam in gratiam defunctorum, sicut alios dies, de quibus superius; qui Missas votivas prorsus excludunt, in gratiam solemnitatis vel temporis. Hinc, quacumque exurgente causa, praefatae feriae non admittunt Missas votivas, etsi solemnes; sed dies 2 Nov. easdem admittere potest, iusta interveniente causa, sicuti de occurrente festo. Ita statutum est quidem, omnes Missas ea die esse debere de requie, sed conventualis de festo non excluditur: omnes Missas esse debere de requie, sed Missa votiva pro sponsis, casu adveniente, celebrari potest (*V. Ephem. an. 1893, pag. 158 et seq. Dub. IV*). Quare ergo dicendum erit, hanc diem excludere Missam votivam solemnem, vel ad instar solemnis, quam

Summus Pontifex prima feria VI, cuiusque mensis indulget? Ceterum, cum Decretum inter dies Missam votivam impedientes diem 2 Nov. non recenseat, neque ratio sufficiens suppetat, ut inter eosdem recenseri debeat, legi potius quam arbitrio standum esse credimus; prindeque dicta die Missam votivam de SS. Corde Iesu esse permissam. Arbitramur autem non esse distinguendum inter Ecclesias aut Oratoria, in quibus una tantum, et alias in quibus plures dicuntur Missae. Ratio est, quia lex non distinguit, adeo ut nec nos distinguamus oportet.

VI. *E Montepessulano.* **De commemoratione communi SS. Salvatoris et SS. Cordis Iesu.** Quando in Suffragiis agenda est comm. SS. Cordis Iesu, addenda ne est etiam com. Tituli, si sit SS. Salvator?

Resp. Affirmative. Distinguenda est enim in his commemorationibus identitas subiecti seu personae, et identitas obiecti festi. Haec efficit, ut una commemoratio alteram excludat, ne bis incidamus in idem: quod pluribus Decretis firmatum est. Illa vero duas commemorationes non excludit, saltem cum de festis Domini agitur: quod etiam ex Rubricis patet et ex iisdem Decretis. Iam nunc in casu iudicamus, dari quidem identicam personam, de qua duplex fit commemoratio, sed non idem obiectum, uti utrumque festum SS. Salvatoris et SSmi Cordis Iesu attente consideranti patebit. Ergo utraque comm. fieri potest et debet. Inferes, eamdem commemorationem SS. Salvatoris agendam quoque esse in officiis votivis Passionis et SS. Sacramenti, quorum obiectum idem consideratur a S. R. C. cum SS. Corde Iesu, haud vero cum SS. Salvatore. Ea propter hae

commemorationes: Passionis, Sacramenti, SSmi Cordis Iesu et Crucis, in uno officio simul non ponuntur, bene tamen cum una ex iisdem poni potest comm. SS. Salvatoris.

VII. *Ex eodem loco.* **De festo patronali et alia solemnitate translata.** Anno 1895 die 16 Iun. est Dominica infra octavam Corporis Christi; in qua recolitur huiusce festi solemnitas, et occurrit festum S. Io. Francisci Regis Patroni. Hinc quaeritur: 1. Quando una tantum Missa cantatur, quaenam canenda, an de solemnitate translata, an de S. Patrono? 2. Quid, si Patroni festum in Dominicam in Albis aut SS. Trinitatis incidat? Licet ne Missam cantare de Patrono? 3. Si in dictis duabus Dominicis faciendum occurrat de translata solemnitate Patroni, potest ne de eodem cantari Missa?

Resp. Haud quidem difficile responsum, quod perspicue ex Decretis declaratum; sed fortasse ipsa multitudo Decretorum, quae S. R. C. expetita evulgare coacta fuit, aliquam possent obscuritatem inducere. Nisi error irrepsit, Decreta hac super materia emanata, sunt numero 36, quibus, ni fallimur, alia nonnulla addenda, quae in Collectione authentica adhuc non fuere inserta. Quod profecto ostendit quanta S. R. C. sapientia disposuerit, ut nova fiat Decretorum Collectio, ut ius liturgicum clarius evadat, tot repetitiones quibus vel necessitas vel etiam Oratorum imperitia occasionem, dedit, excludantur, ac simul aliquid in disciplinis liturgicis mutationis invectum confirmetur et sanciatur. Sed haec per transennam dicta sint. Ad proposita itaque Dubia devenientes, quin Decreta ad rem citemus, quibus serio studuimus

simulque ea contulimus inter se, uti certum respondemus ad 1: Quando solemnitas translata, ut in casu, incidat in aliquam Dominicam, in qua festum duplex primae classis recolendum est, aut festum, ad quod solemnitas translata pertinet, est dignius festo occurrenti, aut non: in primo casu fit de solemnitate translata, et solemnitas festi occurrentis transfertur: in altero fit totum officium cum solemnitate de festo occurrente, et solemnitas translata in sequentem Dominicam liberam ulterius transferenda. Ergo in casu faciendum de translata solemnitate Corporis Christi, et solemnitas Patroni transferenda in proximiorem Dominicam liberam.

Ad 2. Occurrente Patroni festo seu in Dominicam in Albis, seu in Dominicam Trinitatis, arbitramur, Missa de Patrono optime cantari potest; quia dictae Dominicae in Rubricis Generalibus Missalis Romani *(Tit. VI)* non excipiuntur. Ergo, dubio procul, Missa Patronalis festi, quod transferendum est, in praefatis Dominicis cantari potest.

Ad 3. Quid sit agendum in casu, non potest ex Decretis cum certitudine inferri, ut cl. De Herdt tres suppeditet solutiones diversas. Quae magis nobis arridet, hanc seligimus. Occurrente solemnitate translata in Dominica in Albis aut Trinitatis, licite cantari potest Missa de eadem translata solemnitate. Ex Decretis enim aperte coniicitur, festum occurrens et solemnitatem translatam paris esse iuris; ergo quod festo conceditur, solemnitati non est denegandum. Atqui de festo in dictis Dominicis occurrente Missam solemnem Rubricae et Decreta permittunt; ergo et permit-

tenda est si in iisdem occurrat solemnitas translata.

Ad limitationem quod attinet in dubio appositam, quod scilicet una tantum Missa cantetur, respondemus, id nihil datae solutioni obstare. Simplex ratio est, quia Decretum Emi Caprara id supponit evenire posse in pluribus Ecclesiis; ut una nempe Missa cantari possit, et nihilominus stat Indultum. Quod adeo verum est, ut Decretum praedicet, Missam conventualem non esse omittendam in cathedralibus aliisve Ecclesiis, *in quibus officium publice agatur*. Ergo supponitur in aliis, in quibus officium publice non agitur, unam tantum cantari Missam.

Nota 1. Festa, etsi primaria, Patronorum minus principalium non ferunt symbolum in Missa. Celebre est Decretum *Cracovien*, 22 Aug. 1744 ad 16, edicens: « Exequenda sunt Decreta 2 Decembris 1684, 14 sept. 1691, et 19 Iun. 1700, quibus vetitum est dicere *Credo* in Missis Patronorum minus principalium, etiamsi nunquam ad praxim deducta; et a Missalibus, ubi contrarium notatur, expungatur ».

DECLARATIO.

In ultimo *Ephemeridum* numero nuper elapsi anni *(Dubium IX, pag. 729 circa finem)*, Dubiorum solutor, aliqua fortasse mentis occupatione captus, ait: « Absoluto patronali festo almae Domus, eius octavam cessare, usque ad diem 16 Decembris in qua solum faciendum est *de octava dicti festi patronalis*, quia etc. ». Iam nunc quomodo dies 16

componi potest cum die octava festi Translationis almae Domus? Namque, uti patet, haec dies octava est 17 Decembris. At quomodo solutor potuisset ponere diem 17, in qua, uti probe quisque noscit, cessant octavae? Manet ergo ut mens solutoris haec sit: loco de *octava dicti festi patronalis*, legendum erat *de infra octavam dicti festi patronalis*.

SUPER CAEREMONIIS
QUAESITA
EPHEMERIDUM REDACTIONI PROPOSITA

I. **De loco Cruciferi in processionis reditu**. Dum processio revertitur in Ecclesiam, et clero iam stante in loco suo, Crucifer manere ne debet inter duos acolythos in presbyterio usque ad finem functionis, quae consistit in benedictione cum Eucharistia, an potius deponere crucem in locum suum?

Resp. Consultius indubie est, ut Crucifer crucem, et acolythi candelabra deponant in propriis locis; cum non deceat ut in presbyterio stantes tempore benedictionis remaneant. Expleta autem functione, Crucifer crucem, et acolythi candelabra resumant, ut in sacrarium redeant cum aliis de clero.

II. **De onere diaconi officio fungendi**. Si in Missa solemni inservire debeant Presbyter et Diaconus, utri competit diaconali officio fungi?

Resp. Utrum aliquod pro casu Decretum extet, nescimus; aequum nihilominus est ut Diaconus

officium ordinis sui exerceat; Presbyter autem officio Subdiaconi fungatur. Id etiam in Capitulis comprobatur, distinctas habentibus prebendas, hoc est: cum Canonici ex ordine subdiaconali deficiunt, et unus adest Canonicus de ordine diaconali, hic in solemniori Missa officium sui ordinis exercet, et Presbyter Subdiaconi vices supplet. A pari, nisi a fortiori, in casu exposito.

III. **De usu obscurae vestis in baptizando.** Quidam administrantes baptismum, baptizandum vestiunt habitu obscuro pro veste alba, quem antea benedicunt in honorem Deiparae a Carmelo dictae: recte ne?

Resp. Eiusmodi usus non videtur tolerandus, cum appareat contra spiritum ecclesiasticae caeremoniae, et oppositus significationi verborum: *Accipe vestem candidam.* Et revera Rituale Romanum hoc loco habet: « Imponit capiti infantis linteolum *candidum*, loco vestis *albae* ».

IV. **De cuiusdam incohaerentiae specie inter legem et legem.** Ex verbis Ritualis Romani aperte infertur collationem baptismi adulto esse debere publicam, cum tamen S. U. Inq. statuit, adultum, extante probabili dubio de validitate baptismatis, baptizandum esse secreto. Hinc Synodus Westminster decrevit baptismum istud conferendum esse *omnino privatim:* quid?

Resp. Rituale Romanum agit de baptismo adultorum in genere, sed decretum inquisitionis et citati Synodi agunt de peculiari casu. Cum itaque certum est adultum non esse baptizatum, Sacramentum publice administratur, iuxta ritus et caeremonias in Rituali praescripta. Cum vero *superest adhuc probabile dubium de baptismi validi-*

tate, tum sub conditione secreto baptizetur. Negotium, in summa, a rerum adiunctis dependet, simul inter se collatis, iuxta prudens Ordinarii iudicium. Sed utraque lex cohaerent inter se.

V. **De impositione manuum in Extrema Unctione.** Sacerdos Extremam Unctionem administrans manus non imponit: quare ergo Oratio Ritualis habet, *per impositionem* manuum nostrarum?

Resp. Ratio verborum, quae in Oratione indicata continentur, est indubie, quia quaedam manuum impositio adest in administratione Extremae Unctionis, uti propemodum quando Episcopus in confirmatione ungit Confirmandum; revera enim quodammodo uterque *adumbrat,* sacramentum conferendo. Neque obstat dictio *manuum nostrarum*, quae alludit manifeste ad institutionis verba, *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros.... orent super eum ungentes* etc.

VI. **De thure adolendo Sacramento ante et post expositionem.** Verum ne est, SS. Sacramentum esse thurificandum *omnino*, tam ante quam post expositionem?

Resp. Negative, sed tantum antea. Nulla id lex iubet, et usus observantiorum Ecclesiarum Urbis est *omnino* contrarius. Excipe casum, quo post Benedictionem exponatur sub Baldachino.

BENEDICTIO AQUAE

in Vigilia Epiphaniae

Cum S. R. C. per Decretum *Plurium Dioecesium* d. d. 17 Maii, a SSmo Dom. N. Leoni XIII confirmatum d. 11 Iunii 1890, prohibuerit quemdam peculiarem solemniorem Ritum Benedictionis aquae pro Vigilia vel Festo Epiphaniae, alicubi ex abusu invectum; nunc a nobis petunt, utrum eidem Ritui alius nec ne suffectus sit ab eadem S. Congñe. Respondemus affirmative; et Ritus huiusmodi constat ex Litaniis Sanctorum, ex antiphona, pluribus psalmis et canticis, ex exorcismis contra Satanam et angelos apostaticos, ex aliis exorcismis salis et aquae, ex Oratione, ac denique ex hymno *Te Deum* cum alia Oratione pro gratiarum actione; quae omnia relativae Rubricae comitantur. Dies inscripta approbationis huiusce novae Benedictionis est 6 Dec. 1890: evulgationis autem, 9 Sept. 1892. Haec regestis S. R. Congregationis.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1895.

S. RITUUM CONGREGATIO

I.

DECRETUM GENERALE
COMMEMORATIONUM IN VESPERIS

Cum iam alias Sacra Rituum Congregatio praestituerit ordinem in commemorationibus agendis ad Vesperas servandum, maxime postquam Duplicia minora et semiduplicia impedita ad instar Simplicium redigenda Rubricae immutatae indixerunt; ad omnes ea super re controversias dirimendas eadem Sacra Rituum Congregatio declarat et statuit: Post Orationem diei, ante ceteras, commemorationem semper agendam esse de alio cuiuscumque ritus festo, quod concurrat, si locum habeat, deinde reliquas iuxta ordinem, quem seu Rubrica Gen. Breviarii Titul. IX n. 11, seu Tabella Occurrentiae in eodem Breviario inscripta praecipiunt. Qui ordo sequentis tenoris est: 1. De Dominica privilegiata, 2. de die octava, 3. de duplici maiori, 4. de duplici minori, ad instar simplicium redactis: 5. de Dominica communi, 6. de die infra octavam Corporis Christi, 7. de semiduplici, 8. de die infra octavam communem, ad simplicem ritum pariter redactis: 9. de feria maiori vel Vigilia, 10. de Simplici. Atque ita servari mandavit. Die 2 Maii 1893.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus*
ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius*.

II.

DECRETUM GENERALE OCTAVARUM IN QUADRAGESIMA

Sacrorum Rituum Congregationem solemne habuisse semper sacri quadragesimalis temporis instituta pia moestitia recolere, abunde Rubricae ostendunt, nonnullaque propositis sibi Dubiis responsa, quibus vel cessare praescripsit vel abrumpi Octavas in feria IV Cinerum atque in Dominica Passionis, quamvis peculiari Indulto concessas. Nuper vero, cum alia suborta fuerint Dubia circa easdem Octavas ad earum quod attinet celebrationem, vel cessationem aut abruptionem in reliquis Dominicis diebus Quadragesimae pro iis, qui illas recolendi privilegio donati sunt, Eadem Sacra Rituum Congregatio declarat et statuit: Octavas quascumque pro tempore Quadragesimae, iuxta alias decreta, in posterum non concedi, indultas vero ab antiquiori aevo, non solum in feria IV Cinerum atque in Dominica Passionis, sed etiam in omnibus aliis Dominicis diebus Quadragesimae esse omnino intermittendas vel abrumpendas. Per integram autem maiorem Hebdomadam omnes prorsus octavae, excluso etiam quocumque privilegio, interdictae maneant. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 Maii 1894.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus*

ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

III.

TRIDENTINA.

Rmus Dnus Episcopus Tridentinus Sacrae Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

An post Decr. in una Senien. die 5 Maii 1882 (1), Ecclesiae consecratae, e quarum parietibus crusta, vulgo intonaco, maiori ex parte disiecta fuit, tamquam execratae habendae sint, ideoque nova indigeant consecratione?

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto a Commis-

---

(1) Decretum *Senien.* quod citatur supra, respicit novam incrustationem Ecclesiae, ex materia marmorea, ob quam antiqua incrustatio, vulgo *intonaco*, in qua depictae erant cruces et signa consecrationis, per totum internum Ecclesiae spatium decussa fuit simul cum crucibus; et quidem id insimul, non successive. Porro S. R. C. declarat, Ecclesiam in casu non indigere nova consecratione, et cruces iterum depingendas vel apponendas in parietibus in testimonium peractae consecrationis.

Inferes: consecrationem Ecclesiae non afficere tantum materialiter opus tectorium parietum, sed totas parietes. Ecclesia enim per ritus et caeremonias praescriptas ad modum unius et integre consecratur. Idem quoque dicas de aliis rebus, quae per benedictionem vel sacram unctionem consecrantur. Ita ex. gr. in calicibus et patenis, non aurea superficies tantum consecratur, uti cl. De Herdt animadvertit, sed totus calix: « Probabilius est, eam (*consecrationem*) non amitti, si per longum usum inauratio deperdatur, quia calix semel totus consecratus, per modum unius consecratus remanet (*Pars I, n. 174*). » Neque obstat, si S. R. C. calicis iterum inaurati novam exigat consecrationem; eam enim iure postulat profanus contactus calicis per novam inaurationem in intimis partibus, quae immediate tangere natae sunt sanctissimum Christi sanguinem.

sione Liturgica, re perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: *Negative* ad utramque partem. Atque ita rescripsit die 11 Ian. 1894.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.
Aloisius Tripepi *Secretarius.*

IV.

DECRETUM.

In Sacra Rituum Congregatione duo insequentia dubia excitata fuerunt, nimirum:

I. Quaenam Litaniae publice recitari valeant in Ecclesiis, vel Oratoriis publicis, vi Constitutionis Clementis Papae VIII, et Decretorum, quae ab illius Successoribus Pontificibus promulgata fuere?

II. Utrum invocationes ad normam Litaniarum, in honorem Sacrae Familiae, Sacratissimi Cordis Iesu, Mariae Perdolentis, S. Ioseph, aliorumque Sanctorum in Ecclesiis, vel Oratoriis publicis recitari possint?

Sacra porro R. C. in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, ad relationem mei infrascripti Cardinalis Praefecti, atque audito R. P. D. Augustino Caprara, S. Fidei Promotore, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Litaniae tantum quae habentur in Breviario, aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani, ab Apostolica Sede approbatis.*

Ad II. *Negative.* Atque ita rescripsit die 6 Martii 1894.

✠ CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.
Aloisius Tripepi *Secret.*

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*Contin. V. n. 1, pag. 12*).

TEXTUS.

(**Titulus VII**)

N. 5.

Infra Octavam Officium fit Semiduplex (207), in die Octava duplex (208). In Vesperis infra Octavam omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis Festi (209); et in primis Vesperis diei Octavae omnia sicut in primis Vesperis festi (210), nisi aliter in propriis locis notetur (211).

(207) *Infra Octavam officium fit semiduplex:* si tamen duos dies excipias, Pascha et Pentecosten immediate sequentes: quod indicat maximam, ac ceteris potiorem solemnitatem praefatarum festivitatum. Generalis nihilominus est regula, ut ritus diei infra octavas semper sit semiduplex, quamvis nonnullae ex iisdem octavis alia occurrentia vel translata festa, iuxta privilegia minora vel maiora, quibus donata fuerunt, excludant. Antiquitus dies infra octavas Sanctorum ex generali lege omnino omittebantur, uti notat Micrologus (*cap. 44*), quorum nempe nec commemoratio fiebat. Dies vero infra octavas Assumptionis Deiparae et S. Petri Apostolorum principis, ritu tantum simplici recolebantur, per solam nempe commemorationem.

Consuetudo ista, dies infra octavas seu penitus omittendi, seu tantum commemorandi, viget adhuc apud aliquas Congregationes Regularium, in nonnullis octavis minoribus uti apud Dominicanos. Imo ait Grancolas, omnes octavas, in primis Ecclesiae saeculis, repetitiones tantum fuisse festorum, diebus octavis. Adhuc habemus in Breviario Romano exemplum huiusmodi octavarum die XXVIII Ianuarii, in qua agitur de S. Agnete *secundo*, seu in eius octava die. Postea tamen statutum est, ut dies omnes infra octavas recolerentur, semiduplici tamen ritu, sicut praesens Rubrica docet, ut inter festum, eiusque complementum, quod dies octava est, diesque intermedios, haberetur discrimen, quippe qui satis minoris sunt solemnitatis.

(208) *In die octava duplex*, ut dies octava magisquam infra octavam dies, solemnitatis festi sit particeps, ac difficilius impediatur, uti superius expositum est (*n. 194*).

Operae pretium est hic inquirere, an dies octava, et dies infra octavas adnumerandae sint inter festa primaria vel secundaria, ita ut in occurrentia, et concurrentia cum festis eiusdem ritus, applicanda sit lex in decreto S. R. C. 3 Iulii 1893 promulgata.

Primum sit de die octava. Si de *occurrentia* loquimur, certo certius dies octava praevalet cuicumque duplici minori imo et maiori, uti videbimus infra (*Tit. X, n. 2*); sed hac praevalentia non potitur dies octava, quia nobilior in se, seu ex natura sua *primarium festum*, sed quia, cum sit *intransferibilis*, Rubricae illi tribuerunt praelationem super duplicia minora et maiora, quae transferri omnia poterant, ante Rubricarum novissimam reformationem; ex hoc ergo, quod dies octava praeferatur in occurrentia caeteris

duplicibus minoribus, imo et maioribus, non statim dicendum est gradum illi competere, quem habent festa primaria. Quod si de *concurrentia* loquimur tunc dies octava indubie adnumeranda est inter festa primaria, si primarium sit festum cuius celebratur octava; si vero hoc sit secundarium, et secundarium festum censenda erit eius octava dies. Hoc evincitur ex notione octavae, quae nihil aliud est nisi continuatio et productio festi, quod tamdiu perseverat, quamdiu durat octava, uti docet Guyetus (*l. 4, c. 6, 9, 7*).

Itaque si festum, de quo agitur octava, primarium est, huiusmodi natura *primarietatis* (parcant philologi) gaudebunt quoque omnes dies infra octavam, et dies ipsa octava. Concipi enim non potest festum aliquod incipi celebrari uti primarium, et continuari ac finire uti secundarium.

Octava ergo adscribenda est inter duplicia minora, primaria, vel secundaria, prout primarium vel secundarium erit festum. Hinc ex. gr. in ecclesia cuius Titulus sit S. Gorgonius Martyr, celebratur eius octava die XVI Septembris; cum autem in crastino occurrat duplex secundarium, (Impressio Stigmatum S. Francisci) Vesperae erunt integrae de die octava cum commemoratione sequentis; compertum est enim, in casu, octavam diem esse primarium festum. Viceversa in locis ubi cum octava celebratur festum Ss. Nominis B. M. V., cum hoc sit secundarium, item inter secundaria festa adnumeranda erit eius dies octava. Itaque si haec occurrat die XVIII Septembris, Vesperae integrae erunt de sequenti duplici primario (S. Ioseph a Cupertino) cum commemoratione diei octavae. Quod si occurrat die XVI, in concurrentia cum sequenti duplici secundario (Impressio Stigmatum) Vesperae erunt dimidiandae, nisi in casu nostro dignitas personae, cuius agitur

festum et octava, exigeret ut Vesperae integrae essent de octava cum commemoratione sequentis.

Haec nostra sententia indirecte probatur ex Rubrica II post Tabellam Concurrentiae, quae ita se habet: *In secundis Vesperis diei octavae Epiphaniae, Paschae, Ascensionis et Corporis Christi, de sequenti duplici fit tantum commemoratio.* Similiter Rubrica specialis diei octavae Assumptionis B. M. V. tam in primis quam in secundis Vesperis iubet commemorationem fieri concurrentis duplicis, scilicet S. Ioannae Franciscae in primis, et S. Philippi Benitii in secundis.

Scimus hanc praeferentiam concessam fuisse hisce octavis diebus praecipue ob dignitatem personarum, quae recoluntur in earum officiis, nihilominus pro nobis sufficit haec praelatio ut statuere possimus octavam diem ex natura sua non esse adscribendam inter secundaria festa. Licet enim octava dies, primo obtutu, videatur consideranda quasi aliquid secundarii, quia iam celebratum sit eius Festum principale, attamen nihil amittit de sua dignitate, prout supra dictum est. Hinc citatae Rubricae in concurrentia cum duplicibus Sanctorum, praelationem recognoscunt dierum octavarum Domini et B. Mariae Virginis, quae praeferentia non esset admittenda a Rubricis, si notio octavae implicaret esse aliquid secundarii. Si ergo octava dies nihil amittit de sua dignitate, ex eo quod celebratum sit eius festum principale, procul dubio retinebit natura ipsius festi, scilicet censenda erit inter festa primaria vel secundaria, prout primarium vel secundarium est festum de quo agitur octava.

Idem dicendum credimus de diebus infra octavam, cum eaedem rationes militent pro illis, quae pro die octava. In occurrentia ergo festi semiduplicis secundarii, cum die infra octavam festi primarii, agendum

esset de octava cum commemoratione illius: item in concurrentia. Notandum tamen quod in Breviario Romano unum tantum habemus semiduplex secundarium, nempe Inventionem S. Stephani, et ad libitum officia votiva per hebdomadam indulta; si ergo aliquando infra octavam Titularis, quae occurrit ultimis diebus Iulii et primis Augusti, dari possit occurrentia Inventionis S. Stephani, impossibile est quod infra aliquam octavam occurrant officia votiva, quae concessa sunt tantummodo loco officiorum ferialium. Itaque in praxi rarissime dies infra octavam occurrere potest vel concurrere cum semiduplici secundario.

Quid autem erit dicendum si infra octavam festi primarii Domini vel B. Mariae Virginis, occurrit semiduplex Sanctorum primarium? Ex lege generali, cum occurrunt vel concurrunt duo festa primaria eiusdem ritus, praevalet dignius dignitate personali. Si igitur haec lex applicanda foret in casu nostro, infra octavas Domini et B. Mariae nunquam celebranda essent festa semiduplicia Sanctorum, uti cautum est pro octava privilegiata Corporis Christi; in casu enim dies infra octavam semiduplex, dignior est quam semiduplex Sanctorum.

Ex quo consequitur, quod si ad tramitem legis generalis praecitatae, haec quaestio solvenda esset, ex octavis Nativitatis D. N. I. C., Immaculatae Conceptionis, et S. Ioannis Baptistae expungenda forent relativa festa semiduplicia S. Thomae Cantuariensis, S. Damasi Pp. et S. Leonis II, et extra octavas ipsas reponenda.

Hoc opus hic labor. Ex una parte vis argumentationis ad hoc consectarium nos ducit, ex altera impossibile omnino videtur, S. R. Congñem usque ad hanc conclusionem descendere voluisse cum suo de-

creto circa festa primaria et secundaria; nam certo certius memorata festa semiduplicia in dictis octavis retinuit, nec unquam inde evellere iubebit. Quid ergo dicendum?

Si liceat nostram depromere sententiam, censemus in hac quaestione nihil esse innovandum, talis enim est voluntas S. R. C. et satis iustificata. Dies infra octavam adscribendi sunt, prout exigit ratio, inter officia primaria vel secundaria, iuxta naturam festi, ac proinde dies infra octavam festi primarii occurrens vel concurrens cum alia die infra octavam festi secundarii, licet maioris dignitatis, praeferentia gaudebit; et in hoc adamussim applicatur lex circa festa primaria et secundaria. Si vero agatur de festo semiduplici Sanctorum primario, occurrenti infra octavam festi primarii Domini vel B. M. V. etc. exceptio in lege praedicta inducenda est, ne nimis perturbetur ordo Calendarii. Itaque semiduplicia Sanctorum primaria, si occurrant infra octavas festorum quae digniora sint dignitate personali, celebrandae erunt cum commemoratione octavae.

(209) *In Vesperis infra octavam omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis festi;* non enim sunt nova festa dies infra octavam, uti iam innuimus, sed eiusdem festi continuatio; cum eaedem ergo Vesperae festi iterentur, secundas decet persolvere.

Ratio est quia cum simul concurrant duo officia eiusdem ritus et eiusdem obiecti, dicuntur Vesperae secundae de praecedenti absque commemoratione sequentis. Scimus liturgicos scriptores, sequentes Gavantum (*sect. 3, c. 8, n. 13*), non accipere dies infra octavas tamquam festa semiduplicia, ex natura sua ius habentia ad primas et secundas vesperas; ita ut quando dies octava occurrit in dominica privilegiata,

et pridie actum sit de VII die infra octavam, omnes doceant Vesperas fieri de Sabbato, a capitulo de Dominica cum commemoratione diei octavae; aiunt enim officium diei VII infra octavam desinere ad nonam. Sed hoc non placet Guyeto cui subscribimus uti supra notatum est (N. 176).

Scribit autem Guyetus (l. 4, c. 6, q. 7): " Nonnisi improprie dictum est officium diei infra Octavam terminatum fuisse ad Nonam, nisi quatenus Vesperae fiunt de die Octavae; quod si contingat, ut Vesperae non sint eiusmodi, quidni continuanda erit in iis Octava eo modo quo fieri potest, nempe sumendo psalmos et Antiphonas de ipsa ex secundis Vesperis festi, Capitulum vero et cetera deinceps de Dominica, cum commemoratione Octavae per Antiphonam ad *Magnificat* et versum ex primis Vesperis? „ Item alio loco (*l. 4, c. 13, q. 6*) docet: " Officium diei Octavam praecedentis (VII) haud censetur terminari proprie ad Nonam, nisi quia Vesperae fiunt de die octava sequente, quidni in eo casu in quo dies Octava supprimitur, continuabitur in Vesperis et Completorio officium diei illius infra octavam, perinde atque continuatur aliorum nullo festo sequente? Hoc certe Rubricis et rationi longe conformius est, quam si festivo officio usque ad Nonam producto „. Et concludit aptissimis verbis: " ..... at in casu proposito, cessante prorsus et quoad officium et quoad commemorationem die Octava, absurdum non est, imo perquamcongruum, officium inchoatum diei infra octavam absolvere, cum nihil aliunde obstat. Aio itaque Vesperas de eo recitandas ritu semiduplici ad instar aliorum dierum infra Octavam, videlicet ut in secundis Vesperis festi „.

Ex qua lectissima et rationabili doctrina perillustris Guyeti, manifestum fit dies infra octavas vere

ius habere per se ad primas et secundas vesperas, dicuntur tamen semper secundae Vesperae festi, eo quod primae sequentis diei impediuntur ex identitate obiecti, ideoque illud neque commemorari potest.

(210) *et in primis Vesperis diei octavae omnia sicut in primis Vesperis Festi;* quia dies octava aequiparatur in omnibus festo duplici, primas et secundas Vesperas habenti. Cum autem post Nonam diei septimae infra octavam initium habeat, dictum festum a primis Vesperis incipit, et desinit, more aliorum eiusdem naturae festorum, ad secundas. Et quamvis idem sit festi officium, quod in die octava iteratur, quibusdam plus minusve mutatis, nihilo tamen secius ad instar veri festi habetur, utpote complementum illius, quod ante octo dies coeptum est.

(211) *nisi aliter in propriis locis notetur*, quia, uti iam innuimus, quandoque aliquid proprii habetur in die octava, ac proinde etiam in Vesperis.

TEXTUS.

(Titulus VII).

N. 6.

Infra Octavas non fiunt Suffragia consueta de Sanctis (212), nec dicuntur preces ad Primam et Completorium (213) etiamsi fiat Officium de Dominica, vel de festo semiduplici (214). In aliis, quomodo sit ordinandum Officium de Octava, habentur inferius propriae Rubricae (215).

(212) *Infra octavas non fiunt Suffragia consueta de Sanctis.* Huiusmodi suffragia, nonnisi commemorationes

sunt, communes tamen, quae in semiduplicibus admittuntur, quales dies infra octavam sunt. Nihilominus in his semiduplicibus excluduntur, ait Cavalerius, ad maiorem celebritatem, quam octavae significant et indicant (*Tom. II, cap. XXXIII, n. 1*). Dies enim infra octavas, licet semiduplici ritu recolantur, solemnitatem festi quod in ipsis continuatur et producitur, non amittunt, ideoque suffragia, quae dicuntur tantum in diebus infimae solemnitatis, infra octavas omittuntur.

(213)... *nec dicuntur preces ad Primam et Completorium*, eadem propemodum ratione; hinc ait Gavantus: " Infra octavas (*preces*)... non dicuntur... vel quia octava habet rationem unius festi, vel quia praedicti dies habent solemnitatem officii (*Sect. X, cap. XVII, n. 7*). „

(214) *etiamsi fiat officium de Dominica, vel de festo semiduplici;* quia quodvis officium, quod celebratur infra octavas, sit semiduplex Sanctorum, sit dominicale, in partem quodammodo venit solemnitatis, quae octavae inest, de qua saltem fit commemoratio.

(215) *In aliis, quomodo sit ordinandum officium de octava, habentur inferius propriae Rubricae:* titulo nempe XII, qui ceterum pro singulis partibus ad alios titulos remittit, qui proinde in officio, seu de diebus infra octavam, seu de die octava, consulendi sunt.

TEXTUS.

(Titulus VIII)

N. 1.

De Officio Sanctae Mariae in Sabbato (216).

In omnibus Sabbatis per annum (217) extra Adventum et Quadragesimam (218), ac nisi Qua-

tuor Tempora aut Vigiliae occurrant (219), vel nisi fieri debeat de feria propter Officium alicuius Dominicae aliquando infra Hebdomadam ponendum, ut in Rubrica de Dominicis dictum est (220), et nisi fiat officium novem lectionum (221), vel de Octava Paschae et Pentecostes (222), semper fit Officium de Sancta Maria (223) eo modo quo fit de Festo Simplici (224), quemadmodum circa finem Breviarii disponitur (225). De Festo autem simplici in Sabbato occurrente, fit tantum commemoratio (226).

(216) *De officio Sanctae Mariae in Sabbato.* Quoniam, uti Tetamus censet, gravioribus auctoritatis momentis fretus, statim post Deiparam in caelum receptam, dies Sabbati in eius honorem consecrari coeptum fuit, ita subsequentibus saeculis nullus eam honorandi aptior modus adinventus est, quam cum officii pro ea instituti recitatione (*Tract. I, Lib. II, Cap. VII: Notand. in Sabb.*). Hinc ortum quoque postmodum habuit peculiare officium, quod cum pro die Sabbati redactum fuerit, nuncupatum est: *Officium Sanctae Mariae in Sabbato.* De quo haec habet Gavantus (*Tom. 1, p. 1, Tit. 4*): " Sabbatum dicatum esse Beatae Virgini Deiparae constat... meminit huius ritus Micrologus, cap. 60. Urbanus II in Concilio Claramont anno 1096. Officium in Sabbato Beatae Virgini destinavit, et a Monachis Ecclesiae occidentalis inductum hunc ritum scribit Baronius anno 1156. „ Et alio loco (*Tom. 2, sect. 8, c. 6, n. 1*) ait: " Non est ergo votivum, ut aliqui scripserunt, sed praeceptivum, quod habet originem improprie a voto Ecclesiae, si votivum contendas esse. „ Postea subtexit:

" Totum hoc officium cum Lectionibus Ss. Patrum singulo mense pro varietate legendis, iussu Pii V. fuit compositum et editum, Clemens VIII. illud recognovit, mutata tantum lectione pro mense Aprilis, quae erat S. Epiphanii, nunc vero S. Hieronymi (*Loc. cit. n. 3*). "

(217) *In omnibus Sabbatis per annum*, exceptis excipiendis, officium fit tamen de S. Maria. Quamvis omnia Sabbata per annum specialiter sint Deiparae dicata, nihilominus haud omnia paris sunt iuris, ut dictum officium recitari possit. Eapropter pro dictis Sabbatis illa tantum intelligas, quae impedita non sunt. Dupliciter autem impediri possunt, vel videlicet digniori officio, etsi eiusdem ritus, vel ritu potiori. *Digniori* diximus *officio*, quod non oritur ex dignitate personae, sed ex ipsius officii praestantia: hoc autem pertinere etiam potest ad personam minus dignam, uti ex. gr. accidit in vigiliis Apostolorum, quarum nihilominus officia praestantiora sunt ex dispositione Ecclesiae.

(218)... *extra Adventum et Quadragesimam;* quorum temporum feriae primam exceptionem constituunt, quia maiores sunt. Hinc, quando officium ob aliquod impedimentum de iis fieri nequit, semper saltem commemoratio agenda est. His autem feriis cedunt Sabbata per annum propter excellentiam temporis. Tempus enim Adventus Deo dicatum est peculiariter, cuius Nativitatem praeit, nobisque opportuniora subsidia tribuit, ut ad solemnitatem praefatam nos praeparemus. Ideoque eiusdem temporis ferialia officia potius quam de Sancta Maria in Sabbato, nisi aliter impedita fuerint, recitamus, ut diligentiori studio huic praeparationi vacemus. Tempus autem quadragesimale destinatum ab Ecclesia est tamquam praeparatio

ad paschalem ex solemnitatibus maximam nobis utilius Deoque gratius celebrandam. Hinc neque convenit, ut ferialia quadragesimalia officia, in Sabbatis occurrentia, pro officio Deiparae relinquamus, eo magis quia officia huiusmodi habent lectiones homiliae in Evangelio proprio.

(219)... *ac nisi quatuor temporum aut vigiliae occurrant;* alteram quatuor temporum feriae exceptionem faciunt, quippe quae maiores quoque sunt, ut temporum Adventus et Quadragesimae, proindeque eiusdem iuris atque illae. Sed praeter dictas ferias maiores, excipiuntur etiam vigiliae, quarum nulla fit distinctio inter privilegiatas et non privilegiatas. Ut consequenter cuiuscumque vigiliae officium, si in Sabbato occurrat, aliud S. Mariae officium impediat. Ratio esse potest, quia vigilia relationem dicit ad festum, cuius est praeparatio, adeo ut non conveniat eam praetermittere propter officium, quod nullam cum liturgicis festis relationem dicit. Praeterea vigiliae magna in veneratione sunt habendae, et maximi habitae fuerunt antiquitus, in quibus, ante quaedam saltem festa, tota nocte populus vigilabat: quamvis nonnisi earum officia serventur in praesens. Hinc etiam in venerationem vigiliarum sapienter Rubrica disposuit, ut earum officium praevaleat alteri S. Mariae in Sabbato, quod, liturgicis inspectis rationibus, minoris est gravitatis.

(220) *vel nisi fieri debeat de feria propter officium alicuius Dominicae aliquando infra hebdomadam anticipandae, ut in Rubrica de Dominicis dictum est*, quod videlicet propria die festo duplici impeditur. Ratio huiusce exceptionis est, quia licet hoc officium sit feriale, plura de dominicali habet, hoc est: tres lectiones homiliae in Evangelio Dominicae anticipatae, cum

tribus propriis eiusdem Dominicae responsoriis, antiphonam ad *Benedictus*, et Orationem, quae pariter de Dominica esse debent. Cum itaque huiusmodi officium non sit totum de feria, sed ex parte etiam dominicale, convenit omnino, ut, quamvis ritu simplici peragatur, officio S. Mariae in Sabbato praevaleat, eiusdem quidem ritus, non tamen praestantiae eiusdem.

(221) *et nisi fiat officium novem lectionum.* Exceptiones, de quibus hucusque locuta est Rubrica, dignitatem officii respiciunt; sed nunc primam exceptionem ponit, quam altera sequitur, quae ritum tangit. Officium enim novem lectionum, generaliter loquendo, aut duplicis aut saltem semiduplicis est ritus: quod proinde, iuxta alias Rubricas, praevaleat necessarium est cuicumque alii officio ritus inferioris, nisi ex peculiari privilegio aliter fieri oporteat. Cum itaque officium S. Mariae in Sabbato sit ritus simplicis, cuicumque alii novem lectionum cedere debet.

(222) *vel de octava Paschae et Pentecostes.* Huiusmodi secunda exceptio, quam hic ponit Rubrica, inutilis prima fronte apparet, quia officium de hisce duabus octavis nonnisi semiduplicis est ritus in Sabbatis, quae dies octavas praecedunt; ergo fieri nequit in iis de S. Maria. At, penitius si rem inspicias, facile confiteberis, prudenter hanc quoque exceptionem alteram fecisse Rubricam, ut omnis videlicet excludatur ambigendi ratio. Paulo namque superius Rubrica edixerat, officium S. Mariae in Sabbato impediri a festo novem lectionum; at officia totius octavae seu Paschae seu Pentecostes, sunt trium haud novem lectionum, licet semiduplicis ritus. Ut ergo quaevis dubii umbra evanesceret, et claritas abunde luceret, explicite de officio harum octavarum loqui voluit, specia-

lem pro ipsis exceptionem ponens: quae tamen, utpote in aliis, de quibus supra, exceptionibus inclusa, praetermittitur in alia Rubrica speciali, posita ante officium S. Mariae in Sabbato.

(223)... *semper fit de Sancta Maria...* Ita revera faciendum erat de praecepto usque ad annum 1883, in quo per Generale Decretum eiusmodi Rubrica saltem indirecte aliquid mutationis passa est. Namque die 5 Iulii praefati anni Summus Pontifex Leo XIII per S. R. Congñem Decretum vulgavit *Urbis et Orbis*, quo concessit Generale Indultum recitandi singulis per annum hebdomadum diebus, officio novem lectionum non impeditis, speciale officium votivum, exceptis tantummodo feriis: Cinerum, Passionis, et Adventus a die 17 ad 24 Decembris. Consequenter, praefata inspecta concessione, officium de S. Maria in Sabbato impraesentiarum non est amplius in casu recitandum de praecepto nisi a Congregationibus et a Capitulis quae praedictum indultum non acceptarunt.

(224)... *eo modo quo fit de festo simplici.* Cum enim Officium S. Mariae sit feriale, ritu simplici recolendum est.

(325),.. *quemadmodum circa finem Breviarii disponitur,* hoc est in Rubrica speciali, quae officio S. Mariae praemittitur, atque in ipso officio, quod habetur post Commune Sanctorum et Dedicationis.

(226) *De festo autem simplici, in Sabbato occurrente, fit tantum commemoratio.* Festa simplicia in casu minoris sunt dignitatis, quia ad Sanctos pertinent, Officium vero S. Mariae in Sabbato, dignius est dignitate personali, ideoque bene haec Rubrica praescribit de festo simplici Sanctorum tantum commemorationem fieri. Neque dicas in casu officium B. Mariae esse *secundarium* et aliud festum simplex Sanctorum

primarium, quia ex institutione ecclesiae, uti supra retulimus ex Gavanto, dies Sabbati ita B. Mariae dicata est, ut propria dies dicenda sit, et in casu rationem *primarietatis* quodammodo sibi usurpat.

(Continuabitur)

Doctor Petrus Piacenza.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

SUPER RUBRICIS BREVIARII ROMANI.

II.

In quadam Ecclesia Titulus est Visitatio B. M. Virginis, quae die 2 Iulii recolitur, et, uti par est, sub ritu duplici primae classis cum octava. Cum autem dicta octava in aliam incidat, quae est Ss. Apostolorum Petri et Pauli, vehemens et quotannis illa in Ecclesia agitatur quaestio, seu circa unius praecedentiam commemorationis octavae prae altera, seu etiam circa alterutrius recitationem officii, quando aliud non occurrit festum infra illas potioris saltem ritus recolendum. Licet enim hucusque commemoratio de Visitatione, sicut et de ipsa officium ratione dignitatis, in occursu cum alia octava praevaluerit; plures nihilominus post de primariis et secundariis festis resolutam quaestionem contendunt, digniorem octavam alteri minus dignae praeferendam,

sed octavam Apostolorum digniorem esse octava Visitationis, quemadmodum festum illud dignius est isto. Anceps Caeremoniarum magister Ecclesiae haec inquirit:

1. *Utrum, vi Rubricarum Breviarii Romani admittenda sit dignitas* personalis, *et dignitas* obiectiva *festorum, et quaenam, si affirmative, ceteris paribus, in occursu praevaleat?*

2. *Utrum eo semper dignior sit octava, quo dignius est festum, ut sicut festum dignius festo minus digno, ita dignior octava alteri minus dignae sit praeferenda, seu ad commemorationem seu ad officii quod attinet recitationem?*

3. *An bene se gesserint antiqui, an rectius iudicent recentes, quidque pro casu proposito concludendum?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione liturgica Rev. Dom. Iosephi Duyer, de alumnis Pontif. Collegii Urb. de Propaganda Fide, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam die 6 Decembris 1893: acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Alphonsum Carinci ex Apostolicarum Caeremoniarum magistris.

I. Inquiritur primo, utrum dignitas obiectiva seu personalis, et dignitas relativa festorum admittenda sit nec ne, vi Rubricarum Breviarii Romani? Et, si affirmative, utra, ceteris paribus, praevaleat in occurrentia?

Ut proposito quaesito fiat satis, dispescamus illud oportet in tres partes: quarum in prima dicemus de dignitate *personali*, in secunda de digni-

tate *obiectiva*, in tertia de praelatione alterius super altera. At primam quaesiti partem esse affirmative resolvendam, nemo, Rubricis Breviarii inspectis, inficias ibit. Praenotamus imprimis, auctores diversa se ratione exprimere, ad verba quod attinet, dum de hac duplici dignitate pertractant. Primam enim dignitatem, quae ad subiectum pertinet, nunc *personalem*, nunc *intrinsecam*, nunc *subiectivam*, nunc quoque *obiectivam* nuncupant. Alteram vero, modo *extrinsecam*, modo *relativam*, modo *dignitatem festi*, modo etiam *obiectivam* dicunt. Ne in obscurum, quod a diversa verborum significatione oritur, incidamus, nos impraesenti dignitatem personae seu subiecti, personalem vel subiectivam semper appellabimus: alteram quae ad festum pertinet, dicemus *obiectivam*, seu *dignitatem festi*. Quod nihilominus nihil vetat, quominus illa nuncupari quoque iure possit *intrinseca* haec vero *extrinseca*, uti post alios cl. Doct. Piacenza egit (*V. Ephem. Liturg, anno II, pag. 597*).

His praenotatis, dicimus esse omnino extra controversiam positum, dari in singulis festis liturgicis, quas Ecclesia celebrat, dignitatem personalem, secundum quod eadem festa ad hanc vel illam personam, nunc directe, nunc indirecte pertinent. Proinde dignitas personalis distingui potest in festis, prouti una persona, de qua festum colitur, ab alia distinguitur. Et sane plura sunt festa Domini in Ecclesia, plura quoque Deiparae, pluraque Angelorum et Sanctorum: in quibus singulis dignitatem personalem diversam admittere opus est, cum diversae sint personae, de quibus festa celebramus. Ipsamet autem fides docet, alium tribuendum esse Deo cultum, quem

latriae dicimus, alium Deiparae, qui iperduliae nuncupatur, alium denique Angelis et Sanctis, nempe duliae. Haec autem disparitas cultus ab ipsa disparitate personarum derivat, ex qua oritur quoque diversitas dignitatis, quae diversas personas respicit.

Sed Rubricae consulendae, et videndum, utrum de hac diversa personarum dignitate nos edoceant: quod nullius est negotii. Namque Titulus XI prae aliis (*num. 2*) verba facit de festis Domini, quae in pari solemnitate ceteris aliis praeferri iubet: de festis Deiparae, aliis quoque praeferendis Angelorum festis: de festis Angelorum, quae vult ut festis Sanctorum praevaleant: ac denique inter ipsa Sanctorum festa, alia aliis praeferenda esse praescribit. Ergo quaestio huiusmodi nullius momenti est, et dubio procul extat in omnibus singulisque festis liturgicis dignitas personalis, quam admittere necesse est.

Ad aliam proinde progrediamur partem, quae maiori fortasse difficultate laborat: et quaeramus utrum unumquodque festum, praeter personalem dignitatem, alia quoque sit praeditum, quam obiectivam diximus. Verum et huic dubio cogimur, ratione liturgica et Rubricis perpensis, quas authentice S. R. Tribunal interpretatur, affirmative respondere. Namque, ad liturgicam quod attinet rationem dicendum est, singulis festis quamdam inesse peculiarem excellentiam, ex qua festum aliquod, etiam minus dignum ratione personae, nihilominus magis dignum est ob peculiaria rerum locorumve adiuncta, quae idem festum comitantur. Ita festum Patroni loci praecipuum, dignius adeo est, ut magis sit considerandum re-

spectu etiam habito ad festa Deiparae, ipsiusque Domini. Festum alicuius Sancti Mart. vel Confessoris, cuius insignis asservatur reliquia in aliqua Ecclesia, fieri potest ut altero sit praestantius, quod ad aliquem ex Apostolis pertineat, qui tamen ratione personae est dignior. Porro eiusmodi dignitas appellari nequit personalis, quia personam per se non tangit; attamen festum respicit, quod dignius reddit, ut proinde iure nuncupari queat obiectiva, seu dignitas festi.

Hanc autem dignitatem duo principaliter videntur constituere, scilicet ritus primo, secundo primarii praerogativa, ex qua aliqua festa decorantur prae aliis. Diximus primo, *ritus;* quia quacumque alia qualitate festum aliquod decorari contingat, nunquam alio potioris ritus potest esse dignius, si a speciali privilegio abstrahas. Diximus secundo, *primarii praerogativa,* haec enim festa prae aliis eiusdem ritus digniora indubie reddit, quod impraesenti amplius dubitare non licet. Hinc admittendum, dignius esse ex. gr. festum S. Annae, nulla personali dignitate liturgica praeditum, quam festum SSmi Redemptoris, haud obstante dignitate sua personali; quia illud est duplex secundae classis, istud vero duplex maius. Quinimo idem admittendum quoque est, si duo festa conferas inter se, quorum alterum sit praeditum dignitate personali et qualitate primarii et nihilominus sit inferioris ritus; et alterum careat dignitate personali liturgica et qualitate primarii, sit tamen ritus superioris: uti ex. gr. festum Transfigurationis Domini quod duplex maius est atque primarium, et festum mobile, puta Translationis Reliquiarum in aliqua Ecclesia, quod se-

cundarium est, et duplex secundae classis supponimus. Ritus ergo primum est quod dignitatem obiectivam festi constituit, quem sequitur alterum, quod in qualitate primarii consistit; quia solum post ritum consideratione dignum esse potest, uti facile patet. Ea propter ex duobus festis quibuscumque ritu paribus, illud erit dignius dignitate obiectiva, quod prae altero primarii praerogativa gaudet. Ita ex. gr. dignius est festum S. Ioannis Baptistae, quam SS̃mi Cordis Iesu: dignius est festum S. Benedicti, quam SS̃mi Redemptoris: dignius festum Sancti cuiuscumque, cuius Ecclesia aliquà possidet corpus, quam SS̃mi Cordis Deiparae, si ambo duplicia maiora sint, etc. etc. quia illa sunt primaria, ista vero secundaria.

Haec autem omnia ex Rubricis certo constant. Nam si Titulum X perpendas (*n. 1*) De translatione festorum, habebis, festa quaedam, uti ex. gr. Deiparae, S. Ioseph, Ss. Apostolorum Petri et Pauli, et S. Ioannis Baptistae, nulli festo mobili cedere, quod eadem die possit in locis occurrere; et nihilominus, citra dubium, occurrens in locis festum eiusdem esse posset ritus, sed dignitate personali maius. Item tria festa solemniora locorum, Patroni, Dedicationis et Tituli Ecclesiae propriae, aliis quibuscumque festis nequaquam cedere, vi citatae Rubricae, solemnioribus exceptis universalis Ecclesiae; et nihilominus nullum dubium, quin aliud festum cum iis posset occurrere, personali dignitate praestantius.

Hinc facile inferes, aliam eiusdem Tituli Rubricam (*num. 6*) eadem prorsus esse ratione intelligendam: ut quando praedicat, duobus dupli-

cibus vel semiduplicibus occurrentibus faciendum esse de digniori seu solemniori, intelligenda sit de digniori obiective sumpto, seu de festo praestantiori ob dignitatem obiectivam, si ea festum gaudeat, non vero de personali. Idem quoque sentias de numero sequenti, qui ad translationem seu per accidens seu perpetuam (1) pertinet, nec non de Titulo XI, qui concurrentiam respicit. Haec enim, et ex superius expositis liquido profluunt, et S. R. C. abunde confirmat per Decretum Generale IAMDUDUM d. d. 27 Iun. 1893, ac die 2 Iulii eiusdem anni a Summo Pontifice confirmatum. Hoc autem per alterum recentius ex-

---

(1) Decretum *Iamdudum* iubet, festa primaria aliis secundariis esse praeferenda in occursu, in concursu et REPOSITIONE. Quid sit occursus, quid concursus, Liturgiae cultores norunt: quid vero pro repositione intelligendum sit, non ita fortasse perspicuum. Animadvertimus, verba in praefato Decreto adhibita, et in eorum quam exhibent significatione, tuto secureque retineri et adhiberi posse (quidni et debere?) ab omnibus: de quo profecto nemo ambiget. Nunc quaerimus: verbum *repositio* in casu significatne *translationem per accidens?* Adeo perspicua res est, ut probatione non indigeat: ceterum, de hoc dubitare nemo ex peritis rationabiliter potest. Item, idem verbum significatne *translationem perpetuam?* Neque de hoc licet dubitare, sive quia festum primarium, etiam in translatione perpetua, vere dignius est secundario, ut, ceteris paribus, praeferri debeat: sive quia repositio, quam auctores nonnulli et mutationem dixere, proprie hucusque accepta fuit pro translatione perpetua. Quid ergo repositionis nomen significat, de quo Rubricae silent, auctores loquuntur, et Decretum *Iamdudum* explicite fatur? Ni fallimur, iure huius verbi significatio hoc sensu accipi potest et debet, ut applicanda repositio sit ad utramque translationem; et sicuti translatio indicat actum removendi festum a die sua, sive ad tempus, sive pro semper, ita repositio significat officii vel festi collocationem a sua in alia die. Et hoc nobis magis arridet, quia verbi significationi magis respondet, uti patet.

plicatur, nempe EVULGATO, d. d. 14 Aug. 1894: ut proinde citra omnem quaestionem indiscutibile sit impraesenti, in festis liturgicis dari, praeter personalem seu subiectivam, etiam obiectivam dignitatem, seu dignitatem festi, quae ab illa toto caelo differt.

Tertia pars remanet quaesiti, cuius tamen solutio nullam habet difficultatem, cum ex praemissis certum sit consectarium: parum proinde super ea immorabimur. Demonstratum namque est, Rubricas admittere dignitatem, tam subiectivam quam obiectivam, videlicet seu personae seu festi. Si ergo duo habeantur festa, ex quibus alterum subiectiva, alterum obiectiva dignitate fulgeat, utri praelatio tribuenda? Inficiandum non est, vi earumdem Rubricarum, praecedentiam competere festo, quod obiectiva dignitate pollet; eo quod hoc festum Rubricae dignius appellant prae alio, et de digniori (1) faciendum esse dicunt. Quod in duobus mox citatis Decretis eadem S. R. C. sancit et firmat; ergo festum dignitatis potioris obiectivae alteri praeferendum dignitatis superioris

(1) Haec duo verba *dignius* et *solemnius* saepe iterantur in Rubricis, et unum videtur sumi pro alio: quod plures nihilominus negant. Utcumque res sit, impraesenti ita dignius et solemnius in sensu Rubricarum accipienda sunt, ut festum primarium, prae alio secundario, in paritate ritus, semper sit dignius atque etiam solemnius, consequenter praeferendum alteri, nihil in contrarium faciente dignitate personali. Qualitas enim primarii maiorem inducit in festis dignitatem et solemnitatem. Dicendum est autem solemnitatem, ab externa pompa abstrahentes, ex ritu constitui primo, secundo ex qualitate primarii; at praecipue ipsam obiectivam dignitatem constituunt, et idem ritus et primarii qualitas. Equidem solemnitas dicitur etiam ex personae excellentia

personalis. Quod, uti patet, in paritate ritus intelligas oportet: secus indubie dignitas personalis dignitati obiectivae praevaleret.

II. Quaeritur secundo, utrum eo dignior sit octava quo dignius est festum ad quod pertinet, sitque proinde praeferenda alteri minus dignae, seu quoad officium seu quoad commemorationem.

Octavam esse festi continuationem, diem vero ultimum esse illius perfectionem, adeo ut pro una sint festivitate singuli dies festi octavam habentis computandi, licet diverso gaudeant ritu, auctores omnes affirmant et probant. Item nec inficiandum, octavam sequi festum sicut accessorium sequitur principale, quod pariter universi fatentur auctores. Ex quibus iam satis apparet, affirmativam huic proposito quaesito exhibendam esse responsionem; si enim dignius festum praevalet minus digno, indubie concludendum, octavam quoque digniorem minus dignae octavae praeferendam esse. Sed auctores nonnulli, qui exposita principia admittunt, huic corollario, quod legitime omnino ex illis descendit, refragantur. Legantur ex.

---

constitui, postremo tamen loco, nempe post ritus et primarii qualitatem: quae excellentia constituere non potest dignitatem obiectivam, sed tantum subiectivam. Concludendum proinde, dignitatem obiectivam et solemnitatem (quae tamen intrinseca dicitur) in duobus convenire, in uno differre: ut pro una eademque re sumi non possit dignitas obiectiva et solemnitas intrinseca. Cum nihilominus dignitas liturgica saepe deficiat in festis, saepe quoque accidit, ut et dignitas obiectiva et intrinseca solemnitas idem prorsus significent. Quidquid sit, dignitas obiectiva vi Rubricarum dignitati personali semper est praeferenda; atque ita intelligendae Rubricae, cum de digniori seu solemniori officium faciendum esse praedicant.

gr. Cavalerius (*Tom. I, cap. 1, Decr. 22*), A Carpo (*Bibl. pars 2, cap. 15, n. 191*), quos sequitur Patroni (*Lect. 11, n. 100, fol. 148*) et perspicue videre erit, haud semper octavas iisdem gaudere praecedentiae iuribus ac festa, ad quae pertinent. At non ita rem se habere dicendum est, maxime in praesenti post absolutam inter primaria et secundaria festa controversiam. Namque, si nunc duo simul occurrant festa duplicia II classis cum octava, quorum alterum sit primarium, puta natalis alicuius patroni secundarii, alterum Deiparae secundarium, certo certius de illo prae isto agendum est iuxta Rubricas et Decreta. Iam nunc quaenam adesse ratio potest, ut praelatio quae festo tribuitur, octavae foret deneganda, cum haec sit eiusdem festi continuatio? Porro quod de allato praedicatur exemplo, non est, cur ad alia sine numero festo non sit extendendum. Posito enim, festum aliquod alii praevalere, palam sequitur illius quoque octavam praevalere alteri, cum de uno eodemque festo agatur.

Ratio fortasse, ob quam auctores citati oppositam tenuere sententiam, in hoc sita est, quod festa aliqua octavam habentia, aliis praeferantur ex privilegio. Quod autem constat concessum esse privilegium festo, non satis constat, etiam eorum octavis fuisse extensum: ita ipsi ratiocinari videntur. Sed primo, si constat, uti certum est, de privilegio, quod festo alicui concessum est, constare pariter debet, idem privilegium illius octavam afficere, quae eiusdem festi continuatio est; ergo haec ratio allata videtur esse pro nihilo computanda. Secundo, festa Assumptionis Deiparae, S. Ioannis Baptistae, Ss. Apostolorum Petri

et Pauli, quae dicti auctores in exemplum afferunt, non praeferuntur aliis dignitate personali excellentioribus ratione privilegii, sed ex eorum natura, ut ita dicamus: quatenus nempe ea festa, quamvis non maxima ex subiectiva dignitate, maxima tamen sunt ratione solemnitatis in universa Ecclesia, eisque nec ritus deest, nec ratio primarii. Cum autem accessorium, seu octava, sequi debeat naturam principalis, scilicet festi, concludendum est, illorum, uti quorumcumque aliorum festorum octavam, esse praeferendam semper aliis octavis, ad festa pertinentibus, quae minus digna sunt dignitate obiectiva.

Hoc autem, sicuti conforme est Rubricis Breviarii, quorum principiis innitimur, ita apprime respondet menti S. R. Tribunalis. Namque in una *Aquileiensi* declarat: « Festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae rite praeferri festo Dedicationis (*21 Aug. 1688 ad 1*). » In una *Sabinen.* clarius docet: « octavam Omnium Sanctorum (*octavae Dedicationis*) praeferendam, tamquam digniorem (*5 Mart. 1695 ad 1*). Denique in una *Vicariatus Apostolici*, occurrentibus octavis S. Francisci Xaverii Patroni, et Immaculatae Deiparae Conceptionis (tunc duplicis II classis) S. C. definit, faciendum die 9 Dec. de infra octavam Patroni cum commemoratione Imm. Conceptionis (*24 Martii 1860 ad 1*). Quod idem est ac dicere, dignitatem personalem esse negligendam non solum in festis, sed etiam in eorum octavis, quando eidem praevalet dignitas festorum. Haec autem, tam ritum quam classem, sicut et qualitatem primarii, comprehendit, licet de hac ultima in citatis Decretis non agatur. Ea propter optimo iure arbitramur

posse concludi, sicut eo dignior est octava, quo dignius est festum cui inhaeret, obiective tamen; ita eamdem octavam digniorem alii minus dignae, obiective pariter, praeferendam esse.

Hoc porro officium respicit primo, uti per se patet; sed et eadem ratione respicere pariter commemorationem dicendum est, quae pars est officii, eiusque impediti vices supplet.

III. Quid ergo censendum in casu? Recte ne se gesserunt antiqui, an potius recentiores?

Habetur in exposita quaestione occursus festi Visitationis Deiparae Titularis Ecclesiae, et SS. Petri et Pauli, aliquando circa officium, aliquando circa commemorationem, cum videlicet infra dictas octavas duplex festum occurrit. Antiqui stant pro officio et commemoratione marialis festi praeferendis octavae Titularis: recentiores contrarium tenent. Pro quibus ex dissentientibus ratio pugnat? Principiis superius expositis freti respondemus, antiquos nimis considerasse dignitatem personalem, quae etiam ante definitionem quaestionis super primariis et secundariis festis, computanda non erat. Sane Rubricae docuerunt semper festa solemniora universalis Ecclesiae nulli alii festo cedere (*Tit. X, n. 1 De Transl. fest.*); ergo neque eorum octavas, quae festum aliud non constituunt, sed idem continuant. Consequenter, sicuti occurrente festo solemniori universalis Ecclesiae, et Titulari Ecclesiae propriae, illud agendum erat, hoc transferendum; ita, nec controversiae de primariis et secundariis festis resolutione posita, octava illius praeferenda erat octavae Titularis. Excusandi nihilominus sunt hi dissidentes, quia negotium plane perspicuum non

erat, cum nonnulli ex auctoribus eorum sententiae faverent. At nunc, perfecte quaestione dirempta, negotium declaratum videtur. Namque, cum impraesentiarum definitum sit, festum primarium esse praeferendum secundario; definitum pariter manet dignitatem in festis liturgicis obiectivam esse dignitate subiectiva seu personali potiorem; adeo ut festa, quae illam possident, aliis, quae hac tantum gaudent, sint, ceteris paribus, praeferenda. Quare autem, nisi quia dignitas obiectiva reddit festum solemnius? Decretum enim *Iamdudum* edicit, festa primaria *utpote solemniora*, esse aliis praeferenda. At solemnitas, uti diximus, non solum ex qualitate primarii constituitur, sed etiam ex ritu et ex aliis rerum locorumque adiunctis (1); nec alia de causa festa maxima totius Ecclesiae aliis praeferuntur locorum etsi primariis, cuiuscumque sint dignitatis. Ergo potiori iure quam antea, nunc iudicari potest, festa universalis Ecclesiae solemniora, quippe quae maiori dignitate obiectiva condecorata, aliis quibuscumque locorum semper esse praeferenda, neglecta etiam personali dignitate, si ea gaudeant. Quod autem de festis, idem de eorum octavis censendum credimus, inspectis superius expositis.

(1) Ni fallimur, hoc statui potest pro dignitate potiori obiectiva, seu solemnitate: 1. ritus superior; 2. qualitas primarii; 3. maior personae excellentia: 4. festum proprium; 5. festum fixum. Pro minori autem dignitate: 1. ritus inferior; 2. qualitas secundarii; 3. minor personae excellentia; 4. festum non proprium; 5. festum ad instar mobilis. Illa, exposito ordine, istis praeferenda videntur.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Melita.* **De Missa Rogationum post processionem.** In omnibus paroeciis, quae officium publicum non faciunt, in diebus Rogationem fit processio, sed non dicitur Missa. Canenda ne, vel saltem legenda?

Resp. Affirmative, vel canenda, si fieri possit, vel saltem legenda: adeo ut, quamvis pro dictis paroeciis Missa in cantu praeceptiva non sit, est nihilominus praeceptum quoad lectam, si tamen processio fiat. Id aperte declarant Decreta in una *Tridentina* 12 Mart. 1836 ad 10, et in una *Briocen* 14 Aug. 1858 ad III. Sequitur, consuetudinem, de qua in casu, probari non posse, et esse mutandam, conformemque legi reddendam.

II. *Ex Urbe.* **De Diacono vices Sacerdotis agente.** Potestne Diaconus, etsi Sacerdos haberi possit, post solemniorem Sacramenti expositionem ac thurificationem a se peractam, ad pedes altaris pium aliquod exercitium peragere, preces devotas recitare, Oremus canere, omnia cum stola transversa?

Resp. Negative. Diaconum graece, idem esse ac latine ministrum, neminem fugit. Ergo ea tantum officia competunt Diacono, quae non uti dominum, sed ut ministrum ostendunt, et propria sunt non potestatis absolutae, sed ministerii seu servitii. Dominus autem est Sacerdos, et Episcopus, in quo sacerdotii plenitudo residet: his debet ministrare Diaconus; et quidquid agit cum Sacerdotis

dependentia agit, vel cui inservit, vel a quo delegatur ad aliqua officia explenda, quae ad suum ordinem spectat. Ut quae breviter hic exposuimus, docte atque erudite Rev. Consulens demonstrata habeat, attente legat suffragium integrum cl. Gardellini, quod *Ephemerides* alias retulerunt (*Ann. 1890, Dubium, pag. 404 et seq.*). His positis, quaerimus ad quodnam pertineant officium, sacerdotale an diaconale, actus de quibus in casu? Uti patet, hic Diaconus quasi Sacerdos agit, alii Diacono ministrant, ipse vero nemini: a se agit, tamquam potestatem habens, et uti dominus independenter a Sacerdote officium exercet, quod extra suum officium est. Eadem transversa stola, quam gestat, significat dictum officium ei nullo pacto competere, quippe qui stolam induens, super humerum sinistrum aptat, circumducitque et ligat sub brachio dextero, ut expeditior valeat ministrare Presbytero. Porro in casu officium per se ipsum, et a seipso et pro seipso implet, nullo praesente Presbytero, nihilque de iis quae operatur, ad Sacerdotem refertur, cui nulla ratione subditum se ostendit et ministrum. Ea propter iure merito negative respondimus, adeo ut unusquisque exercere *suum*, non *alienum*, officium debeat.

Quod si quaeras ulterius, utrum eiusmodi officium implere Diaconus possit ratione necessitatis, affirmative respondemus, quod enim non licet ex lege, licitum necessitas facit. Ceterum Decretum *Tunquini Occidentalis*, d. d. 14 Aug. 1858, responsionem hanc satis superque confirmat.

III. *E Tuscia.* **De die assignata officio, ob novum festum mutanda.** In nostro Calendario dioece-

sano a S. R. Congñe approbato, officium S. Didaci C. erat affixum diei 14 Nov., et officium S. Caietani C. diei 18 Aug. Postea extensum fuit ad universam Ecclesiam festum S. Iosaphat Ep. M. affixum die 14 Nov. et Dioecesi nostrae concessum fuit festum S. Clarae V. de Montefalco, cuius dies natalis est 18 Aug.; et primo assignata fuit dies 16 Nov. et alteri dies 24 eiusdem mensis, utpote primae liberae. Num recte?

Resp. Dies *propria*, hoc est festum S. Didaci C. est 13 Nov. quamvis eius natalis sit dies 12 eiusdem mensis: dies *propria* S. Caietani C. est 7 Aug. quae et eius natalis est *(V. Martyrol. Rom.)*. Ergo in Calendario praedicto uterque Sanctus est extra diem propriam, quod idem est atque in die *assignata*. Neque officit Calendarium esse approbatum, quia S. R. C. dum festa vel officia in aliquo Calendario disponit, ordinem sequitur, qui est possibilis: ut si aliqua dies, alicuius Sancti propria, impedita sit, ex necessitate cogatur aliam diem illi assignare. Haec autem non constituit aliam diem propriam, quae una est, a Martyrologio Romano statuta, sed diem simpliciter assignatam.

S. Iosaphat Ep. M. Polocen. quamvis natalem habeat die 12 Nov. pro die tamen *propria* habet 14 eiusdem mensis, uti constat ex Decreto Gen. **Nullo unquam**, et ex Calendario universali, omnibus editionibus, recentioribus saltem, Breviarii praemisso. Porro dies *propria* indubie praeferenda est diei *assignatae;* ergo S. Iosaphat affigendus est diei 14 Novembris, a qua removendus S. Didacus, eique invenienda alia dies *assignata* in praefato Calendario. Addas velim, S. Didacum esse ritus

semidup. et S. Iosaphat ritus dup. minoris: adeo ut, etsi S. Didacus esset in die *propria*, verus daretur occursus inter utrumque festum, et primum cedere deberet alteri locum ratione ritus inferioris.

S. Clara V. de Montefalco pari iure habet pro die *propria* 18 Augusti, quae etiam diem eius natalem constituit, uti in Martyrologio Romano videre est. Cum ergo, ut supra diximus, dies *propria* praevalere debeat diei *assignatae*, et hic sequitur, S. Claram esse recolendam die 18 Augusti, eique uti *suae* affigendam; et S. Caietano aliam diem primam liberam in dicto Calendario esse assignandam.

Quod nisi fiat, ut extra diem propriam serventur duo primi Sancti, etiam alii duo extra diem propriam assignabuntur, atque ita erunt quatuor; sicque procedendo in posterum, Calendaria particularia satis inordinata fient, et Martyrologium Romanum evadet velut inanis sine mente sonus, vel littera mortua: quod omnino credimus esse vitandum. Hinc patet ad quaesitum propositum respondendum esse negative.

IV. *E Curenna.* **De praecedentia inter duo festa.** Paroecia B. habet pro Titulo Ss. Martyres Cosmam et Damianum, et pro Patrono loci praecipuo S. Michaelem Archangelum, cuius recolitur festum in illa paroecia die 1. Octobris. In diebus infra Octavam agendum ne de Titulo, an de Patrono?

Resp. Explicita est Rubrica Gen. (Tit. XI, n. 2) iubens: « Inter festa aequalis solemnitatis, servetur hic ordo, ut festa Domini praeferantur omnibus aliis... item festa Angelorum... ceteris aliis etc. »

Hic quidem Titulus agit de concursu, sed et intelligendum quoque de occursu nemo dubitat; quia Angeli liturgica dignitate pollent, qua Ss. Cosma et Damianus carent: quod ceterum plura Decreta confirmant. Ergo diebus infra octavam agendum est officium, si fieri debeat, de S. Patrono, et Titulus erit commemoratione contentus.

V. *E Senis in Tuscia.* **De qualitate cantus** *Ita Missa* **est in festis solemnioribus, si doxologia hymnorum sit de Deipara.** Immemorabilis hic viget consuetudo, ut in festis, in quibus doxologia hymnorum est de B. Virgine, etiam cantus *Ite Missa est* sit ille pro eiusdem Virginis festis in Missali assignatus, quamvis dies solemniores sint, uti in Nativitate Domini, in festo Corporis Christi etc. Potest ne consuetudo mutari, ut alter cantus adhibeatur, qui pro festis solemnibus assignatur in eodem Missali?

Resp. Quinque habentur diversi cantus *Ite Missa est* in Missali, inter quos oritur difficultas de secundo et quarto: Rubrica secundum exequendum esse dicit *In festis solemnioribus*, quartum vero *In Missis B. Mariae.* At per hanc ultimam dictionem intelligit Rubrica, non solum *in Missis B. Mariae* hanc modulandi rationem adhibendam esse, sed etiam infra eius octavas, quae ceterum alias Missas exigere possunt, quae de Deipara non sunt. Hoc constat ex quarto cantu *Ite Missa est*, qui adhibendus dicitur *infra octavas quae non sunt B. Mariae;* ergo, illatio nobis certa videtur, infra octavas B. Mariae secundus adhibendus est. Iam nunc, in pluribus, non tamen omnibus Ecclesiis, etiam Urbis, festivitates omnes, etiam solemniores, in quibus dicitur doxologia Deiparae

in hymnis, censentur quasi ad eamdem B. Mariam pertinere, et secundus cantus adhibetur. Nihilominus, utrum eiusmodi festa ob doxologiam B. Mariae vere de B. Maria sint iudicandae, haud clare perspicitur. Hinc aliae Ecclesiae, in festis solemnioribus, nisi festa ad Deiparam vere pertineant, uti Imm. Conceptio, et Assumptio, secundum *Ite Missa est* festorum solemniorum proprium adoptant; quamvis enim, vi Rubricarum doxologia saepe sit dicenda Deiparae, nihilominus festa solemniora sunt, ad Deiparam severiori sensu non pertinent, in iisque ille *Ite Missa est* cantus videtur praescriptus, qui *in festis solemnioribus* assignatur. Quidquid proinde dicere alias potuimus, negotium non ita perspicuum apparet, ut alter seu alter agendi modus possit censura dignus iudicari. Quid nihilominus censendum in casu nostro? Arbitramur, optime consuetudinem retineri posse; sed, iis consentientibus, quorum interest, mutari etiam posse, salvis Rubricis, utpote non satis perspicuis.

VI. *E Montepesulano.* **De praelatione in concursu festi Reliquiarum et alterius Sancti.** Festum Reliquiarum concurrit cum S. Pontio, et utrumque festum est dup. II. classis: quomodo Vesperae ordinandae?

Resp. Festum Reliquiarum inter primaria enumeratur in noto festorum Catalogo, et sapienter. Ad rem A Carpo, antequam S. R. C. id definiret: « Festum hoc Ss. omnium Reliquiarum, ceu primarium habendum est; quamquam enim de nonnullis Sanctis, ad quos illae spectant, contingat infra annum iterum recitari officium, difficillimum tamen est, ac pene dixerim impossibile,

ut id ipsum contingat de omnibus: quare festum eiusmodi, uti primarium saltem quoad illos censeri oportet, quorum hac tantum vice in Sacris Reliquiis memoria recurrit (*Calend. Perp. Adn. in fest. Mart. die 16, n. V*).» Iam nunc ex quo festum plurium Sanctorum, pro aliquibus ex iis est primarium, pro omnibus quoque uti tale censetur, est enim festum complexum. Hinc sequitur, inter has Reliquias, quarum recolitur festum, aliquas extare facillime posse, nisi omnino tamquam certum hoc supponi debeat, quae ad Sanctos pertinent liturgica dignitate fulgentes, atque etiam ad Deiparam ipsam, ipsumque Dominum. Propter quod eadem, quae S. R. Congñem ratio movit ad festum Reliquiarum inter primaria recensendum, eadem, inquam, nos movet, ad concludendum, idem festum, in suo complexu, tamquam liturgica dignitate praestans reputandum esse. Unde palam sequitur, in casu praefati concursus, festum Reliquiarum, integras sibi Vesperas vindicare prae S. Pontio, qui commemorabitur. Exposita ratio, uti patet, eodem iure probat, praecedentiam festo Reliquiarum prae aliis Sanctorum festis competere etiam in occursu. Ita salvo meliori iudicio.

VII. *Ex Hispania.* **De hymnis coniungendis vel non.** Festum S. Iacobi Ap. dup. 1 cl. cum octava habet apud nos duos hymnos proprios, alterum pro utrisque Vesperis, alterum pro Laudibus. Die autem octava (*1 Aug.*) primas Vesperas nunquam habet, concurrit enim cum festo S. Ignatii dup. II. cl. pro nobis. Hinc quaeritur: Hymnus qui ad primas Vesperas diei octavae recitari nequit, resumendus ne ad Matutinum, iuxta regulam ge-

neralem, quia dies octava est quid unum cum die festo, an potius omittendus?

Resp. Ponimus, hymnos, de quibus in casu, ordinem historicum sequi, eiusdemque esse metri; haec enim ratio est mutationis, quae secus non haberet locum. Quo posito, respondemus affirmative ad primam partem cum Cavalerio (*Tom. II, cap. 39, decr. IV*), A Carpo (*Calend. Perp. Adn. in fest. apr. n. 13*), et aliis: exemplo desumpto ab eo, quod S. R. C. statuit pro S. Hermenegildo (*Decr. Einsidlen. 5 Mai 1736*). Ratio enim, quae in Dubio indicatur, certa est et sufficiens; scilicet dies octava est complementum festi, in eaque eiusdem festi, ritu excepto, sequimur leges. Quod ergo in die festo factum est, quod hymnos attinet, idem et faciendum esset in die octava: quod cum fieri non possit, quia hymni ad primas Vesperas recitatio impeditur, ad Matutinum resumitur.

VIII. *Ex eod. loco.* **De duobus festis eadem die in Martyrologio occurrentibus, quorum alterum primarium, alterum secundarium.** Die 5 Maii hic recolitur Conversio S. Augustini Doct., S. Pio V alia die in calendario assignata, idque iuxta Calendarium a S. R. Congñe approbatum. Quaeritur: utrum, post Decretum Gen. respiciens primaria festa secundariis praeferenda, festum S. Pii V, in diem suam restituendum sit, translato in primam diem liberam festo Conversionis S. Augustini?

Resp. Ita credimus esse agendum; quia licet utrumque festum in Martyrologio Rom. eadem die notetur, ut alterutrum in die sua 5 Maii optime recolatur, nihilominus vera occurrentia habetur in casu inter dicta duo festa, et quod pri-

marium est, praevalere debet secundario, iuxta Decretum citatum. Id quidem, nisi magna obstaret confusio in Calendario, tunc enim consultius fortasse foret novam attendere Calendarii reformationem. Vix autem dicendum, qua die festum Conversionis S. Augustini sit assignandum; nota enim est lex, vi cuius reponendum est prima die libera post 5 Maii.

Nota. Festum quodcumque secundarium, ad celebrationem quod attinet, eiusdem est iuris ac alia festa primaria, licet servandae sint semper occurrentiae leges. Eapropter Festum praefatum S. Augustini, semel assignatum, in occursu cum alio festo vel superioris ritus vel primario, si dup. minus sit, non amplius transferri debet, sed commemorari, si potest, secus penitus omittitur: quod de occursu per accidens semper intelligas. Quod si in anno plura sint transferenda festa, primarium reponatur ante secundarium, spreto ordine temporis translationis. Decretum enim *Iamdudum* dat primario festo praelationem super secundario tam in concursu, quam in concursu atque repositione.

IX. *E Gallia.* **De Festo semid. ad libitum simplificando aut penitus omittendo aut transferendo.** Festum semid. *ad libitum*, ut in eius die reponatur dup. alicuius Sancti, pro quo dies illa est natalitia, reduci ne potest ad ritum simplicem, an transferendum, an penitus omittendum?

Resp. Supponimus, diem natalem in casu constituere festum pro Sancto dup. de quo agitur. Namque notum est diem natalem Sanctorum, festum saepe non constituere, quando nempe S. Sedes ex plenitudine potestatis iura diei natali-

tiae omnia transfert in aliam diem quam seligit, quae quasi-natalitia appellatur. Hoc autem in casu, haec, non illa dies, festum constitueret, et proinde Sanctus dup. nullum ius haberet ad diem suam natalitiam, quae amplius computari non debet. Praeterea supponimus, hoc festum dup. de quo agitur, esse novum: secus non intelligeretur, quomodo dari posset in Calendario festum duplex extra diem suam positum, quae a festo semid. *ad libitum* possideretur.

His suppositis, respondemus festum semiduplex *ad libitum* non esse ad simplicem ritum redigendum (saltem nisi sit etiam simplex de praecepto, uti S. Remigius in Breviario), neque transferendum, sed penitus omittendum. De semiduplici ad libitum *per accidens* impedito prorsus omittendo dubitari non potest, cum id praescribatur apertissime in Gen. Decreto, ut de aliis pluribus sileamus, quod Breviario praeponitur: legendum, si placeat. Quaestio nostra versatur circa semiduplex ad libitum, quod *perpetuo* impediretur; sed idem nihilominus concludendum. Quia lex de translatione, seu *per accidens*, seu *perpetua*, quando prohibita fuit semiduplicium ad libitum translatio, iisdem dirigebatur legibus: ut quod de una, etiam de altera translatione praedicari deberet. Distinctio inter alteram, et alteram exorta est post Decretum *Nullo unquam*, quod vetat translationem duplicium min. et semiduplicium *per accidens*, cum tamen supponat adhuc fieri debere translationem eorumdem *perpetuam*. Ergo Decretum Gen. Breviario praemissum utramque translationem prohibet festorum semiduplicium ad libitum; uti ceterum illud bene per-

pendenti abunde patebit. Hinc Cavalerius idem Gen. Decretum exponens, postquam notavit, Decretum peculiariter loqui de impedimento accidentali, quia agitur de occursu inter festum mobile et fixum, prosequitur: « Ceterum, si die quo occurrit festum aliquod ad libitum, concedi eveniret festum aliud romanum, et non illi sedes altera assignata veniret (per S. R. C. *uti dicemus*), statim non minus vacaret festum ad libitum per occurrentiam cum festo romano (*scilicet universali*): ut reipsa nonnunquam evenit festa particularia ad libitum esse omittenda per concessionem festi romani pro eodem die, quo illa occurrunt, uti accideret festo v. gr. S. Iuliani in Dominio Regis catholici, si in Breviarium Romanum die 28 Ian. festum aliquod novem lectionum de praecepto inveheretur (*Lib. II, cap. XXII, Decr. II, n. VII*). » Ubi notandum, robur argumenti cl. auctoris, non in festo consistere, quod sit universale, sed quod sit de praecepto, contra aliud ad libitum.

Sed praestat insuper animadvertere etiam per octavas festorum mobilium quandoque, uti patet, festa fixa perpetuo impediri posse, cum scilicet illa festa cum octava recolenda alicui Dominicae sunt affixa. Quid autem tunc agendum de semiduplicibus ad libitum, nisi perpetuo omittenda? Decretum *Viennen. in Austria* loquitur de festo semiduplici *ad libitum* S. Laurentii Iustiniani die 5 Sept., et de festo Angelorum Custodum assignato in Dominica 1 Sept. Exponit autem, S. Laurentium celebrari nunquam posse, et quaerit num casus huius impedimenti perpetui exclusus nec ne fuerit a Decreto Generali, de quo superius. Sed

responsum est: « Negative (*22 Sept. 1703 ad 5*). Denique Decretum praedictum Gen. explicite loquitur de *Natalitiis Sanctorum*, in quae *semiduplicia ad libitum* incidunt; et talis occursus per accidens quidem esse potest; sed posse etiam esse perpetuum inficiari quis poterit? Ergo festum semidup. ad libitum, sive per accidens sive perpetuo impediatur, nec transferri debet, nec ad instar simplicis redigi, ac proinde penitus omittendum.

Nunc autem in casu nostro impeditur et quidem perpetuo. Etenim habetur verus occursus inter festum ad libitum semidupl. et festum praeceptivum duplex. Duae autem hypotheses fieri possunt: aut festum semiduplex recolitur in die sua, aut non. Si primum, dies praefata est propria pro utroque festo; ergo duplex praevaleat necessum est semiduplici, esto *ad libitum*. Si alterum, a fortiori; quia dies in casu pro festo duplici est propria, pro semiduplici assignata, et dies propria diei assignatae praeferenda est; quivis enim Sanctus ius habet, ut die sua recolatur prae altero, qui est in assignata, seu non propria. Eapropter cl. A. Carpo uti certam doctrinam tradit: « Festa ad libitum beneficio privantur occurrentiae legum. Nam si in diem assignatam vel natalitiam pro festo ad libitum statutam, vel in ipso concessionis actu, vel temporis progressu, officium perenniter incidat ex praecepto recitandum (dummodo saltem sit semidup.), sive universale, sive peculiare....: festum illud ad libitum, quamvis duplex, omitti in perpetuum debet, nisi specialis facultas praesto sit illud adfigendi alteri diei (*Calend. Perp. Cap. IV, n. 15*). » Ergo perpetuo omittatur in casu festum

semidup. *ad libitum*, in eaque die fiat de festo duplici de praecepto.

Nota 1. In Appendice ad Editionem typicam Ritualis Rom. prostant, uti videre est: « Nonnullae benedictiones reservatae, ab Episcopo, vel aliis Sacerdotibus facultatem habentibus, faciendae ». Item: « Benedictiones propriae nonnullorum Ord. Regularium, etc. etc. »

Nota 2. Vasa sacra vacua, uti etiam lintea sacra, tangere licet de iure Ordinatis in maioribus: item clericis omnibus ex consuetudine, saltem quando ea praeparare debeant: denique laicis, ex facultate accepta. Sine ulla tamen facultate laicis illa tangere non licet, nisi in necessitate, et tunc non immediate, sed velo adhibito: ita communiter.

X. *E Dioecesi Senonensi.* **De Dedicatione Ecclesiae in honorem Sanctorum vel Beatorum, quorum cultus recognitus tantum fuit a S. R. C.** Potestne Ecclesia dedicari in honorem virorum, qui ab immemorabili fuerunt Beati vel Sancti nuncupati, et quorum postea cultus a S. R. C. recognitus fuit, quin tamen canonizati fuerint?

Resp. Praenotamus, antiquitus invaluisse morem Beatos, vel Sanctos etiam, nuncupandi in aliqua particulari Ecclesia eos, qui cum fama sanctitatis decesserant. Episcopus loci Ordinarius, pro sua prudentia, idpermittebat in sibi subiecta Ecclesia, unde postea quandoque extendebatur in alias, nunquam in universam, sine Pontificis assensu, Beati vel Sancti nomen. His autem praeclaris viris, ob vitae sanctitatem aliquis tribuebatur cultus publicus, nunc in uno, nunc in pluribus locis, quin tamen actus solemnis aut positivus Sanctae Romanae Ecclesiae intercederet. Ab Urbano Papa VIII eiusmodi

cultus fuit prohibitus, ut gravibus iretur obviam incommodis; et Sancta Sedes exegit, ut nulli publicus in posterum tribueretur cultus, nisi postquam ipsamet solemne iudicium tulisset. Ex tunc identidem accidit, ut praefatum cultum per apposita Decreta S. R. C. recognosceret. Hinc nuper, in harum *Ephemeridum* paginis relata est notitia de quatuor Decretis, quibus recognoscebatur cultus Servorum Dei: Angeli a Pisis, Lanuini Sacerdotis, Gulielmi a Tolosa, qui iam nuncupabantur Beati, et Falci Eremitae, nuncupati Sancti. Nunc quaeritur: utrum in honorem huiusmodi Beatorum vel Sanctorum possit Ecclesia aliqua dedicari. Sed respondemus absolute: *Negative.* Ratio est, quia recognitio cultus in casu nullo pacto aequivalet Canonizationi, aut eam significat. Haec quippe est solemne Ecclesiae iudicium, seu definitiva sententia, ut ait Benedictus XIV, qua cultus alicuius Sancti praecipitur per universam Ecclesiam (*De Beatif. et Canoniz. Sanct., lib. I, cap. X*). A Canonizatione differt Beatificatio, per quam, antiquitus ab Episcopo loci, nunc a S. Sede, cultus publicus permittitur in aliquibus particularibus Ecclesiis. Recognitio autem cultus Beatificationi quodammodo aequivalere potest, quatenus cultus ab immemorabili exhibitus, per recognitionem permittitur in aliquibus Ecclesiis, nunquam vero praecipitur in universis. Idque sive aliquis fuerit Beatus, sive Sanctus nuncupatus. Neque obstat, si officium et Missa, etiam propria concedantur; id enim non convertit permissionem cultus in praeceptivum, neque per id cultus universalis evadit. Pro Canonizatione, nunc requireretur, ut Causa ab initio resumeretur, uti pro Beato Zacharia

nuper factum fuit, et ad felicem perduceretur exitum.

Cum autem non liceat Ecclesias dedicare in honorem Beatorum, imo neque simplex altare, saltem ad modum fixi, iis dedicare; palam sequitur, in honorem huiusmodi Beatorum, aut etiam Sanctorum, qui hoc nuncupati fuerunt nomine, Ecclesias, sicuti etiam altaria, dedicari non posse.

AD DUBIA

SUPER SACRIS CAEREMONIIS

RESPONSA

I. **De adolescentium assistentia** *etc.* **in Missis cantatis de requie.** Ex defectu ministrorum solus Sacerdos expetitus Missam de requie canit die non impedito, utiturque pro assistentia adolescentibus e schola. Tumulus de more erigitur, vel niger pannus extenditur: harmonii instrumentum pulsatur in cantu, etiam in Absolutione, sine ministris sacris. Populi concursus non est frequens, ob parvum catholicorum numerum, et adhibetur thus. Quid iudicandum?

Resp. 1. Si adolescentes ulla sine veste clericali inserviant, functio est contra regulam; quia Missis cantatis, laicis inservire non permittitur: num non poterunt dicti adolescentes aliquem sibi talarem habitum cum cotta comparare, idque satis facile?

Tunc quod est contra, fiet iuxta legem. — 2. In Missis defunctorum organa possunt consociare cantum, secus silere debent. 3. Absolutio considerari potest uti Missae appendix, eiusque cantus etiam proinde poterit sonitu consociari. In reliquis, thure excepto, nihil videmus contra leges liturgicas. Notamus peculiariter pro consulente. 1. Missa, nisi sit dies obitus, III, VII, aut XXX, vel anniversaria sive ex fundatis sive ex privatis, sit quotidiana. 2. Cum una Oratione cantari ea de iure potest. 3. Incensatio in Missa cantata adhiberi non potest, nisi sacri ministri adsint. Haec omnia certa sunt vel ex Rituali, vel ex Caeremoniali Episcoporum, vel ex Missali, vel ex Decretis, quorum textum citationemque brevitatis ergo, omittimus.

II. **De quibusdam caeremoniis specialibus in Matrimonii celebratione.** Sequens alicubi viget usus in matrimonii celebratione: Sacerdos superpelliceo, stola et pluviali indutus, clericis praecedentibus, ascendit altare, e quo descendit ut sponsorum annulos, in congruo vase contentos, recipiat: inde ad altare redit, super quo dictos annulos ponit; et solemniter canit, ob maiorem ritus pompam, Orationem pro sponsis ut in Missa. Alius Sacerdos cotta et stola indutus canit Epistolam Missae, et Celebrans postea Evangelium: post quod ad loricae septum redit, sponsos interrogat de consensu, et ritum absolvit. Deinde, postquam commendavit sponsis, ne manus disiungant, iterum ascendit altare, et nuptialis annuli benedictionem solemniter canit: quo peracto, descendit, annulum dat sponso, et reversus ad altare, solemniter cantat *Confirma hoc Deus* etc. cum reliquis ut in Rituali. Quid de singulis iudicandum, maxime de cantu, de Epistola et Evangelio?

Resp. Imprimis notandum quod Rituale dicit *(Tit. VI, cap. 2, n. 5)* post expletum Matrimonii celebrationis ritum: « Caeterum, si quae provinciae aliis, ultra praedictas, laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas sancta Tridentina Synodus optat retineri. » In casu autem de consuetudinibus agitur, de quibus proinde nil iudicari poterit pro aut contra, nisi antea probentur laudabiles, aut vituperatione dignae.

Iam nunc animadvertimus, Rubricas speciales, quae Matrimonii celebrationem tangunt, esse perpaucas. *Speciales* diximus, per quas hic intelligimus illas quae aliquid particularius praecipiunt; cum revera, severius loquendo, non habeatur in illis, nisi habitus Sacerdotis, aspersio annuli in modum crucis, et benedictio dum annulus in digito imponitur. Reliqua enim vel preces respiciunt dicendas, vel generaliores actus tangunt, qui secundum naturam agentis sunt: quod bene consideranti luce clarius apparebit. Rubricam de clerico praeterivimus pro libro et aquae vase deferendis; sed notandum, eam loqui de uno *saltem* clerico, qui omnino necessarius est pro ritu agendo. Ex quo inferimus, ita huiusmodi ritum fuisse fortasse descriptum, ut significaretur aliquarum rerum necessitas, et quarumdam aliarum libertas, quas secundum consuetudines locorum, Rituale servandas optabat iuxta Tridentinam Synodum.

Hisce positis, arbitramur primo externam pompam, in genere, non posse censeri hoc in ritu prohibitam, si eam consuetudo ferat; omnes enim actus liturgici, nunc minori, nunc maiori solemnitate peraguntur: consequenter externa pompa permitti

potest. Eoque magis, quod matrimonii celebratio gignit vinculum toto per se vitae tempore nunquam solvendum; et solemnitas in illius recordationem vel maxime influit, unde salutares effectus facile derivare nemo ambigit. Secundo observamus, ritus de quibus in casu solemniori modo peractos, non esse contra Rubricas Ritualis, sed potius praeter illas: ut nobis non videantur ex hoc reprobandi.

Sed ad particularia progrediamur; et primo ad Sacerdotem canentem Epistolam. Hic ritus per se laudabilis est, et pluries id fieri in sacris actibus cernimus, habetque rationem adhortationis, vel instructionis. Animadvertimus tantum aliquid super stola, quam Sacerdos non induens longe melius faceret. Et sane stola induitur, ex lege in conficiendis et administrandis Sacramentis et Sacramentalibus; sed hic Sacerdos nonnisi Epistolam cantat, quod vel Subdiaconi est, vel acolythi, ut stola nihil omnino significet, et contra ritum appareat. Praeterea habetur Celebrans canens Evangelium; et laudabile quoque id videtur, uti saepe legitur super fideles in pluribus Ecclesiis. Obstare hoc posset, quod Epistola et Evangelium iterantur in Missa; sed super hoc insistendum esse non credimus, quia celebratio Matrimonii nil commune cum Missa habet, et etiam sine Missa fieri potest, quamquam nonnisi in ipsa benedictio solemnis dari possit. Sunt ergo duo distincti et separati actus, in quorum uno canuntur, in altero leguntur Epistola et Evangelium, in quibus proinde non videmus quod *bis in idem* appellatur. Habentur plures clerici; et hoc ipse Rituale innuit, cum praescribat unum *saltem* clericum. Hinc consuetudinem, de qua in Dubio, retineri posse censemus.

IV. **De sequentia in Missis de requie.** In Missa de requie hic semper velut ex obligatione dicitur Sequentia, sive pro vivis sive pro defunctis sit applicatio: quid?

Resp. Sequentia in Missis quotidianis de requie, cuicumque applicentur, dicitur: « in die commemorationis omnium fid. Defunctorum, et depositionis defuncti, et quandocumque in Missa dicitur una tantum Oratio, in aliis autem Missis pro defunctis dicatur ad arbitrium Sacerdotis (*Rubr. Miss., Tit. V, n. 4*) ». Porro in Missa cum cantu, quamvis sine ministris, una dicenda est Oratio; ergo in ea semper dicenda est Sequentia: in Missis quotidianis, tres ad minus semper dicendae; ergo sequentia est ad libitum.

IV. **De statuis in altari principe, aut Sacramenti.** Possunt ne statuae ex crassa charta poni hinc inde altaris principis, etsi in eo Sacramentum asservetur, aut exponatur?

Resp. Affirmative, dummodo forma externa saltem conveniant, et non ad cultum, sed ad ornatum inserviant, uti innuere videtur dubium. Stabiles autem sint, sive amovibiles, nihil interest.

V. **De solemni benedictione aquae in vigilia Epiphaniae.** Ritus pro hac benedictione vetitus, derelictus est; et benedicitur aqua ut in Rituale, sed solemniori modo et cum cantu Orationum: quid?

Resp. Non credimus, id esse prohibitum, maxime quia in ipso Decreto prohibente praefatum Ritum ab Orientali Ecclesia aliquibus latinis derivatum, solemnitas ipsa supponitur et non interdicitur: solemnitas autem maxime in cantu consistit.

Nota. Si Diaconus et Subdiaconus Missae cantare Passionem debeant, deponunt planetas pli-

catas. Diaconus tantum assumit stolam transversam: etiam Subdiaconus idem potest, si in diaconali ordine sit constitutus.

VI. **De crucifero pergente ad coemeterium.** Estne Subdiaconus dalmatica indutus, qui crucem ferre debet ad coemeterium post Absolutionem, an id potest clericus superpelliceo indutus?

Resp. Delatio ad coemeterium est veluti Absolutionis continuatio: ut eodem ordine, quo in Ecclesiam, portetur cadaver ad sepulchrum. Hinc si Absolutio fiat post Missam, crucifer esse debet in casu Diaconus dalmatica indutus, qui adstitit in Absolutione: si autem sine Missa fiat, erit clericus superpelliceo indutus.

VII. **De habitu illius qui praeest Matutinis Tenebrarum.** Quinam esse habitus Sacerdotis qui Matutinis praeest Tenebrarum, et num possit aliqua assistentia uti?

Resp. Cotta solum super talarem habitum induere debet Sacerdos, qui Matutino Tenebrarum praeest, et nulla assistentia uti. Hoc enim officium moestitiae est, et apparatum solemniorem seu in vestibus, seu in assistentia non admittit. Episcopus ipse sola cappa induitur super rochetto, cuius caudam *sibi ipsi trahit per terram*, ait Caeremoniale Episc. et nullum habere debet Canonicum assistentem, sed tantum Cappellanos (*Lib. II, cap. XXII, n. 5*). A fortiori itaque simpliciter et modo consueto chorali habitu indutus erit simplex Sacerdos dictis Matutinis praesidens. Locus erit primus in choro: nam si hunc occuparet ipse Episcopus, laudabile esset (*Caerem. Episc., loc. cit.*): quinam ergo alius potest simplici Sacerdoti competere?

MANUALE NOVISSIMUM

PRO VISITANDIS ECCLESIIS A VICARIIS EPISCOPALIBUS ET FORANEIS

(Contin. v. n. 1. pag. 41).

103. Tegumentum altaris. Super altaris tobaleas, eas conservandi causa, satis laudabile est aliam ponere, pro tegumento, paulo altaris mensa largiorem et longiorem. Quae semper auferenda est ab altari, quoties Missa, vel alia sacra functio, ex identica fere ratione, in eo celebratur; et usus eam in posteriorem vel aliam altaris partem servandi, tempore saltem missae, licet complicatam, non est probandus (*S. R. C. Cuneen. 2 Iun. 1883 ad II*). Super his S. Carolus docet: " Mappae altarium, missis finitis, contegantur stragulis suis: prius vero leviter purissima scopula, eius generis quod pro vestimentis adhibetur, proprie ad eum usum destinata, purgentur; ipsa stragula singula hebdomada diligenti agitatione a pulvere mundentur et purgentur, praeter id quod etiam quotidie mane eadem levius excuti debent: tum aeri tertio quoque mense exponantur. „

Haud obstantibus altarium tegumentis, eorum mundities, atque in Sanctum Sacrificium reverentia postulant, ut dictae mappae, maxime autem superior, longiori non relinquantur tempore super ipso altari, quin aliquoties in anno laventur, uti iam innuimus (n. 97), et elaborate distendantur. Lex quidem tempus, quo mutandae sint mappae, specialiter superior, non determinat, ut prudenti iudicio Rectoris Ecclesiae re-

linquatur; sed mundities earum omni studio semper est curanda. S. Carolus sequentem exhibet normam, quam cunctas dirigere facile potest Ecclesias; " Ternae altarium mappae, superior quidem singulis mensibus, inferiores vero quater in anno mundae apponantur. „ Haec itaque prudens Visitator animadvertat, studeatque, ut omnia quae ad altaria spectant munditiem redoleant.

Quoad Baldachinum pensile super altaribus vide quae diximus N. 46. Quoad vero Tabernaculum, si in altari adest, vide Nn. 39, 40, 41, 42 et 43.

104. Ampullae: " Ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi „ uti habetur in Pontificali Romano (*de ord. Acol.*): iuxta Missalis Rubricam sint ex vitro seu crystallo, ut vinum ab aqua facile discernatur. Hinc S. Carolus: " Urceoli, qui ad sacrificii usum adhibentur, quo distinctius et certius discernantur, ne e stamno vel alio metalli genere sint, sed plane e vitro, eoque perlucido, aut crystallo confecti; itidem operculum oris habeant. „ Nihilominus, amulae ex auro vel argento permittuntur (*S. Iacobo de Chile 28 Apr. 1866*); sed tunc ad gravius vitandum incommodum, ne quae aquam, cum alia quae vinum continet, confundatur, necesse est prorsus aliquod speciale et visibile signum in iis apponere. Illae autem materiae censendae sunt vetitae, ex quibus aerugo facile generatur, uti aes, aliave similis. Mundae autem esse debent: ac propterea praeferuntur vitreae et crystallinae (imo alicubi haec tantum permittuntur) ut facilius laventur: quod saepe saepius et omni cura faciendum est, maxime interius. Curandum ergo erit diligenter a Rectoribus ecclesiarum, ne in ampullis aqua vel vinum per noctem aut diei partem remaneat, sed illico post Missam amulae evacuentur,

et abstergantur; atque inversae, in appositis sustentaculis relinquantur, ut residuum lotionis integre defluat. Cl. De Herdt ad rem animadvertit: " Quam turpe enim est pro sacrificii donis vasculis uti, quibus ob immunditiem persona tantisper honesta ad bibendum uti detrectaret (*Pars I, n. 190*) „.

Item cavendum per frequentem lotionem, ne pelvicula amularum, quae ex determinata materia non praescribitur, praefertur tamen metallica, ob immunditiam sordescat. Mundum pariter esse debet manutergium. Omnia autem haec opportuno loco ponenda, uti in fenestella in muro apposite fabricata, vel in parva mensa ad hoc prope altare praeparata. " Quoad formam, placet in ampullis, (*Tract. de celebr. Missae pro Semin. Mechilniensi* pag. 49) si materia sit vitrum aut crystallum, pes satis amplus ut firmiter stare valeant, et collum sufficienter apertum ut commodius mundari queant. Si ex auro, argento aut stamno sint, praeferenda erit ea forma, ut a fundo usque ad os aequa ac directa sit amplitudo, quo facilius a sordibus et aerugine quae maxime ex vino oritur, purgari possint. Ampullae vitreae aut crystallinae, pro maioribus festis, pulchre ornatae sint, scilicet pede, ansula et operculo, et circa medium circulis aliisque figuris, ex auro vel argento decore confectis. Ita tamen ut hae figurae argenteae vel aureae per totum vitrum non cooperiant, ad inspiciendum quid amula contineat.

Pelviculae forma sit rotunda vel oblonga, ita ut amulae et campanula commode capiantur; in margine aliquantulum elevata, et fundo non concavo, sed plano nec elaborato figuris emergentibus, ut firmius ampullae sustineantur. Aqua lotionis digitorum Celebrantis in pelvicula recepta, non in plano cappellae, vel super

gradus vel *pradellam* altaris proiicenda est, sed in praeparatum vas in angulo, vel in fundo fenestellae, in quo per foramen et canale in terram defluat. Haec itaque Visitator observet, et curet ut edoceatur de singulis: ut quaecumque vel remote ad sacrificium pertinent, ea qua decet munditia splendeant, simulque Rubricae secundum literam et spiritum adimpleantur.

Alicubi, teste Benedicto XIV (*de Sacr. Missae l. 2, c. 10, n. 15*), ne nimia aqua in Calicem decidat, parvo cochleari utuntur Sacerdotes, quod ex auro aut argento sit oportet. Rubrica de eo nihil dicit, S. vero R. C. (*6 Febr. 1858 n. 5256 ad 4*) respondit, eius usum non esse prohibitum.

105. Campanula. Pro missa requiritur ex Rubrica, eaque etiam nitida, quantum fieri potest, servari debet, poteritque eodem loco, ubi amulae sunt, reponi. In aliquibus ecclesiis, loco huius campanulae manualis, adhibetur campanula in pariete pendens. Haec consuetudo, etsi non prohibita, non videtur tamen neque commoda neque decens omnino.

P. Vicarius Foraneus S. Florentii.

(*Continuabitur*).

SUPER ORDINATIONE PRO MUSICA SACRA

COMMENTARIA

(Continuat. V. n. 11. an. praet. pag. 704).

15. Tandem S. R. C. illorum imperitiae ac praesumptioni organicorum occurrens, qui omnino imparati instrumentorum regem laudabiliter se tangere posse confidunt, statuit: Vetitum est organa pulsare ex tempore, quod pro ingenio dicitur, iis omnibus, qui congrue id praestare non valeant: ita videlicet, ut non tantum serventur leges musicae artis, sed et illae, quae fidelium pietatem intentumque in Deum animum adiuvent. — Super quo animadvertendum nobis primo est, sapientissime id fuisse dispositum, sive ut plurium retundatur audacia organicorum (et in italis regionibus abundant), qui ideo eiusmodi appellantur nomine, quod aliquam in pulsando infelicem consuetudinem habent, scientiam vero nullam: sive ut iisdem peritioribus limites quidam praescribantur, ne propriae nimis scientiae et arti confisi, variis de causis decepti maneant. Sane, quid primi poterunt sufficienti saltem scientia destituti, ac propriam nihilominus phantasiam sectantes, nisi inconcinniter pulsare, atque ita sacra templa dedecore, auditorumque fidelium aures cruciatu afficere? Nonne illis comparandi, qui sacrorum Bibliorum, Patrum, Theologiae scientia carentes,

vel eadem vix delibata, ambonem conscendunt, atque ex tempore concionando, Dei verbo fidelique populo iniuriam faciunt, seque ipsos dignos commiseratione reddunt? Res sane ploranda! Imperitis organicis locus in theatris non datur; quinimo vix ex iisdem magistris admittuntur, nisi partem suam optime eos explere posse abunde constet. Et nihilominus, cum de honore templi Dei agitur, de fidelium pietate concilianda vel adiuvanda, omnia negliguntur. O tempora! inclamare liceat, o tempora! o mores! Si tanto habendi sint despectui, una cum organis, ipse Deus, et christiades in templo orantes, nonne iure conquerendum, organum esse in Ecclesiis *malum necessarium?* At non ita sane! Desinant potius imperiti pollice inscite percurrere chordas, peritisque scientiam artemque rite exercentibus relinquant, ut organorum, templorum, Deique ipsius finem profanatio habeat, devotusque populus in orationem sine perturbatione incumbat.

Quod si alteri, de quibus superius, quos peritos ponimus, sufficienti saltem scientia et arte callentes, pro ingenio ut plurimum organa pulsent, num commendatione digni existimandi? Absit a nobis, ut aliquid eorum meritis velimus detrahere; sed non possumus, quin aliquid super eiusmodi organa pulsandi ratione breviter animadvertamus. Et primo Organa pulsare ex tempore, non scientiam tantum artemque requirit, sed conceptuum ordinem, affectuumque compositionem, quae in organicis, ab eorum quoque voluntate adstrahimus, identidem desiderantur. Rerum temporalium curae, quibus addicti sunt, negotia plura, quibus implicantur, aliaeque multipli-

ces vicissitudines, quibus mentes et corda sunt obnoxia, persaepe ideas confundunt, motusque animi reddunt incompositos. Hinc, quam intime experiuntur inordinationem, perfacile in organis pulsandis peritiores etiam magistri externe manifestant: ut auditores, nunc laeta, nunc tristia, nunc placida, nunc iracunda percipiant, aliaque similia, quae ex animi dispositione derivant. Porro intolerabile est, ut organorum in Ecclesia sonitus, qui soli Deo laudando, fidelibusque in spiritu adiuvandis inservire natus est, tot subiaceat variationibus animi, quot organici possunt esse obnoxii. Eoque maxime, quia populus fidelis illos intendit, et iure merito, experiri affectus in Ecclesiis, quibus Liturgia inspiratur, nunquam vero quos vel prospera, vel adversa rerum in organicorum animis gignere possunt. Secundo, ex organicis Ecclesiarum non desunt qui, haud compositionibus sacris tantum, sed aliis quoque vacant, esto citra culpam, quae eiusmodi non sunt: ut si theatris, vel saltem academiis hae convenire optime possint, Dei nihilominus templa non deceant. Quid accidet pro ingenio pulsanti? Conceptus, maxime quibus delectamur, facilius ac promptius in mentem redeunt, cum nullo vinculo aliis sequendis astringimur. Inde fit, ut organi pulsandi propositum magister obliviscens, profana, aut certe non sacra audientibus exhibeat; et, quin ipsemet advertat, cum theatris vel academiis templum commutet. Tertio denique, si in ipsis profanis aulis quandoque liceat, haud semper profecto ex tempore instrumenta quaecumque tangere permissum est, cum ut plurimum quae studio et arte elaboratae ante fuere lucubrationes musicae exequi ma-

gistri necessario debeant. Iam vero num minus quam theatra aut academiae, aut quaecumque profana loca, honore ac veneratione digna Dei templa iudicabuntur? Ea propter, si imperiti organa in templis pulsare, ex praesenti dispositione legis, semper interdicuntur, nonnisi moderate idem agere permittuntur periti. Non enim edicit articulus noster, ut artis musicae leges serventur esse satis; sed adiuvandam quoque fidelium pietatem et mentem, ut in Deum intendant: cui organa pro ingenio pulsantes, ipsimet peritiores magistri, saepe saepius, uti ex expositis constat, impares consequendo sunt.

Sed fortasse non deerunt qui praefatam dispositionem censura notantes dictitabunt, nihil eam utilitatis allaturam, quod etiam imperitiores organici, aptos se iudicantes, organa ex tempore pulsare iure posse praesumant. Verum, praeter ipsos, iudicium de se ferentes, quod utpote in causa propria nihili faciendum, nonne iudex esse Episcopus Ordinarius poterit? Nonne clerus relativae Ecclesiae? Nonne saltem Ecclesiae Rector? Nonne ipsimet fideles? Qui enim profanus est sonus, qui templa dedecet, qui mentes ab animo in Deum intento divertit, facile intelligitur. Quae proinde semel vel iterum evenire inordinatio poterit, ab iis quorum interest, si zelo domus Dei sint praediti, uti ponere fas est (secus quaevis severior lex evaderet futilis), impediri atque in posterum vitari nullo negotio poterit. Stat nihilominus sapiens dispositio, quae ad abusus praeveniendos atque eliminandos opportuna ac propemodum necessaria iudicanda est, dummodo particularium Ecclesiarum auctoritas officium suum impleat.

16. Normis absolutis, altera pars sequitur, quae exhibet monita ad studium sacrae musices promovendum, removendosque abusus. Ex iis primum sic se habet: Cum sacra musice Liturgiae constituat partem, Rmis Ordinariis committitur, ut peculiarem de illa curam gerant, eademque utantur pro opportunis praescriptionibus ferendis, maxime in Synodis dioecesanis et provincialibus, ita tamen ut praesenti ordinationi conformes sint. Operae collatio ex parte laicorum admittitur, sub vigilantia quidem suorum Ordinariorum, sintque iisdem subiecti. Consociationes institui nequeunt, neque conventus haberi, sine explicito ecclesiasticae auctoritatis consensu, quam Episcopus pro dioecesi, Metropolita pro provincia, una cum Suffraganeis suis repraesentat. Sacrae musices Ephemerides typis mandari nequeunt, quin ferant Ordinarii *Imprimatur*. Quaecumque super praesentis ordinationis articulis interdicitur disceptatio. In aliis argumentis, quae sacram musicam spectant, licita est discussio, dummodo: 1. caritatis adimpleantur leges, 2. nemo aliorum doctorem et iudicem se constituat. — Sapientissima legislatrix, latis tenendis normis, ad subsidia pergit, quibus eadem perfici actu valeant. Quemadmodum autem omnes liturgicae functiones, quae in relativis Ecclesiis peragi possunt vel debent, Episcoporum vigilantiae subiacent, ut secundum ordinem fiant; ita et cantus sacer, qui dictas functiones, solemniores reddit, ab iisdem locorum Ordinariis dependet, ut digne ac laudabiliter exerceatur. Iure igitur locorum Ordinariis committitur, ut hoc in negotium vires intendant subsidiis omnibus, quibus uti pro eorum facultate

possunt. Cumque Synodos habendi ius et onus ipsis incumbat, praesens dispositio commendat, ut in his decernant quidquid ad propositum attingendum magis conferat. Hoc autem profecto significat, Episcopis apprime observandum quod super sacra musica Tridentinum Concilium statuit, ut videlicet clerici non solum *rituum ac caeremoniarum formas*, sed et *cantum* ediscant (*Sect. XXIII, cap. XVIII de Reform.*). Hoc itaque, quod illis agendum est, frustra enim cuiuscumque liturgici actus maior solemnitas exigitur, nisi scientia et ars ista, tantopere ecclesiasticorum propriae, probe comparentur. Hinc Episcopi opportuna hac super re in Synodis praescripta edant, ex quibus accipiat clerus, et magni sacram musicam facere, et validam in illa addiscenda operam ponere. E synodalibus autem praescriptis alia vel maximi momenti orietur utilitas, ut nempe viri laici intelligant, sacrum cantum iuris esse ecclesiastici, et ab Ecclesiae potestate dependere: adeo ut nulla sit illis facultas imperandi, leges ferendi, sibique arrogandi ius ut clerus eorum placitis obtemperet. Non ita profecto debet, sed ex opposito negotium progredi, ut scilicet clerus, qui sacrae musices est dominus, imperet, ordinet, disponat: e laicis si qui capaces fuerint, operam tantum conferant, ecclesiasticos auxilio iuvent. Hinc ut in officio laici contineantur, non solum exigit monitum primum, ut Episcopi vigilent pro illorum subiectione, sed quaedam peculiariter prohibet. Atque imprimis proclamat Consociationes, vulgo *Comitatus*, ad arbitrium instituendas non esse, inscia videlicet, aut non approbante ecclesiastica auctoritate: quod quam

sapienter dispositum fuerit, nemo non videt. Equidem mutata temporum conditio, simulque necessitas, contra hostium aggressiones Ecclesiae iura tuendi, maxime quae laicae potestatis iuribus relationem dicunt, ipsam coegit Ecclesiam catholicorum virorum, etsi ex laicis, auxilio uti. Qui ex eo hoc percipiunt utilitatis, ut ab iniquorum facile eripiantur insidiis, atque in recta vivendi ratione se incolumes praestent. Hinc tot quae ex praesentis temporis coetibus, congressibus, aut conventibus bona obtinentur, cum tamen hi, servatis ordine ac regula, ab ecclesiastica auctoritate gubernantur. Huic quippe competit adesse animo, ne laici fines transeant, in eamque incidant immoderantiam, quae, sub specie defensionis, iura Sacerdotii invadit. Iam nunc materia, de qua agimus, eiusmodi non est, ut ad eam conferre laici operam quamlibet possint. Est enim vere liturgica, et ecclesiasticorum propria, ut sola, prouti alias exposuimus, executio laicis committi possit in illorum auxilium. Proinde iisdem interdicuntur praescriptorum interpretatio, discussiones publicae, programmata condere, ac maxime super iis proferre iudicium, quae in hac vel illa Ecclesia circa sacram musicam consueverunt fieri. Et sane, neque id Episcopis permissum est, nisi de Ecclesiis agatur, quibus praesunt: multoque minus Ecclesiae viris, sive ad saecularem sive ad regularem pertineant clerum. Quomodo igitur id laicis permitti potest, quamvis artem musicam vel calleant vel affectent? Quo ergo iure se in stabilis Consociationis ordine pro sacra musica constituent in Italia? Quomodo proprio marte italos sacrae musicae congressus convocabunt, quin maior Episcoporum

paeninsulae nostrae pars, et suprema Ecclesiae auctoritas aliquid rescierint, approbaverint, aut confirmaverint? Grave discrimen, in quod haud tantum liturgicus cantus adducitur, sed et alia, quae omnino ad Ecclesiam iura spectant! Civilis potestas ingredi conatur Ecclesiam, uti alter ex Emis sapienter asseruit probavitque; et plane dolendum, quod non pauci ex Ordinariis locorum invasionem non sentiant: quibus princeps vix relinquitur locus honoris, dum proprius iisque insitus iurisdictionis usurpatur. Haec, ut de auri sacra fame, quae ut plurimum divini cultus zelum ad se rapit, ac de aliis maiori etiam vituperatione dignis, quibus ducuntur, rationibus plane sileamus.

Propterea nihil praesenti dispositione sapientius; et consociatio nulla, nullus congressus, conventus sit nullus, nisi a competenti auctoritate approbatus, aut expresse fuerit permissus. Locorum Ordinarii poterunt quidem dictis subsidiis uti, Ephemerides etiam, quas *Imprimatur* munient, in propriis dioecesibus, ad rei musicae studium cultumque pro Ecclesiis sibi subiectis promovendum, constituere. Cavendum nihilominus ipsis est, ne praescriptas a S. R. Tribunali normas scriptores obliti, aliarum Ecclesiarum musicam censura notent, iudicia ex tripode ferant, dogmata crepent, aut, quod peius est, convicia ingerant, ac petulantes pertinacesque contentiones agitent, quae in gravem mutuae concordiae, vel maxime aetate nostra optandae, perniciem redeunt. Sed ex perturbatoribus hodiernis non desunt adhuc qui distortum, quod aggressi fuerunt, idem prosequuntur iter; et quemadmodum antea in itali Episco-

patus umbratilem speciem se coniicebant, eadem nunc ratione et aliud reperisse tegmen autumant, Ordinationem pro musica sacra, a S. R. Congñe indictam. Quam nempe Ordinationem pro arbitrio ac perverse explanantes, sibi faventem intelligunt: ut iudices esse putent ac velint musicarum elucubrationum, quibus Ecclesiae Urbis utuntur, quasque ipsamet Ordinatio damnare non est ausa, sed potius dignas laude censuit. Concludendum ne, velle eos praestigiis alios illudere, an in sole caligare? Nescimus. Utcumque res se habeat, solliciti non sumus nec erimus: Romae degimus, cum Roma loquimur, Romae adhaeremus: ceterum ipsi videant.

(*Continuabitur*). D. C.

NUNCIUM.

Illmo ac Rmo Dom. Dom. Antonio Sardi, S. R. Coñgni Substituto (quem pro meritis Episcopum Anagninae Dioeceseon, pallii etiam privilegio, Cathedrali Ecclesiae deinceps relinquendo, decoratum, Summus Pontifex renunciavit), ingenti animi nostri gaudio successit in vices et constitutus est **Rmus Dom. Dom. Philippus M. Canon. Difava**. Qui ab anno 1879 omnium cum laude in nostro liturgico Athenaeo Romano Censoris munere tanto studio parique sollertia fungitur, ut Leo Papa XIII, pro sua sapientia et aequitate, illum, merita spectans, praemio, Academiam honore et laetitia afficere dignatus sit. Dum viro clarissimo ex corde gratulamur, tacito in sinu gaudemus.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1895.

MONITUM.

Ven. Lectores nostros exoramus, ut quatuor Decretorum, quae in ultimo *Ephemeridum* numero vulgata sunt, inscriptam diem emendare velint. Quot ambiguitatibus, facilibusque de causis, officinae librariae sint obnoxiae, maxime si plura eiusdem vel similis generis typis mandari debeant, exercitati satis norunt. Itaque dies inscripta duorum Decretorum Generalium sequens esse debet: « 5 Febr. 1895: » Decreti in *Tridentina* « 26 Iun. 1894. » Aliud quod inscribitur, *Decretum,* post inscriptam iam diem habere debet: « Praesens Decretum expeditum fuit die 15 Ian. 1895. » Ut autem quicumque evitetur error circa praefatam diem, ex quo confusio aliquando nec levis oriri potest, opportunum iudicamus, ac propemodum necessarium, eadem Decreta, minutis tamen litteris, iterum et per integrum referre, iuxta diei inscriptae ordinem emendata, altero addito.

S. RITUUM CONGREGATIO.

I.

TRIDENTINA.

Rm̃us Dñus Episcopus Tridentinus Sacrae Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

An post Decr. in una Senien. die 5 Maii 1882, Ecclesiae consecratae, e quarum parietibus crusta, vulgo intonaco, maiori ex parte disiecta fuit, tamquam execratae habendae sint, ideoque nova indigeant consecratione?

Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto a Comissione Liturgica, re perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: *Negative* ad utramque partem. Atque ita rescripsit die 26 Iun. 1894.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

Aloisius Tripepi
Loco ✠ Sigilli *S. R. C. Secret.*

II.

DECRETUM.

In Sacra Rituum Congregatione duo insequentia dubia excitata fuerunt, nimirum:

I. Quaenam Litaniae publice recitari valeant in Ecclesiis, vel Oratoriis publicis, vi Constitutionis Clementis Papae VIII, et Decretorum, quae ab illius Successoribus Pontificibus promulgata fuere?

II. Utrum invocationes ad normam Litaniarum, in honorem Sacrae Familiae, Sacratissimi Cordis Iesu, Mariae Perdolentis, S. Ioseph, aliorumque Sanctorum in Ecclesiis, vel Oratoriis publicis recitari possint?

Sacra porro R. C., in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, ad relationem mei infrascripti Cardinalis Praefecti, atque audito R. P. D. Augustino Caprara, S. Fidei Promotore, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Litaniae tantum quae habentur in Breviario, aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani, ab Apostolica Sede approbatis.*

Ad. II. *Negative.* Atque ita rescripsit.

Praesens Decretum expeditum fuit die 15 Ian. 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

Aloisius Tripepi
Loco ✠ Sigilli *S. R. C. Secret.*

III.

DECRETUM GENERALE OCTAVARUM IN QUADRAGESIMA

Sacrorum Rituum Congregationem solemne habuisse semper sacri quadragesimalis temporis instituta pia moestitia recolere, abunde Rubricae ostendunt, nonnullaque propositis sibi Dubiis responsa, quibus vel cessare praescripsit vel abrumpi Octavas in feria IV Cinerum atque in Dominica Passionis, quamvis peculiari Indulto concessas. Nuper vero, cum alia suborta fuerint Dubia circa easdem Octavas ad earum quod attinet celebrationem, vel cessationem aut abruptionem in reliquis Dominicis diebus Quadragesimae pro iis, qui illas recolendi privilegio donati sunt, Eadem Sacra Rituum Congregatio declarat et statuit: Octavas quascumque pro tempore Quadragesimae, iuxta alias decreta, in posterum non concedi, indultas vero ab antiquiori aevo, non solum in feria IV Cinerum atque in Dominica Passionis, sed etiam in omnibus aliis Dominicis diebus Quadragesimae esse omnino intermittendas vel abrumpendas. Per integram autem maiorem Hebdomadam omnes prorsus octavae, excluso etiam quocumque privilegio, interdictae maneant. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 5 Februarii 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

Aloisius Tripepi
S. R. C. Secret.

Loco ✠ Sigilli

IV.

DECRETUM GENERALE COMMEMORATIONUM IN VESPERIS

Cum iam alias Sacra Rituum Congregatio praestituerit ordinem in commemorationibus agendis ad Vesperas servandum, maxime postquam Duplicia minora et Semiduplicia impedita ad instar Simplicium redigenda Rubricae immutatae indixerunt; ad omnes ea super re controversias diri-

mendas eadem Sacra Rituum Congregatio declarat et statuit: Post Orationem diei, ante ceteras, commemorationem semper agendam esse de alio cuiuscumque ritus festo, quod concurrat, si locum habeat, deinde reliquas iuxta ordinem, quem seu Rubrica Gen. Breviarii Titul. IX n. 11, seu Tabella Occurrentiae in eodem Breviario inscripta praecipiunt. Qui ordo sequentis tenoris est: 1. De Dominica privilegiata, 2. de die octava, 3. de duplici maiori, 4. de duplici minori, ad instar simplicium redactis: 5. de Dominica communi, 6. de die infra octavam Corporis Christi, 7. de semiduplici, 8. de die infra octavam communem, ad simplicem ritum pariter redactis: 9. de feria maiori vel Vigilia, 10. de Simplici. Atque ita servari mandavit. Die 5 Februarii 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

Alosius Tripepi
Loco ✠ Sigilli *S. R. C. Secret.*

V.

BELLUNEN. et FELTREN.

Rmus Dnus Salvator Ioannes Baptista Bolognesi, Episcopus Bellunen. et Feltren. nonnulla Dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

In Dioecesibus Bellunen. et Feltren. plures extant Ecclesiae ad Regulares Familias olim pertinentes, quae, iisdem Regularibus initio huius saeculi per civile Gubernium dispersis, Clero saeculari attributae sunt. Hasce in Ecclesias, ubi mos viget peragendi sacras Maioris Hebdomadae functiones, nonnullis abhinc annis, deficiente Sacerdotum numero, quaedam inductae sunt consuetudines, unde suborta sunt insequentia dubia:

Dub. I. An *Passio Domini*, deficientibus aliis ministris, cantari possit a Diacono ministrante quoad textum Evangelistae, et a Celebrante quoad verba a Christo prolata; vel a duobus Diaconis, quorum alter sit ipse Diaconus ministrans; vel (si Subdiaconus ministrans sit in ordine diaconali) a duobus Missae ministris?

Dub. II. An Feria V in Coena Domini liceat Missam canere cum alterius Hostiae delatione ad Sacellum (vulgo *Sepulcrum*), quamvis die sequenti, ea in Ecclesia, Missa Praesanctificatorum non celebretur, eamdem Hostiam e Sepulcro in Sacrarium sub vesperam privatim deferendo? et quatenus Negative.

Dub. III. An liceat praedicta Feria V Missam canere absque alterius Hostiae consecratione, et absque processione?

Dub. IV. Ubi vero nulla eadem Feria V habeatur functio, an possit sacra Pixis in suo Altari servari usque ad solis occasum, ut fideles, loco Sepulcri, ad Ssmam Eucharistiam adorandam accedere valeant?

Dub. V. An pro Altarium denudatione sufficiat mappas, seu tobaleas, ita complicare ut maior mensae pars nudata remaneat, quum ipsae mappae ab Altaribus amoventur?

Dub. VI. In utraque Ecclesia Cathedrali, quibus diebus agitur Officium de aliquo Sancto in cuius honorem dicatum sit alterum ex Altaribus lateralibus, Missa Conventualis celebratur ad illud Altare, manentibus in Choro Canonicis aliisque Praebendatis. An haec consuetudo sit toleranda?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis liturgicae, ita propositis Dubiis rescribere rata est, videlicet:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative* iuxta Decretum Pii Papae VII (Resol. Dubior. 28 Junii 1821, appr. 31 Iulii eodem anno), *de venia saltem Episcopi.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Serventur rubricae.*

Ad VI. *Affirmative; dummodo Altare nimis non distet a Choro; secus Missa celebretur in Altari Chorali, vel Chorus adscititius paretur ad Altare, ubi Missa Conventualis celebranda sit.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 1 Februarii 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

Aloisius Tripepi

Loco ✠ Sigilli *S. R. C. Secret.*

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*Contin. V. n. 2, pag. 69*).

TEXTUS.

(Titulus IX).

DE COMMEMORATIONIBUS.

N. 1.

Commemorationes (227) fiunt de festis simplicibus (228) quando in eorum diebus incidit festum novem lectionum etiam translatum (229), vel Dominica (230) vel Octava (231) vel Sabbatum (232): vel quando fieri debet de feria, ut ponatur officium alicuius Dominicae quae eo anno supersit (233).

(227) *Commemorationes.* Commemoratio uti vox ipsa significat, nihil aliud est nisi ad memoriam revocatio. In sensu autem liturgico, commemorationis vocem usurparunt latini Patres, pro recitatione nominum eorum, quos *Fideles* vocant, quae fiebat in sacris Missae liturgiis; ita du Cange ad hanc vocem. In collatione Carthaginensi (*cap. 230 ab eodem citata*) legitur: *In ecclesia sumus, in qua Coecilianus episcopatum gessit et diem óbiit. Eius nomen ad altare recitamus, eius memoriae communicamus tanquam memoriae fratris;* et For-

tunatus (*lib. 10, poem. 10*) de sancto Episcopo Martino agens, eum sic alloquitur:

Nomina vestra legat Patriarchis atque Prophetis,
Cuius hodie in templo diptychus edit ebur.

Haec tamen commemoratio quotidiana in canone Missae diversa est ab illa, quae in anniversaria die, sive natali, cuiusque Sancti agebatur. In actis enim Sanctorum, dies obitus vel martyrii diligenter adnotabatur, et in Martyrologiis vel calendariis postea signabatur, ut quotannis eius *memoria*, sive commemoratio ageretur. Adhuc in Martyrologio Romano saepe saepius dicitur agi *memoria* alicuius Sancti, et in hoc casu vox memoria sumitur pro festo.

Similiter cum in Rubricis habetur commemorationem agi alicuius festi, intelligitur memoriam fieri de festo cuius officium nequit recitari. Commemoratio ergo tenet locum officii, non festi, iuxta doctrinam Guyeti (*lib. 4, sect. 1, c. 1, q. 1*) qui scribit: *Eius fit commemoratio, de quo fieret officium, nisi ab alio digniore impediretur. Est itaque commemoratio pars quaedam exigua officii, in ipsius integri locum substituta, et quasi vicem supplens.* Uti enim infra videbimus sequentibus titulis X et XI, duobus de causis alicuius officii fit commemoratio, vel quia occurrit eadem die cum alio officio maioris dignitatis, vel quia cum eo concurrit in Vesperis. Effectus porro occurrentiae tres sunt: 1° vel officium minus dignum a nobiliori impeditum, alia die transfertur: 2° vel ob insignem praestantiam festi impedientis penitus omittitur: 3° denique vel de eo fit *commemoratio.* Similiter effectus concurrentiae tres sunt: 1° vel de officio minus digno in Vesperis concurrenti cum digniori, nihil amplius fit: 2° vel de eo agitur tantum *commemoratio*: 3° denique, vel si duo

officia concurrentia aequalis sunt dignitatis, vesperae dimidiantur, et fit a capitulo de sequenti cum *commemoratione* praecedentis.

In hoc porro titulo Rubricarum IX agendum nobis erit de commemorationibus, causatis sive ab occurrentia sive a concurrentia officiorum, atque docebimur, ut ait Gavantus (*hoc loco*), 1° quibus diebus et de quibus festis seu officiis facienda sit commemoratio: 2° quo loco et in qua parte divini officii: 3° quomodo, quave ratione: 4° quo ordine, quando multae sunt simul faciendae, et de his singulis singillatim dicemus.

(228) ..... *fiunt de festis simplicibus*..... Rectissime Rubrica primo agit de festis simplicibus, eo quod cum festum simplex nunquam transferatur, et tamen contingat facilius impediri a digniori officio, utpote infimae dignitatis, saepissime contingit de eo fieri commemoratio. Nota insuper hic non dici: fiunt de *officiis* simplicibus, sed bene de *festis*; quia officia feriarum de tempore extra Quadragesimam et Adventum, sunt quidem officia simplicia, sed de eis nunquam occurrit commemorationem agere; de eis enim vel agitur officium, quando desunt alia festa, vel nihil prorsus agitur, ut supra vidimus n. 126. De festis simplicibus, nempe de Sanctis qui in Breviario ritu simplici coluntur, aliter dicendum est. Itaque, cum ab officio digniori impediuntur, de eis agitur commemoratio, nisi impediens officium sit primae classis. Mens namque Ecclesiae est, ut saltem fiat commemoratio de impedito officio, de quo aliquid proprium habeatur, ne totum pereat, et omittatur. Hinc de feriis Quadragesimae et II Rogationum, quae ex proprio habent antiphonam, orationem et homiliam; de feriis Adventus, quae habent saltem antiphonas ad *Benedictus* et *Magnificat* proprias; de vigiliis quae orationem et

homiliam propriam habent; et de Sanctis simplicibus, qui habent orationem et lectionem historicam, cum impediuntur, agitur commemoratio. De feriis vero per annum, extra Adventum et Quadragesimam, quae nihil habent proprii (nisi lectiones de scriptura, quae ut plurimum non omittuntur, licet occurrat festum) nihil agendum est, nihil enim perit de earum officio (1).

(229) .... *quando in eorum diebus incidit festum novem lectionum, etiam translatum.* Quid veniat sub nomine officii novem lectionum, alibi (*n. 52*) diximus; etiam *translatum*, festa enim duplicia I et II classis, maiora et doctorum, quando impediuntur et propria die non celebrantur, transferuntur, uti Titulo X dicendum est. Transferuntur autem in primam diem liberam, et nempe in diem ab officio novem lectionum non impeditam; et tunc, licet in ea occurrat festum simplex, de hoc agitur commemoratio et officium fit de duplici translato.

(230) ... *vel Dominica*... Ad abundantiam hic posuit Rubrica Dominicam, quia iam comprehenditur in festis novem lectionum de quibus supra.

(231) ... *vel Octava*... Scilicet dies octava, vel dies infra octavas; licet enim, ut plurimum octavae officia sint novem lectionum, attamen, ut comprehenderentur hoc loco dies infra octavas Paschatis et Pentecostes, quae tres lectiones habent, necessario hic ponitur *vel octava.*

(1) Excipe ferias II, III, IV et V post Dominicam Septuagesimae, et II, III et IV post Sexagesimam, nec non II et III post Quinquagesimam, quae licet habeant antiphonam propriam ad *Magnificat*, nihilominus omittuntur omnino, quando de eis fieri nequit totum officium. Rationem huius frustra quaesivimus in liturgicis auctoribus, qui tantum notant has ferias esse communes, ideoque non commemorandas cum impediuntur.

(232) ... *vel Sabbatum.* Etenim cum festum simplex occurrit in Sabbato, in quod non incidat aliud officium dignius, oportet celebrari officium de S. Maria in Sabbato, ut supra n. 226 docuimus: bene hic Rubrica et Sabbatum posuit in quo nunquam agitur officium de Sancto ritus simplicis, sed eius fit tantum commemoratio.

(233) *Vel quando fieri debet de feria, ut ponatur officium alicuius Dominicae quae eo anno supersit.* De hoc vide supra n. 102. Licet ergo officium Dominicae anticipatae sit revera feriale, et licet in casu haec feria non sit de privilegiatis, de quibus infra numero sequenti; nihilominus in obsequium officii Dominicae, quod contrahitur quidem, tenet tamen homiliam, antiphonam et Orationem propriam ac Missam, huiusmodi officium feriale dignius evadit quam festum simplex Sanctorum, ac propterea hoc commemoratur.

TEXTUS.

(Titulus IX).

N. 2.

De Feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, Vigiliarum, et secunda Rogationum fit commemoratio quando festum novem lectionum in illis feriis occurrit (234). Si simplex festum in eisdem feriis occurrat, officium fit de Feria et commemoratio de festo simplici (235).

(234) *De Feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, Vigiliarum et secunda Rogationum....* Post festum simplex secundo venit officium feriarum Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, Vigiliarum et secundae Rogationum, quod facilius impeditur

a nobiliori officio occurrenti vel concurrenti, ideoque de eis statim loquitur Rubrica. Hae feriae dicuntur *maiores*, quia de eis numquam omittitur commemoratio, si vigilias excipias quae occurrunt in Adventu aut Quadragesima, aut in duplici primae classis. Cum autem sint ritus simplicis, cedunt cuicumque officio novem lectionum et ideo saepe saepius, imo fere semper, de eis fieri debet *commemoratio.*

(235) *Si simplex festum in eisdem feriis occurrat, officium fit de feria et commemoratio de festo simplici,* prouti supra iam diximus, et per se patet.

TEXTUS.

(Titulus IX).

N. 3.

Praeterea fit commemoratio de Dominicis a Pentecoste usque ad Adventum, et ab Epiphania usque ad Septuagesimam, et a Dominica *in Albis* usque ad Pentecosten exclusive quando festo duplici impediuntur (236). De aliis Dominicis (237) nulla fit commemoratio occurrente festo duplici, quia festum in illis occurrens transfertur (238) aut de eo fit commemoratio, ut dicetur in sequenti Rubrica de Translatione Festorum (239); nisi illud festum fuerit principalis Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis ipsius Ecclesiae (240), non autem alicuius Capellae vel Altaris eiusdem Ecclesiae (241); et tunc de huiusmodi principali festo fit tantum in eo loco vel Ecclesia, cuius est Patronus vel Titulus (242) aut Dedicatio, cum commemoratione Dominicae (243); excepta Dominica prima Adventus, Dominica prima Quadragesimae, Dominica Passionis, Dominica Palmarum, Domi-

nica Paschae (244), Dominica *in Albis* (245) Dominica Pentecostes (246) et Sanctissimae Trinitatis (247); in quibus huiusmodi occurrens festum transfertur in sequentem diem similiter non impeditam (248); dummodo non fuerit infra maiorem hebdomadam et per Octavam Paschae et Pentecostes, quibus diebus non fit de aliquo festo duplici occurrente (249). Idem dicendum de aliis festis primae classis occurrentibus in praefatis Dominicis maioribus (250).

(236) *Praeterea fit commemoratio de Dominicis a Pentecoste usque ad Adventum*, etc. etc. Dominicae hoc loco indicatae dicuntur minores, eo quod praeferuntur omnibus aliis officiis semiduplicibus, sed cedunt duplicibus etiam minoribus. Confer quae docuimus supra n. 74.

(237) *De aliis Dominicis....* nempe de Dominicis maioribus, de quibus vide supra n. 72.

(238) *Nulla fit commemoratio occurrente festo duplici, quia festum in illis occurrens transfertur;* hucusque se habebat Rubrica, ante nuperrimam reformationem, quando scilicet omnia duplicia minora, cum impedirentur, transferebantur.

(239) *Aut de eo fit commemoratio, ut dicetur in sequenti Rubrica de Translatione festorum.* Haec verba inducta hic sunt in emendatione peracta post Ss. D. N. Leonis Pp. XIII breve *Nullo umquam*, quo duplicia minora exceptis doctorum, non amplius transferuntur, sed cum impedita fuerint eo anno commemorantur. Si ergo festum duplex occurrens in Dominicis maioribus, vel transfertur, vel agitur de eo uti simplex, necesse est ut agatur officium de ipsa Dominica.

(Continuabitur) Doctor Petrus Piacenza.

DE INQUISITIONE GENUINI SENSUS

Decreti generalis 2 Iulii 1893

SUPER PRIMARIIS ET SECUNDARIIS FESTIS

Sequentem ad nos misit articulum adm. Rev. Dom. A. Fourneret, Athenaei nostri liturgici Academicus, illumque fideliter referimus, nonnullis postea a nobis animadversionibus additis.

Primo intuitu, adeo perlucidus apparet genuinus huius decreti sensus, ut vix credibile sit quod simplex eius lectio aliquid dubii relinquat in mente; et tamen, ex quo tempore vulgatum est, variae non defuerunt interpretationes, et quidem oppositae. Alii dixerunt decretum se extendere ad Octavas et officia votiva; et in kalendariis anni 1895 declararunt v. g. Vesperas esse totas de S. Casimiro concurrente cum officio votivo eiusdem ritus postridie recitando, et docuerunt in *Ephem.* anni 1894 pag. 671 et seq. dies infra Octavas ad normam decreti generalis esse in posterum ordinandas. Alii autem negarunt aliquid fuisse immutatum relate ad Octavas et officia votiva, et decretum respicere dumtaxat festa, et hodie igitur valere, sicut et antea, Rubricas et Decreta super Octavis et officiis votivis. Hinc mihi placuit quaerere ubi sit veritas.

Primo, scopum decreti scrutando et illius occasionem inspiciendo, neminem fugere valet sensus legislatoris. Quid voluit Sacra Rituum Con-

gregatio? Lege et vide: « Iamdudum apud viros » sacrae Liturgiae peritos quaestio agebatur gra» vissimi sane momenti quoad praeminentiam in» ter festa primaria et secundaria eiusdem ritus. » Verum hac controversia nondum composita, » identidem Sacra Rituum Congregatio peculia» ribus in casibus responsa dedit, ac plura par» ticularia edidit decreta, quin unquam rem per » generale decretum definiret. Quum vero hisce » postremis temporibus in eiusmodi quaestione » maxima esset discrepantia ex multiplici atque » opposita penes Scriptores sacrae Liturgiae Ru» bricarum interpretatione, necessarium duxit Apo» stolica Sedes unicam tandem normam statuere, » quae ubique et ab omnibus... servaretur », vel in aliis verbis mandavit ut lis, quae tamdiu sub iudice fuerat, terminetur. Sed controversia nonnisi circa praeminentiam inter festa primaria et secundaria exstitit, non autem circa praeminentiam inter primaria et Octavas vel officia votiva. Nunquam Rubricistae et Kalendariorum Redactores de solutione intervenienda dubitarunt relate ad Octavas et officia votiva cum Semiduplicibus concurrentia. Rubricae sunt clarae in hac parte; non attenditur ad dignitatem sive Octavae non privilegiatae sive officii votivi, et dimidiantur de pleno iure Vesperae. Ergo scopus generalis decreti his favet, qui illud limitant ad festa tantum.

Secundo, si attendamus ad positionem dubii et ad eius solutionem, non minus perfecte declaratur genuinus sensus decreti. Siquidem in voto S. Fidei Promotoris, sequens dubium proponitur, videlicet: « An festa secundaria Domini, B. Ma» riae Virginis, Angelorum, SS. Apostolorum, alio-

» rumque Sanctorum praeferenda sint festis pri
» mariis eiusdem ritus et classis, sed minoris per-
» sonalis dignitatis, tam in occursu quam in con-
» cursu, et in eorumdem repositione? ». Et Responsio est: « Festa primaria, utpote solemniora,
» aliis secundariis *in casu* praeferenda esse tam
» in occursu quam in concursu ad formam Ru-
» bricae X de Translatione festorum n. 6. Quod
» si eadem festa transferri contingat, in illorum
» repositione servetur ordo praescriptus in memo-
» rata Rubrica n. 7 ». Sed dato quod decretum nonnisi festa respicit, iam excluduntur Octavae et officia votiva, quae sub nomine festi nunquam veniunt in Rubricis. Lege v. g. Titulum de Semiduplici n. 1, de Commemorationibus n. 11, de Concurrentia n. 3. 4. 5. 6: semper Semiduplex distinguitur a die infra Octavam, et ne unus quidem est auctor qui nomine festi vocet officia votiva: quomodo ergo comprehenderentur sub hoc nomine in praesenti decreto? Animadverte insuper vocem « in casu », quae reperitur in responsione, et statim scies Emos et Rmos Patres Sacris Ritibus praepositos attendisse ad casum particularem qui faciebat dubii obiectum. Adiicias tandem decretum se ad solos referre numeros 6 et 7 Tituli X de Translatione festorum, ubi praecise agitur, neque de Octavis neque de officiis votivis, sed de festis tantum, et magis ac magis patebit, positionem dubii et eius solutionem his tantum favere, qui limitant decretum ad festa.

Tertio, catalogus festorum primariorum et secundariorum pro intelligentia decreti est maximi momenti; nam iussit S. R. C. in fine catalogum hanc fieri ad applicationem decreti et de facto

existit. Porro in ea numerantur tantum festa, et ne ullum quidem verbum facit catalogus de Octavis et officiis votivis. Ergo haec ultima officia non sunt ordinanda ad normam generalis decreti, vel S. R. C. male suum munus adimplevit: quod dicere nefas est. Ergo catalogus quoque his favet qui limitant decretum ad festa.

Quarto, vide quanta ex tali interpretatione sequerentur incommoda, si decretum generale applices officiis votivis et diebus infra Octavas. Dies infra Octavas quae cedunt locum semiduplici ex Titulo IX n. 11, iam in posterum praevalebunt, si pertinent ad Sanctum digniorem: v. g. S. Damasus nonnisi commemorationem habebit in Vesperis ut inferior Immaculatae, et postridie tamen praevalebit eius officium: qualis anomalia! Item, iam non poteris facere de festo secundario alicuius sancti infra Octavam primariam, et ita si S. Ignatium habeas patronum ecclesiae, die 3 Augusti supprimi debet Inventio S. Stephani, quae habebit commemorationem tantum in perpetuum: quod est exorbitans! Attendendum erit deinceps ad dignitatem officii votivi pro ordinatione Vesperarum, quando inter se plura concurrent, et exinde nihil remanebit ex his quae semper hucusque facta sunt. Num credibile est S. R. C. per suum decretum voluisse sic omnia perturbare? Hoc non putamus; et quoadusque S. R. C., cui parati sumus obedire, apertius non loquatur in hac parte, adhaeremus interim sententiae quae limitat decretum generale ad festa.

A. Fourneret, curé de Lannes.
Acad. Honor. Liturg.

Animadversiones in contrarium.

Equidem, accepto ac perpenso Decreto uti sonat, veritas ex parte cl. Academici nostri esse videtur, pro qua pugnant momenta exposita. Nihilominus, eodem Decreto penitius inspecto, uti et altero, quod die 14 Aug. 1894 (*Evulg. Gen. Decr.*) prodiit, aliter videtur esse sentiendum, prouti sequentes animadversiones ostendere credimus.

I. *Scopus Decreti.* Quaestionis antiquae obiectum, erat profecto praeminentia inter primaria et secundaria festa; at non quaecumque, sed duplicia tantum I, II classis, et maiora. Verum cum S. R. C. edixerit, eiusmodi praeminentiam, vi Decreti Gen. *Iamdudum*, afficere etiam duplicia minora et semiduplicia; iam patet scopum Decreti fuisse, et definire controversiam antiquam, et consectarium quoddam ex definitione inferre. Porro dies octavi (duplicia minora vel ad eorum instar), et officia votiva (semiduplicia), comprehenduntur in Decreto Generali. Ergo in eiusdem Decreti scopo non nimis insistendum est.

II. *Positio et solutio Dubii.* Positio Dubii eiusque solutio, sola festa respicit, sed dies octavi et officia votiva non veniunt sub nomine festorum; ergo. Equidem Rubricae cum de translatione festorum agunt, semper de octavis loquuntur separatim a festis; sed autumamus, ex hoc inferri non posse, dies octavos, sicuti dies infra octavas, non esse festa. Quid enim erunt, si festa non sunt? Continuatio et perfectio alicuius rei, rei ipsius necessario debent esse participes; cum ergo dies infra octavam sint continuatio festi,

et dies octavi sint festi perfectio, consequens est ut vere ad festa pertineant. Quod si Rubricae de octavis separatim agunt a festis, id necessitas tulit; sive ne inter festum et octavam festi oriretur confusio, sive quia inter semiduplicia Sanctorum et semiduplicia infra octavas, inter duplicia minora Sanctorum et duplicia minora dierum octavorum, aliqua intercedunt discrimina. Ceterum perpendas quae in Dissertatione sequenti exponuntur.

Quod autem officia votiva spectat, ea non esse festa concedi potest, quamvis nihil ipsis desit, ut eiusmodi nomine appellentur. Nihilominus, cum officium et Missam habeant more festorum, ea consideranda esse festorum instar dubitari non potest. Quid ergo vetat, ut ad instar pariter festorum semiduplicium dirigantur? Neque obstat, de iis non loqui Rubricas, quia pro Rubricis stant Decreta: adeo ut, sicut hucusque factum est, officia votiva, cum sint, generatim saltem, semiduplicia, optime considerari et dirigi valeant uti reliqua semiduplicia festa. Quod si translationem non patiantur, neque interest; nam in Decreto habemus comprehensa: duplicia I, II classis et maiora, quae gaudent occurrentia, concurrentia et translatione per accidens et perpetua: duplicia minora et semiduplicia Sanctorum, quae gaudent occurrentia, concurrentia, et translatione perpetua tantum: denique dies octavos, dies infra octavas et officia votiva, quae gaudent tantum occurrentia et concurrentia sine ulla translatione. Ergo etiam ex Dubii positione eiusque solutione nil contra Ephemeridum sententiam inferri posse censemus.

III. *Catalogus festorum.* In eo non fit verbum de octavis et de officiis votivis; ergo. Reponi potest, satis esse verba in eo fieri de duplicibus et semiduplicibus (saltem implicite), quippe quae intelliguntur pro natalitiis Sanctorum diebus, quae explicite Catalogus ponit. Nunc autem dies infra octavam, dies octavi, et officia votiva in dictis diebus comprehenduntur; ergo et de ipsis, sicut de duplicibus et semiduplicibus festis, loquitur implicite festorum Catalogus.

IV. *Incommoda quae sequuntur.* Haec incommoda nihili facianda iudicamus, quia reapse nulla sunt. Aut enim agitur de diebus infra octavas, aut de officiis votivis; dies enim octavi nullum ferunt incommodum. Verum, si de primis agatur, nihil vetat quominus haec semiduplicia, sive ad festum pertineant primarium sive secundarium, cum sint festi habentis octavam repetitiones, considerari possint, nisi debeant, uti secundaria; atque ita quodcumque evanescit incommodum, et facere perseveramus sicuti hucusque factum est. Doct. Piacenza, qui eadem semiduplicia infra octavam censet vel primaria vel secundaria iuxta naturam festi ad quod pertinent, exceptionem admittit, ne ad nihilum redigat semiduplicia Sanctorum infra octavas occurrentia. En alter modus incommodi vitandi: S. R. C. quod magis ei libet operabitur; sed alia non dantur incommoda, nisi casus particulares singulos hoc nomine appellare velis, quod falsum foret.

Quod attinet autem ad officia votiva, unicum incommodum foret, ad eorum personalem dignitatem attendere pro ordinandis Vesperis, quod consuetudini opponitur hucusque servatae. At

idem esset incommodum pro Semiduplicibus Sanctorum, imo et pro duplicibus minoribus, in quorum ordinandis Vesperis qualitas primarii et secundarii attendenda est, quod etiam contrarium est hucusque retentae consuetudini. Porro si S. R. C. hoc incommodum pro nihilo habuit, quare nos illud tanti faciemus? Ceterum officia votiva sunt semiduplicia; si ergo in aliis semiduplicibus computari non debet incommodum considerandi qualitatem primarii et secundarii, atque etiam rationem dignitatis, quare incommodum lamentari debemus idem agendi in officiis votivis, pro Vesperis ordinandis? Non igitur arbitramur per Decretum *Iamdudum* omnia perturbare S. R. Congñem voluisse, etsi haec admittantur, sed tantum disciplinam paulisper immutare, ac Rubricas diversa ratione interpretari.

Haec ceterum dicta sint, ut momenta patefiant, quibus fretae Ephemerides suam sententiam dederunt; attamen negotium super octavis et officiis votivis incertum est, et omnes unanimiter S. R. Tribunali libenter obtemperabimus, quidquid illi disponere libuerit.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

III.

Quaedam particularis Ecclesia indulto nuper donata fuit, ut recoleret Festum SS. Nominis Iesu Dominica secunda post Epiphaniam, sub ritu duplici secundae classis cum octava. Sed dies ista octava accidit ut hoc anno concurreret cum Ss. Vincentio et Anastasio, qui sunt illic Compatroni, licet sub duplici tantum minori recolantur ritu. Hinc quaestio vehemens circa Vesperas, an integrae forent tribuendae diei octavae festi Domini, an potius integrae faciendae essent, vel a Capitulo saltem, de Ss. Vincentio et Anastasio. Licet enim Gen. Rubrica Breviarii aperte doceat, festa Domini in concursu praeferenda esse ceteris in paritate ritus; nihilominus, ea tantum videntur illic significari, quae primaria sunt, utpote solemniora, non vero secundaria, utpote minus solemnia, ad quae indubie pertinet SSm̃um Iesu Nomen. Nihilominus, cum verba Rubricae *Inter festa aequalis solemnitatis* (*Tit. XI, n. 2*) communiter intelligantur de festis *aequalis ritus*, et eiusmodi festa Vesperas integras habere in concursu debeant, integrae diei octavae datae fuerunt. Quod aegre nonnulli Rubricarum peritiores ferentes, et nuper resolutam invocantes controversiam de primariis et secundariis festis, inquirunt:

1. *Quaenam sint Generales regulae, diem octavam moderantes in concurrentia festorum et quaenam exceptiones, seu Rubricis seu tabella Concurrentiae seu decretis probe intellectis?*

2. *Utrum vi Decreti super primariis et secundariis festis, dies octavi festorum quorumcumque Domini, imo et B. Mariae V. atque Sanctorum, qui in Rubrica 2 Tit. XI nominantur, aliquo, et quo privilegio in concursu gaudeant?*

3. *Quomodo in casu proposito, aliove simili, ordinandae Vesperae?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Paschalis D'Ambra, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis apud Curiam Innocentianam, die 10 Ian. 1894: acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Philippum M. Canonicum Difava.

I. Inquiritur primo tam de regulis generalibus octavam diem dirigentibus in concursu, quam de exceptionibus, Rubricis, Tabella Concurrentiae et Decretis perpensis.

De die octava quacumque non eodem modo disserendum est in occurrentia, atque in concurrentia; leges enim liturgicae illam in altero et altero casu moderantes, satis discriminantur. Namque si dies aliqua octava occurrat cum alio festo, huic non cedit locum, nisi ritu duplici gaudeat saltem secundae classis. Licet ergo octava dies veluti dup. minus sit, in occursu nihilominus consideratur ad instar duplicis maioris velut privi-

legiati, quod uni festo per se cedit superioris ritus, haud vero inferioris. Haec autem sapiens Rubricarum dispositio graviori momento innititur: ut difficilius videlicet impediatur, cum sit festi iam celebrati perfectio, et transferri ex suapte natura nequeat. Eapropter eiusmodi privilegio diem octavam exornarunt Rubricae (*Tit. X, n. 2*). Verumtamen quando de concurrentia agitur, cum ratio superallata nulla vi polleat, dies octava consideratur tamquam duplex minus: adeo ut ex generali lege Rubricarum, vel integras habeat Vesperas, vel dividat, vel solam commemorationem habeat, prout accidit in reliquis duplicibus minoribus (quae tamen quandoque penitus omittuntur, quod de die octava non accidit), cum aliis festis concurrentibus. Haec praecipua diei octavae lex, quae alias includit, de quibus dicendum erit; sed eaedem fere sunt, ac pro concurrentia duplicium minorum.

Itaque 1. Dies octava, lege communi inspecta, praefertur in concursu cuicumque festo vel officio semiduplici aut simplici, cum sit duplicis minoris instar. 2. Vesperas dividit cum festo vel officio duplici minori concurrens aut alia die octava: quod, secluso privilegio, generaliter servatur in paritate ritus. 3. Si nihilominus, octava die et duplici min. aut alia octava die inter se concurrentibus, detur in altero qualitas primarii, in altero vero qualitas secundarii, officium primarium, regulariter, integras sibi vindicat Vesperas prae secundario, cui sola proinde commemoratio competit. 4. Dies octava concurrens cum festo duplicis maioris aut superioris ritus, integras huic cedit Vesperas, ex generali lege, et solam sibi

commemorationem servat (1). Hae quidem generales regulae pro diebus octavis, quae cum aliis festis possunt concurrere, sive inferioris, sive aequalis, sive superioris ritus.

Nunc videndum, utrum praefatae regulae sint Rubricis conformes, Tabellae concurrentiae, et Decretis. Itaque ad primam quod pertinet, nulla fieri potest quaestio, agitur enim de concurrentia diei octavae cum alio festo inferioris ritus, proindeque ea isti indubie praevalet iuxta Rubricas, Tabellam et Decreta. Quod alteram spectat, pariter nemo contradicit aperte id docentibus Rubricis (*Tit. XI, n. 7*), Tabella concurrentiae (*n. 5*), ac Decretis pluribus: adeo ut octava die et duplici minori vel alia etiam die octava concurrentibus inter se, privilegio secluso, Vesperae sint dividendae. Verum non ita certa apparet regula tertia, contra quam obiici aliquid potest. Namque diem octavam Rubricae nunquam appellant nomine festi, quinimo de ea continuo separatim a festis agunt. Reponimus, Rubricas separatim a festis de diebus octavis loqui, easque non appellare festa, ut confusionem vitent, quae facile exorta fuisset, uti bene consideranti patet, si sub eodem nomine etiam dies octavos comprehendisset. Ceterum cum octava sit festum, quod per octo dies continuatur, ex quibus alius est ritus classici, alius semiduplicis, alius denique duplex, ferebat neces-

(1) Casus specialis occurrere potest de duobus diebus octavis concurrentibus inter se, aut festorum Domini aut festorum Deiparae. Pro eo generalem regulam non assignandam iudicavimus, cum satis quid tunc agendum innotescat: modo leges consuetas applicaveris latas pro concurrentia festorum, ad quae dies octavi pertinent, uti alias dicemus.

sitas, ut de octavis ac proinde de ultima eorum die seorsim ab aliis festis Rubricae agerent. Ceterum dies octava occurrit concurritque cum aliis festis: quod si ponamus, primarii et secundarii qualitatem non esse in ipsis attendendam, quomodo in concursu cum aliis festis ordinabuntur Vesperae? Respondebis: ut antea. At subiungimus, ante Decretum *Iamdudum* ad primarium et secundarium in casu attendebat nemo, cum de duplici minori ageretur; sed post Decretum praedictum, cum *praecedentia, festis primariis super secundariis tributa, afficiat etiam duplicia minora,* eam attendendam necessario credimus etiam in diebus octavis. Nam cum dies octava et duplex minus simul concurrunt, hoc dup. minus si sit primarium, ius habet ut alteri concurrenti praeferatur: si vero secundarium sit, alterum concurrens ius habet ut praeferatur alteri. Si ergo primarium et secundarium non esset in die octava considerandum, nec per consequens considerari posset in alio concurrenti festo, quod contra Decretum foret. Ergo, quamvis festum non velis appellare octavam diem, ratione festi cum quo concurrit qualitas primarii et secundarii non potest in illa negligi, quin et Decreto *Iamdudum* contradicas, et festo concurrenti iniuriam quodammodo inferas. In tuto ergo positam arbitramur tertiam asisgnatam regulam, seu iuxta Decreta, seu iuxta Rubricas, quas Decreta explicant.

Sed potest obiici, hanc regulam tertiam, utcumque probata appareat, esse aperte contra Rubricas et Concurrentiae Tabellam. Sane illa praedicat: « Die octava concurrente cum alia die octava, a Capitulo fit de sequenti (*Tit. XI, n. 7*) ». Item:

« Die octava concurrente cum sequente duplici minori, etiam translato, a Capitulo fit de sequenti (*Loc. cit.*) ». Tabella autem Concurrentiae agens de die octava concurrente, aut cum alia die octava aut cum duplici minori, lectorem remittit ad n. 5, in quo habentur dimidiatae Vesperae; ergo...

Respondemus, post Decretum Gen. 14 Augusti 1834 *Evulgato*, quod explicatio est anterioris super primariis et secundariis festis, ita praefatam Rubricam intelligendam esse, ut Vesperae in casu dividantur quando, et aequalis in utroque festo concurrente est ritus, et aequalis ratio primarii aut secundarii. At quando, etsi aequalis sit ritus, alterum est primarium, alterum secundarium, tunc aliter Rubrica intelligenda venit; quia alterum ex concurrentibus est solemnius altero, proindeque praeferendum ad similitudinem alterius Rubricae *Inter festa* eiusdem Tituli (*n. 2*). Decretum namque *Iamdudum* praecipit, ut ita et non aliter Rubricae intelligantur. Iure autem posse Rubricas hoc sensu intelligi facile concedes, si perpendas praecedentiam, quam ipsae tribuunt diei octavae Corporis Christi, concurrenti cum octava die S. Ioannis Baptistae, ut sileamus de diebus octavis aliorum Domini et Deiparae festorum, eiusmodi enim praecedentiae ratio nonnisi una esse potest, maior solemnitas in illa quam in ista. Repones quidem, dictam praecedentiam constituere exceptionem. Sed, esto, reponimus: interim ex ea iam spiritus legis satis dignoscitur, ut dies octava solemnior minus solemniori in concursu praeferatur. Sed praeterea animadvertendum, ita in casu se explicasse Rubricam, quia inter dies octavos festorum omnium, quae recoluntur in universali Ecclesia, duo tantum

sunt illi, qui concurrere inter se possunt, nempe praedicti, et pro his fit exceptio, dum de ceteris silentium servatur, quia non concurrunt. Cum autem impraesenti dies octavi concurrere facile possint cum duplicibus minoribus, quibus distinctio inter primaria et secundaria festa est necessario applicanda, normam pro praelatione a spiritu legis desumendam credimus in illa exceptione significatum, non a littera quae generatim divisionem Vesperarum admittit. Cumque par sit ratio ritus in diebus octavis ac in duplicibus minoribus, eadem norma pariter in his sequenda, ut solemnior minus solemni praeponatur. Denique hunc esse verum legitimumque Rubricarum sensum satis superque ostendit S. R. C. quae litterae et spiritui Rubricarum inhaerens decernit, ut dies octavi festorum Domini cuicumque duplici etsi maiori, et dies octavi festorum Deiparae cuicumque duplici minori, semper in concursu praeferantur. Quid autem hoc revelat, nisi diem octavam digniorem seu solemniorem alteri minus dignae seu minus solemni esse praeferendam? Cum ergo primarii qualitas festum solemnius reddat, concludendum iudicamus, etiam diem octavam primariam alteri diei octavae secundariae, vel duplici minori secundario in concurrentia praeferendam esse.

Ad Tabellam autem quod spectat, animadvertimus, eam esse quoque interpretandam eodem sensu, ac Rubricas, quibus respondet. Nec ratio huiusce interpretationis deest, cum supponi iure possit, eam loqui de duobus diebus octavis, aut de die octava et duplici minori, inter se concurrentibus, quae, vel ambo primaria vel ambo secundaria sint, quo in casu Vesperae dividuntur.

Eodem sensu explicamus legem de Vesperis faciendis de digniori; namque in duplicibus I, II classis, et maioribus, Tabella docet Vesperas de digniori faciendas. At pone eiusmodi duo festa concurrentia esse eiusdem dignitatis, quid foret agendum? Tacet Tabella, sed certo certius, uti ex Decretis constat, Vesperae dividendae sunt. A pari in casu nostro: quando duo festa sunt aut primaria aut secundaria, servetur Tabella et Vesperae dividantur: quando alterum est primarium, alterum secundarium, Tabella silet, et Vesperae de primario faciendae sunt prae secundario. Atque ita Rubricae, Decreta et Tabella concurrentiae optime inter se concordabunt. De regula quarta, quam assignavimus, silemus, cum nulla de ea fieri quaestio possit.

Deveniamus igitur ad secundam quaesiti partem, seu ad exceptiones. Hae, uti superius innuimus, quosdam respiciunt tantum dies octavos festorum Domini, et Deiparae; et sunt partim ex Rubricis, partim ex S. R. Congñis Decretis. Rubricae namque (*Tit. II, n. 7*) excipiunt explicite diem octavam Ascensionis in primis et secundis Vesperis, quae praevalet etiam duplici maiori: item diem octavam Corporis Christi: quae in primis Vesperis duplici maiori quoque praefertur, in secundis vero praefertur duplici primae classis, sit agatur de SS. Corde D. N., non tamen si agatur de alio primae classis festo concurrente: dies octavos Epiphaniae et Paschae in eorum secundis Vesperis, qui pariter duplici maiori praeferuntur. S. R. C. per Decretum *Maioricen.* 13 Sept. 1704 excipit etiam festum SS. Trinitatis ubi cum octava recolitur, adeo ut dies eius octava

in utrisque Vesperis duplici quoque maiori praeferatur.

Aliae exceptiones respiciunt dies octavos festorum Deiparae, qui praeferuntur cuicumque duplici minori Sanctorum, idque vi Rubricae (*Loc. cit.*).

II. Quaeritur secundo, utrum, vi Decreti Generalis de primariis et secundariis festis, dies octavi festorum quorumcumque, sive Domini, sive Deiparae, sive Sanctorum, maxime quos Rubrica 2 Tit. XI nominat, aliquo et quo privilegio gaudeant?

Ut quaesito proposito fiat satis, referamus ad litteram oportet Decreti Gen. *Iamdudum* verba, quod die 27 Iun. 1893 solemniter promulgatum est, et die 2 Iul. eodem anno a Leone Pontifice XIII confirmatum, et sequentia sunt: « Festa primaria, utpote solemniora, aliis secundariis in casu esse praeferenda, tam in occursu, quam in concursu ad formam Rubricae X de Translatione festorum ». Dictio autem *in casu* ad Dubium, cuius praefata verba constituunt responsionem, refertur, videlicet: Festa secundaria Domini, B. Mariae Virg., Angelorum, Ss. Apostolorum, aliorumque Sanctorum, praeferenda sunt festis primariis eiusdem ritus et classis, sed minoris dignitatis, in occursu, concursu, et repositione. Decretum huiusmodi, sensu generalissimo gaudet, sive quod festa attinet, sive quod ritum, excepto simplici: quod cetera Decretum recentius *Evulgato* d. d. 14 Aug. 1894 evidenter ostendit. Cum autem Decretum praefatum nonnisi festa respiciat, et quaesitum agat de diebus octavis festorum, inquirendum primo est, utrum dies octava in se

spectata sit festum: cui, quantum videmus, affirmative reponimus. Namque inficiandum non est quod omnes Liturgici doctores admittunt, octavam diem esse festi complementum seu perfectionem. Iam nunc absurdum apparet, complementum festi ad ipsum festum non pertinere: vel, si mavis, ad festum pertinere et non esse festum, seu inter festa non recenseri. Octava est festum ex octo diebus constans, quod incipit a prima dies desinitque ad ultimam; ergo si prima dies est festum, festa sunt dies intermedii, festum est die ultima, quae est octava. Si itaque Decretum *Iamdudum* loquitur de festis, necessum quoque est, ut de diebus octavis implicite loquatur, quia et ipsi sunt festa. Ceterum loquens Decretum de festis, magis quam ad alia, ad festa alludit praecipue Domini, Deiparae et Sanctorum solemnioribus, ex quibus plura gaudent octava; ergo non videtur dies octava exclusa a praefato Decreto, adeo ut quod de festis praedicavit, de die octava, quae festum est, praedicare noluerit. Ita sentimus, donec aliud S. R. Tribunal declaraverit.

Hoc posito, inquiramus secundo, utrum vi Decreti praedicti, dies octava cuiuscumque festi, sive Domini, sive Deiparae, sive Sanctorum quos Rubrica supercitata recenset, aliquo privilegio gaudeat. Respondemus imprimis, negative, hoc est: quodcumque festum ex praefatis aliquo privilegio gaudere falsum est. Namque ex festis alia sunt primaria, alia secundaria; si ergo agatur de festis secundariis, valet negativa responsio, si autem agitur de primariis, tunc affirmative respondendum. Hoc autem verum est, sive de festis Domini agatur, sive de festis Deiparae, sive de Sanctorum.

Ratio est, quia Decretum intelligendum est iuxta Rubricas; hae autem quodam privilegio donant quidem octavos dies aliquorum festorum, sed pro his nonnisi primaria intelligi possunt et debent. Sane in Tit. XI, num. 7 agitur de die octava Corporis Christi diei octavae S. Ioannis Baptistae praeferenda: agitur de privilegio, quod conceditur octavis diebus Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, et Corporis Christi: denique de privilegio quod tribuitur diebus octavis, seu Ecclesiae universalis, seu Ecclesiarum particularium. At festa omnia quae cum octava celebrantur in universa Ecclesia, et indicantur in Breviario, primarii praerogativa fruuntur; et pro festis quae pariter cum octava in locis particularibus recoluntur, eadem primaria tantum debent intelligi, non vero secundaria, quae generaliter octava non gaudent, nec octavam ea habere convenit, vel eadem gaudent tantum ex singulari privilegio, quod Rubricae non attingunt. Ergo dies octavi aliquo privilegio fruentes, de quibus Rubricae verba faciunt, ii tantum sunt, qui ad festa primaria pertinent. Idem a fortiori concludendum de festis secundariis Deiparae ob praedictam rationem (1).

---

(1) Decretum *Alben.* die 16 Febr. 1856, Dub. III, quaest. 4, concedere videtur diei octavae cuiuscumque festi secundarii Domini privilegium, vi cuius sit praeferenda duplici minori concurrenti. Sed hoc, uti alia similia, impraesenti post Decretum *Iamdudum*, iure censeri possunt revocata. Ad summum vim posset habere, si ageretur de duplici minori secundario; sed res satis incerta est. A fortiori dicendum, mutare impraesenti quod cl. De Herdt verosimile indicat, dicta nempe secundaria festa Domini praeferri cuicumque duplici maiori (*Pars 4, n. 305, Reg. 1.*ª), ex

Quid autem iudicandum de diebus octavis Sanctorum, quos Rubrica recenset, utpote liturgica dignitate pollentium? Respondendum, octavos horum festorum dies nullo privilegio gaudere, sive dicta festa sint primaria, sive et a potiori secundaria. Namque Rubrica, quae a lege communi excipit dies octavos festorum Domini et Deiparae, ne verbum quidem facit de diebus octavis, qui ad festa Sanctorum pertinent. Quinimo S. R. C. ad rem expetita, privilegium aliquod his diebus octavis competere omnino negavit. Etenim Decretum in *Panormitana* 12 apr. 1823 ad V sciscitatur: « An, concurrente die octava Dedicationis Ecclesiae, Ss. Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, et Ss. Apostolorum cum alio duplici minori, eiusdem ritus, sed inferioris dignitatis, Vesperae sint dimidiandae, vel integrae persolvendae de die octava etc.? » Respondet autem perspicue: « Vesperas esse dimidiandas. » Ergo patet, exceptis diebus octavis festorum, si tamen primaria sint, Domini et Deiparae, qui sunt privilegio donati, reliquos octavos dies nullo privilegio gaudere, sed legi communi subiacere.

---

eadem ratione. Quod autem de duplici minori concurrenti conclusimus, etiam de octava die concludendum credimus; quia *dies octava*, uti ipse citatus auctor advertit (*loc. cit.*), *non est magis privilegiata quam festum duplex*. Ut proinde quod de illo dicitur, etiam de ista sit intelligendum. Quod autem dictum est de Decretis, si quae sint, circa octavas secundarias Domini, pare iure extendendum, imo a fortiori, ad secundarias octavas festorum Deiparae. Haec quidem, nisi S. R. C. privilegium primariis festis indubie concessum, ad secundaria, eorumque dies octavas extendendum decernat.

Inquiritur denique, in quo privilegium consistat, de quo loquimur. Sed iam satis de eo verba fecimus in responsione ad secundam quaestionem, hoc est: dies octavi festorum Domini, quae sunt primaria, praeferuntur in concurrentia cuicumque duplici maiori: dies octavi festorum Deiparae, quae pariter primaria sunt, cuicumque duplici minori Sanctorum praevalent, sicut et alii diei eorumdem festorum octavae.

III. Quaeritur tertio de ratione ordinandi Vesperas in casu proposito, aliove simili.

Post hucusque exposita, nulla est difficultas in resolvendo Dubio. Agitur namque de die octava Ss. Nominis Iesu, concurrente cum festo duplici minori Sanctorum Vincentii et Anastasii. Nunc autem ex Catalogo festorum, quae primaria aut secundaria sunt, certo constat, festum Ss. Nominis Iesu esse secundarium, proindeque secundariam esse quoque eius diem octavam. Ex eodem vero Catalogo pariter evidens est, primarium esse festum Sanctorum Vincentii et Anastasii. Atqui, uti ostensum est superius, festa Domini secundaria nullo in diebus eorum octavis privilegio sunt decorata; ergo lex communis in utriusque festi concursu tenenda est. Lex autem communis exigit, ut festum duplicis minoris ritus primarium, dignitate etiam personali posthabita, praeferatur secundario. Ergo in casu proposito integrae debentur Vesperae Sanctis Vincentio et Anastasio, et sola competit commemoratio Ss. Iesu Nomini. Ut autem iis fiat satis, qui Rubricas in oppositum afferunt, perpendenda sunt quae in secunda responsione momenta protulimus, eaque conferenda cum recentiori Decreto *Iamdudum,* et omnia pa-

tescent, seu iidem Rubricis, seu S. R. Congñis dispositionibus apprime conformia. Eadem autem ratione in casibus huic similibus Vesperas ordinandas, eadem momenta superallata pariter ostendunt.

INSTITUTIONES LITURGICAE

(*Contin. V. num. 1. pag. 19.*)

§ 5.

DE SEPULTURA.

Quaeres 1. Quinam sepulturae locus esse debeat?

Resp. Aptior locus sepulturae est coemeterium, quod benedictum esse debet (*Rit. Rom. Tit. VI, cap. 1, n. 17*); ut si benedictum non fuerit, a Sacerdote sit benedicendum (*loc. cit. cap. 3, n. 12*): quandoque potest esse etiam Ecclesia; ille tamen pluribus de causis, quae facile patent, praeferendus est. Hinc Rituale Romanum docet: " Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in coemeteriis retineatur; et ubi fieri potest, restituatur (*Tit. VI, cap. 1, n. 9*). „

Quaeres 2. Quid observandum in sepultura, si habeatur in Ecclesia?

Resp. Observandum, cadavera non esse prope altaria sepelienda (*Tit. VI, cap. 1, n. 9*); et S. R. C. Rituale exponens, praecipit, ut inter altare et tumulum trium cubitorum, hoc est, unius metri ac 35 cent.

distantia intercedat. Secus altare censendum esset profanatum, ut in eo celebrari Missa nequiret, nisi prius impedimentum, si commode fieri tamen potest, removeatur (*Beneventana 27 apr. 1877: Nicoteren. et Tropeien 2 apr. 1875*).

Quaeres 3. Quomodo ad sepulturam cadaver deferri debeat?

Resp. Idem tenendus ordo, in cadavere ad coemeterium deferendo, qui in eodem ad Ecclesiam deferendo servatus fuit. Sequentia interim animadvertenda: 1. E domo defunctum, quicumque sit, deferre immediate ad sepulturam, quin deferatur ad Ecclesiam exequiarum causa, non licet; et si eiusmodi consuetudo alicubi vigeat, prudenter abolenda (*Fodiana, 21 apr. 1873*). Dum defertur cadaver, antiphonam *In paradisum* (1) canenda (*Rit. Rom. Tit. V, cap. 3, n. 11*); quod si longius sit iter faciendum, recitari etiam possunt aliqui ex psalmis, vel gradualibus, vel poenitentialibus, aut ex defunctorum officio desumpti (*V. Cavalerium Lib. IV, Decr. 180, n. 6 et 7*). 3. Cadavera, utcumque ad coemeterium, vel ad Ecclesiam deferantur, etiam in curru, associanda sunt semper a Sacerdote (*Santandrien. 15 Iul. 1876*).

Quaeres 4. Quomodo collocari debeant cadavera in sepulcro?

Resp. Eodem modo, si in Ecclesia sepeliantur, cadavera ponenda sunt in sepulcro, sicut collocantur super feretrum (*Tit. VI, cap. 1, n. 17*): ut conse-

---

(1) Si cadaver ad coemeterium deferri non debeat, antiphona *In Paradisum* etc. cani tunc potest in ipsa Ecclesia, uti fert plurium Urbis Ecclesiarum consuetudo, et uti respondit ipsamet S. R. C. (*Brixien. 28 Iul. 1832 ad 2*). Ratio patet, ne quacumque de causa hoc peculiari suffragio privetur defunctus.

quenter laici cum pedibus, Sacerdotes cum capite versus altare maius, si tamen id commode fieri possit, debeant collocari.

Quaeres 5. Utrum indiscriminatim omnia defunctorum cadavera in eodem sepulcro condi possint?

Resp. Negative, iuxta Rituale Romanum; sed 1. Sacerdotum et cleri sepultura ab aliis separata esse debet, ubi fieri tamen commode possit; quinimo congruum quoque foret, ut quivis clericorum ordo distincta sepultura gauderet (*Tit. VI, cap. 1, n. 10*). Sapiens ratio est, ut qui viventes ab aliis per clericalem statum, maxime Sacerdotes, distincti fuerunt, ita fas est ut eorum sacratiora corpora, post mortem aliis non commisceantur.

2. Ab iis, qui alterius a catholica sunt communionis, potioribus quoque de causis decet, ut fideles aliam sepulturam habeant, in venerationem corporum, quae per baptismum fidemque veram sunt Deo sacra.

3. Pro ipsis denique parvulis, qui post baptismum nondum rationis usum assecuti, obierunt, exigit Rituale Romanum, ut distincti, quantum fieri possit, habeantur loculi ab aliis, in quibus sine baptismo mortui recondendi sunt (*Tit. VI, cap. 6, n. 1*).

Quaeres 6. Quaenam super tumulo preces recitandae?

Resp. Sepulcro benedicto, si antea benedictum non fuerat, uti Rituale praescribit, et superius dictum est, Sacerdos incipit antiphonam *Ego sum*, inde canitur canticum *Benedictus*, et post integram praefatae antiphonae cantum, reliquae consuetae preces dicuntur, quas Rituale praescribit Tit. VI, cap. 3, n. 14. Quibus persolutis, asperso et manu feretro benedicto, revertitur clerus in Ecclesiam vel in sacrarium, psalmum

recitans *De profundis*, cum antiphona prius incepta, ac postea per integrum repetita, uti praecitato loco Rituale praescribit.

Quaeres 6. Quaenam exequiae omitti super cadavere nunquam debeant?

Resp. Illae omitti nunquam debent exequiae, seu preces et suffragia, quas Rituale Romanum praescribit extra officium et Missam, et super cadavere fiunt, sicut in Ecclesia ita in coemeterio; de his enim lex praescribit, nunquam eas esse omittendas (*Tit. VI, cap. 3, n. 18*).

§ 6.

DE EXEQUIIS PARVULORUM.

Quaeres 1. Quid peculiariter animadvertendum in parvulorum exequiis?

Resp. 1. Parvuli, de quorum exequiis agimus, illi intelligendi, qui rationis usum adhuc non habent: de quibus videlicet iure merito, ratione aetatis, vitae innocentia praesumitur. 2. Campanae pro eorum exequiis, aut non pulsandae, aut, si pulsentur, non lugubri, sed festivo sonitu pulsandae sunt, quippe qui ex hac lacrymarum valle ad gaudiorum vitam indubie transmigrant. 3. Eorum corpuscula, una cum aliorum, qui post discretionis aetatem obierunt, non sunt in sepulcro (1), quantum fieri potest, recondenda, ut superius innuimus: ne, ait Barufaldus, carnes stolis albis

(1) *Subgrundia* appellarunt veteres, ait Barufaldus, loculos parvulorum, si nondum quadraginta dies compleverint, cum nec busta dici possent quod ossa quae comburerentur, non essent; nec tanta magnitudo cadaveris, qua locus tumesceret (*Tit. XXXIX, n. 5*).

amictae cum aliis misceantur peccato foedatis *(Titulus XXXIX, n. 3).*

Quaeres 2. Quinam tenendus ordo in parvulorum cadaverum associatione?

Resp. Idem, qui servatur in aliorum associatione, teneri potest, praecedente cruce excepta, quae deferenda est quidem, sed sine hasta. Ratio est, ait Barufaldus, quia crux Ecclesiam significat in hoc mundo peregrinantem ac militantem sub Christi sui ducis vexillo: eapropter sine hasta, seu brevis defertur pro infantulis, qui per brevissimum tempus militiam seu peregrinationem in hoc mundo sustinuerunt.

Quaeres 3. Quid super psalmorum cantu peculiariter observandum in parvulorum exequiis?

Resp. Antiphona et psalmi, qui in his exequiis concinuntur, non luctum significant, sed laetitiam; eorum enim obitus, haud moerore afficit sed gaudio. Nec cum *Requiem* terminantur, sed cum *Gloria*, quia cum Patre, Filio et Spiritu Sancto vivunt in coelis.

Quaeres 4. Utrum parvulorum corpuscula exponenda sint in Ecclesiis, more adultorum?

Resp. Negative. Ratio est, quia adultorum corpora exponuntur in media Ecclesia iuxta Rituale Romanum (*Tit. VI, cap. 3, n. 4*), ut superstites ea videant, et suffragiis iuvent. At suffragiis parvuli non indigent, ut expositio solemnis quid inutile videatur, et contra liturgicum sensum. Hinc lex praecipit, ut corpus in Ecclesiam deductum aspergatur, thurificetur et sepeliatur (*Rit. Rom. Tit. VI, cap. 7, n. 3*).

Quaeres. 5. Num corona florum adhiberi licite possit super caput demortui infantis?

Resp. Affirmative, cum de ea explicita mentio fiat in Rituali Romano (*Tit. VI, cap. 7, n. 1*). Praeter eam herbas aromaticas seu odoriferas ibidem nominat

praefatus Codex, quibus proinde, sicut et floribus, optime conspergi poterit infantium cadaver *in signum integritatis carnis et virginitatis.*

Quaeres 6. Quibus indui debet sacris vestibus Sacerdos, seu Parochus in parvulorum exequiis?

Resp. Rituale Romanum praescribit, ut superpelliceo et stola alba indutus sit Parochus in casu. Ratio satis patet, cum potiusquam de mortis ac suffragiorum luctu, de vita aeterna, quam infans est ingressus, agitur, et de laudibus atque gratiis agendis Deo.

Quaeres 7. Quinam peculiares in exequiis parvulorum ritus?

Resp. Praeter antiphonas et psalmos in laetitiam Deique laudem significandam, et specialem pro illis Orationem, corpus quoque pluries aspergitur et thurificatur, solius causa honoris, non vero suffragii aut cultus, quo illud, maxime quia innocentia praeditum, Ecclesia prosequitur. Hinc et postquam fuerit sepultum, iterum in reditu ad Ecclesiam Deus per psalmum *Benedicite* laudatur, et per Orationem *Deus qui miro* veluti inter angelos defunctus parvulus censetur adscitus.

Quaeres 8. Utrum pro pueris, quorum indubia esset innocentia, si annos discretionis transegerint, ritu exequiarum pro parvulis uti liceat?

Resp. Negative. Ratio perspicua est, quia praefatum ritum adhibendum praescribit lex Ritualis pro iis tantum, qui ratione infantiae vel pueritiae in baptismalis innocentiae statu versantur, haud vero pro iis, qui eam post annos discretionis potuerunt incolumen servare. Hinc Decretum *Interamnen.* 7 Sept. 1850, id prohibet, iubens servari Rituale Romanum.

Quaeres 9. Utrum Missa in exequiis parvulorum dicere aut cantare liceat?

Resp. 1. Uti ex dictis et ex Rituali patet, Missa de requie in casu est prorsus illicita: sive quia infans suffragiis non indiget, sive quia in errorem fideles induci possunt.

Resp. 2. Missa de die pro gratiis agendis Deo, optime dici vel cani potest, quinimo et ipsa Missa votiva de Angelis permissa est, si ritus eam non prohibeat (*Parisien. 8 Febr. 1879 ad 2*), cum nulla eiusmodi Missa privilegio gaudeat. Qui autem contrarium asserunt auctores, scripsisse censendum est, vel ante Decreti citati inscriptam diem, vel ante illius promulgationem.

(*Continuabitur*). FRANCISCUS STELLA P. C. M.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Sabaudia.* **De templo aut altari diruto iterum instaurando, in honorem alicuius Beati.** Potestne templum aut altare, iam antiquitus erectum in honorem alicuius Beati, a pluribus annis dirutum, iterum aedificari?

Resp. Beatorum cultum, sive formaliter sive aequipollenter tales sint, ita esse coarctatum, ut altaria multoque minus templa in illorum honorem dedicari nequeant, supponimus, uti abunde notum. Nunc quaeritur de templo aut altari iam erecto in eorumdem honorem, et diruto, an iterum instaurari queat. Quantum ex nobis est, respondemus negative. Namque, etsi eiusmodi tem-

pla vel altaria licite extare potuerint, antequam Urbanus VIII vel etiam Alexander VII angustioribus Beatorum cultum confinibus limitaverit; certum nihilominus est, post nota horum Pontificum decreta, ea uti tolerata tantum potuisse retineri, in gratiam venerabilis antiquitatis, in qua praefatorum Beatorum cultus incepit. Iam nunc, si ex naturalibus causis templum aliquod vel altare fuerit dirutum, iam patet negotium per consequens ad apicem iuris, ex iisdem causis, fuisse redactum. Quod ergo iuri respondet, immutari posse non videtur, ut iterum extra ius exeamus; quod enim vi antiquitatis tolerantia dignum fuit, eiusmodi non esse amplius, si iterum fieret. Eoque magis, quia cum pluribus iam ab annis intermissus eiusmodi cultus fuerit, iterum eum inducere contra legem esset. Neque obiicias, negotium per novam constructionem templi vel altaris in pristinum statum restitui: ut, sicut ante, ita postea dignum tolerantia videatur. Quia quod antiquitus factum fuit, bona fide et licite actum est; quod vero fieret post prohibentem legem, nec bona fide nec licite posset fieri. Saltem videtur nobis necessarium S. R. Tribunal consulere, ne iuri tam solemniter constituto privata auctoritas iniuriam irroget.

II. *E Thuscia.* **De aqua benedicenda in Dominicis**. Rubricae Missalis et Ritualis exigunt, ut singulis Dominicis, Paschae et Pentecostes exceptis, aquae benedictio fiat ante Missam pro aspersione, quae sequi debet, cleri et populi. Nunc quaeritur: Benedicenda ne tanta aquae quantitas, ut non solum pro dicta aspersione sufficiat, sed etiam pro aquariis Ecclesiae inserviat, quorum lustralis

aqua removenda ut renovetur, sicut innuunt Baruffaldus et Quarti?

Resp. Aquam in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis singulis diebus Dominicis esse benedicendam, ut clerus aspergatur et populus, satis abunde constat: adeo ut nequeat ad hunc finem aqua adhiberi, quae alia die benedicta fuerit. Explicite loquuntur Rituale Romanum, Missale, et Caeremoniale Episcoporum. Excipiuntur tantum Dominicae Paschatis et Pentecostes, in quarum vigiliis solemniter benedicitur aqua, cum eaque pridie benedicta fit consueta aspersio. Diximus *in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis;* quia aliae, uti etiam parochiales, aspersionem facere possunt, non tamen tenentur; quod si faciant, et ipsae uti aliae benedicere debent aquam.

At num aqua benedicenda esse tantae debeat quantitatis, ut inserviat etiam pro renovanda illa, quae habetur in aquariis Ecclesiae, non satis constat, et nulla lex habetur, quae ad idem obliget Ecclesias. Hoc certe non dicit Rituale, quod loquitur tantum de eiusmodi benedictione in Dominicis diebus (*Tit. VIII, cap. 3, n. 1*). Quod si dicat etiam, posse de eiusmodi aqua lustrali Christifideles accipere in suis vasculis, et secum deferre ad benedicendos aegros, domos, agros etc. (*n. 4*), docet etiam loco ante citato aquam benedici posse *quoties opus fuerit.* Sed neque aliquid habetur in Missali, quod verba pariter facit tantum de aqua die Dominica benedicenda, causa aspergendi clerum et populum (*Ordo ad faciend. aquam benedict.*). Caeremoniale consulendum remanet Episcoporum, quod praescribit: « Aqua benedicta singulis saltem hebdomadis renovetur

(*Lib. I, cap. VI, n. 2*) ». At silet de eiusmodi renovatione diebus dominicis facienda, et tunc praecise quando aqua pro aspersione benedicitur, quae, ut superius diximus, quoties opus fuerit potest fieri.

Dices quidem cum Quarti et aliis communiter, hanc benedictionem habere rationem mysterii, ac proinde in Dominica praescribi. Quod admittendum profecto est; sed dummodo aqua diebus dominicis pro aspersione praefata benedicatur, hoc sufficit ut ratio mysterii adimpleatur. Non est nihilominus necessarium, ut omnis aquae benedictio, etiam pro ea renovanda quae in aquariis servatur, die dominica renovetur: secus locum non haberet Rubrica Ritualis dicens, hanc benedictionem posse fieri quoties opus fuerit. Eapropter concludendum, non dari legem obligantem ad aquam lustralem in tanta quantitate benedicendam diebus dominicis, ut non solum clero et fidelibus aspergendis inserviat, sed etiam illius renovationi, quae in Ecclesiae aquariis habetur.

Quid vero censendum de auctoribus in dubio citatis, uti de Baruffaldo, de Quarti, atque etiam de aliis, uti de Gavanto, Merato, De Hertd etc.? Respondemus, nos attente hos auctores legisse ac perpendisse; sed ita aperte se exprimere ut obligent Ecclesias ad praedictum onus benedicendi aquam pro aquariis Ecclesiae quavis die dominica, cum nempe ex praecepto benedicitur pro cleri populique aspersione, affirmare non possumus. Loquuntur enim de renovatione huiusce aquae lustralis pro evitanda corruptione et pro adimplendo mysterio. Hoc autem intelligi potest, tam de aqua benedicta praecedenti Dominica pro

aspersione, quam de alia pro aquariis Ecclesiae. Verum de illa aperte loquuntur, de ista ne verbum quidem. Cum ergo lex de prima tantum loquatur diebus dominicis habenda, de secunda taceat; non adest ratio ob quam auctores praefati de utraque intelligi debeant. Dictis arroges, usum communiorem Ecclesiarum, id oneris uti sibi impositum non agnoscere.

III. *E Dioecesi Senonensi.* **De die festo assignando pro B. Margarita Alacoque.** Indulto gaudet dioecesis nostra remittendi ad 1.^{am} diem liberam in Calendario approbato festa, quae postea conceduntur. Nunc quaeritur, quanam die festum recens concessum B. Margaritae Alacoque debeat celebrari, quum die 17 Octobris in Calendario dioecesano celebretur festum S. Hedwigis ritu semiduplici?

Resp. Si liceret, consilio iuvare optaremus Dioecesim praefatam, ut suo indulto vellet renuntiare: adeo enim nobis apparet intemperans, ut nequeamus nobis persuadere, ita illud esse intelligendum, ut in exposito Dubio explicatum est. Sed non danda consilia iis, qui eadem non petunt. Eapropter respondemus proposito Dubio, non satis intelligi nexum inter indultum et quaesitum. Nam si Dioecesis indulto fruitur, ut nova festa, quaecumque sint, in primam diem liberam valeat amandare; B. Margarita, cuius dies natalis agitur die 17 Octobris, ad primam diem liberam amandanda indubie est, quia dies 17 dicti mensis non est libera, in eaque celebratur S. Hedwiges. Negotium videtur esse perspicuum; cur ergo quaeritur, qua die celebrari debeat fetum praedictae Beatae? Umbram fortasse con-

sulenti ingerit ritus semiduplex S. Hedwigis, ut propterea censeat, B. Margaritam die 17 celebrari posse, cuius festum fortasse ritus minoris est, quamquam de ritu in Dubio taceat. Sed reponimus, sicut dies 17 est natalis B. Margaritae, ita quasi-natalem esse S. Hedwigis. Dato autem ritum Beatae potiorem esse quam Sanctae, non arbitramur recte fieri, si Sancta amoveatur a die sua, ut in ea recolatur Beata, quamvis et sua dies sit. Ratio simplicissima est, quia S. Hedwigis festum praeceptivum est, B. vero Margaritae, nonnisi indultivum, sicut permissivus est eiusdem cultus. Licet ergo occursus habeatur inter duo festa, ex quibus festum superioris ritus alteri praestare deberet inferioris; in casu non credimus hanc legem esse applicandam, cum agatur de duplici cultu satis dispari. Quidquid ceterum sit, praefata Dioecesis indultò gaudet, ergo eo utatur saltem in casu, cum ex eo nullum sequatur incommodum. Haec quidem, si quaesiti vim attigimus: secus oramus ut Adm. Rev. consulens clarius velit exponere dubium.

IV. *E Dioecesi Veronensi.* **De qualitate antiphonae canendae, ingrediente processione Rogationum aliquam Ecclesiam.** Dum processio Rogationum Ecclesiam aliquam ingreditur, si antiphona de Titulari Ecclesiae eiusdem cantari debeat, accipienda ne e Laudibus, an e Vesperis? Addendum ne *alleluia?*

Resp. 1. Quamvis antiphona aliqua in genere de Titulari sit permissa in casu canenda ex Rituali Romano, ita ut nobis videatur indifferens vel e Laudibus eam sumere vel e Vesperis; nihilominus rectus liturgicus sensus dictat, ut e Laudibus accipiatur potiusquam e Vesperis. Quia pro-

cessio de mane fit, et laus in honorem S. Titularis Ecclesiae magis congruit si officio diei respondeat, quam vespertino.

Resp. 2. Decretum *Parmen.* d. d. 9 Maii 1857 ad 1, quaerit: « An in processionibus, quae obtinent in festo S. Marci et in Rogationibus, tolerari queat, ut antiphonae cantentur in Ecclesiis, quas processio ingreditur, ritu paschali? » Responsio autem est: « Affirmative ». Ergo.

V. *Ex eodem loco.* **De nomine exprimendo ad litt. N. in Oratione** *A cunctis.* Potesne exprimi ad litt. N. in Oratione *A cunctis,* praeter nomen Titularis Ecclesiae, etiam Patroni? Quid si eiusmodi vigeat consuetudo? Nomen Patroni exprimi ne debet quando Titularis Ecclesiae nominari nequit?

Resp. Ex Decretis pluribus, quae referre inutile iudicamus, Titularis tantum Ecclesiae nominandus in casu ad lit. N. si tamen id possit; et hoc sufficit. Si autem Titularis nominari nequeat, tunc Patronus loci nominandus est, dummodo consuetudo vigeat eum commemorandi in officio. Quid autem, si consuetudo vigeat Titularem simul et Patronum nominandi? Talis consuetudo videtur legi opposita: ut impraesenti saltem disciplina consultius sit eam mutare.

Nota. Pro Dubio, cuius obiectum est nota laus « Dio sia benedetto », vide *Ephemerid. Liturg.* 1890, pag. 483. Pro altero circa festum fixum mobili in occurrentia praeferendum, vide pariter easdem *Ephemerid.* vertentis anni, num. I, pag. 27, *Quaer. secund.*

VI. *E Polonia.* **De candelis ex stearina in Ecclesia.** Vetitum ne est, tempore Missae et expositionis SSm̃i, praeter numerum praescriptum

cereorum, etiam candelas ex stearina in altari apponere, ad augendam pompam, vel ex necessitate, ex. gr. propter tenebras? Quid consuetudinis in Urbe?

Resp. Dubio prouti iacet negative reponimus. Lumina in Ecclesiis adhiberi possunt vel ob defectum lucis, vel ad ornatum, vel ad cultum. Si de primo agatur, vix instituenda quaestio, cum seu Romae, seu magis in Italia, seu extra eam maxime, lumina indifferenter in pluribus adhibeantur Ecclesiis ex oleo, ex petroleo, *ex gas,* imo ex electro: ut proinde a fortiori candelae adhiberi possint, ex dicto fine, ex saevo, ex stearina, vel ex vegetali materia confectae. Neque obiiciendum Decretum *Faventina* d.d. 20 Mart. 1869 declarans: « Minime adhiberi posse petroleum vel aliud oleum ad illuminandam Ecclesiam ». Illuminatio enim Ecclesiae quid aliud diversi significat ab eo de quo agimus, seu a luminibus, quae unice inserviunt pro evitandis tenebris. Ut proinde lumina ex variis oleis sint quidem prohibita pro illuminatione Ecclesiae, ad pompam adhibita, non vero quae in Ecclesia apponuntur ob defectum lucis naturalis. Ita saltem, ob iam in pluribus locis invectam disciplinam praefatum Decretum intelligendum credimus. Si autem agatur de altero, candelae huiusmodi prohibitae non videntur: adeo ut per Ecclesiam, puta super magna candelabra, quae appendi loco excelsiori solent, adhiberi posse videantur, dummodo tamen extra altaria. Haec enim lumina vix cultus rationem habent, et ad pompam solemniorem significandam accenduntur. Quod et cl. De Herdt notat dicens: « Alias tamen (*candelas*), quae in diebus solemnibus extra altare

accenduntur ad augendam solemnitatem, ex alia etiam materia decenter composita esse posse *(p. I, n. 183, not. 1)* ». Nec ratio deest, quia materia cerea mysticis quidem gaudet significationibus, sed non videntur in his luminibus necessario hae mysticae significationes requiri, cum pro Sacrificio et altari non adhibeantur. Si vero agamus de ultimo casu, hoc est de luminibus severiori sensu ad cultum adhibendis, ea omnino ex cera esse debere S. R. Tribunal praescribit. Hic autem est casus, de quo in proposito nobis Dubio; agitur enim de luminibus in altari tempore Missae et expositionis Sacramenti: porro candelae tunc temporis super altari ponuntur, vel eidem imminentes et ad cultum dubio procul adhibentur, ut permitti nequeant, nisi ex cera apum. Sane ad rem habetur primo Gen. Decretum d. d. 31 Martii 1821, et a Pio Pontifice VII die 3 Apr. eiusdem anni confirmatum, quod sequenti Dubio 7.mo respondet: « An permitti possit, ut ante praefatas imagines in medio altari positas apponantur lumina ex oleo, quae immineant mensae, et ardeant etiam tempore Sacrificii?» Responsio autem huius est tenoris: « Negative in omnibus, nec lumina, **nisi cerea**, vel supra mensam altaris, vel eidem quomodocumque imminentia adhibeantur ».

Cui dispositioni S. R. C. inhaerens, alteram dedit responsionem in *Policastren.* d. 4 Sept. 1875 ad III, quae mentem suam contra alias quascumque ceras, quam de apibus, satis superque ostendit. Operae pretium est integrum referre Quaesitum, quod sic se habet: « An cum occasione solemnitatis alicuius, in altari maiori ponatur machina luminibus ornata usque ad laqueare Eccle-

siae, et in machina baldachinum pro exponendo SS. Sacramento apponatur, valeant adhiberi candelae confectae ex cera stearica vel ex alia materia purificata, similitudinem cerae praeferente, exceptis tamen illis quae sunt in gradu altaris, et immediate ante baldachinum, in quo est expositum SS. Sacramentum? » Nonne maximam cum Dubio nobis proposito praesens quaesitum similitudinem habet, ne identitatem dicamus, si consideretur diversitas candelarum, quae in altari ponuntur, et quae super machina? Quid nihilominus responsum fuit? « Dentur Decreta in una *Massilien.* diei 16 Sept. 1843, quod sic se habet: Instantibus nonnullis Episcopis, permultisque cereorum fabricatoribus cum Rmo Episcopo Massiliensi, ac referente Emo et Rmo Cardinali Cosimo De Corsi ponente, rescriptum fuit: Consulantur Rubricae; et in altera *Divionen.* 7 Sept. 1850, in qua precibus Rmi D. Episcopi Divionen. pro continuatione usus cerae stearinae rescriptum fuit: Nihil innovetur. Atque ita rescripsit et declaravit ». Ergo ad altare candelae ex cera apum, iuxta Rubricas, adhibendae sunt, reliquae prohibitae: ergo nihil innovandum in hac consuetudine, ut pro candelis ex cera aliae ex stearica materia adhibeantur. Id enim exigunt, tum Rubricae, tum Decreta seu Generalia seu particularia, tum denique multiplices mysticae rationes, de quibus non est hic disserendi locus. Hinc cl. De Herdt habet: « Candelas non tantum in sacrificio Missae, sed etiam in expositione SS. Sacramenti, et generaliter omnes, quae supra mensam altaris quomodocumque imminentes adhibentur... ex cera esse debere (*Loc. sup. cit.*) ».

Legi respondet romana praxis: adeo ut, quantum scimus, candelae omnes, quae adhibentur pro altaribus, etiam extra tempus Sacrificii et expositionis, semper ex cera sint. Ex cera, inquam, quae venumdatur, licet parvam de apibus materiam retineat; sed candelae sunt ex cera, quae in praesenti tristitia temporum haberi possunt. Ex quibus inferendum censemus, candelas ex cera pariter adhibendas in processione SS. Sacramenti; hae namque ad cultum adhibentur, in honorem nempe SS. Eucharistiae, quae in processione defertur.

AD DUBIA
SUPER SACRIS CAEREMONIIS
RESPONSA

I. **De genuflexione super ultimo gradu altaris vel in plano.** Quando genuflexio facienda est a sacris ministris super ultimo gradu altaris, et quando in plano, ex regula generali?

Resp. Ministri sacri genu in plano flectunt prima vice et ultima tantum, quando nempe accedunt ad altare, ab eoque recedunt, id est in principio et in fine alicuius functionis. Eiusdem autem functionis tempore semper genu super ultimo gradu altaris flectunt, et non in plano: ita communiter. Inferes, si functio aspersionis aquae lustralis in Dominica ita separetur a Missa, ut Celebrans in sacrarium redeat pro induenda casula, iterum rediturus ad altare pro celebranda

Missa; antequam in sacrarium pergat, et postquam ad altare redierit, genu in plano flectendum esse, et non super gradu altaris. Idem dicas quando post Missam Celebrans in sacrarium vadit pro pluviali ad processionem faciendam induendo: id est, sive ante discessum, sive post reditum ad altare, genuflectere debet in plano. Huiusmodi praxis Rubricis conformis est, quas S. R. C. interpretatur, edicens in *una Marsorum* 12 Nov. 1831 ad 51: « Serventur Rubricae, sed in accessu et recessu in plano est genuflectendum: in infimo autem gradu altaris quoties genuflectere occurrat ».

II. **De imaginum Sanctorum detectione sine thurificatione.** Debent ne imagines, maxime si prodigiosae sint, semper thurificari quoties detegantur?

Resp. Nulla id lex iubet, etsi agatur de imaginibus Deiparae aut Christi Domini. Optime nihilominus thurificantur, cum deteguntur, ad maiorem in eas venerationem, uti saepe, ad imagines quod attinet prodigiis illustres solet fieri.

III. **De ordine thurificationis ad Vesperas.** Quando officium facit ad Vesperas Beneficiatus paratus cum duobus item paratis clericis, hi duo clerici thurificandi ne sunt ante Beneficiatos non paratos in choro sedentes, iuxta Decretum in una *Lauretana* 10 Iun. 1602, quamvis chorus retro altare sit positus?

Resp. Affirmative. Equidem incommodi ratio aliud videretur postulare; eo quod post thurificatos in choro Canonicos, qui retro altare sunt, iterum thurificans ante altare redire debet, ut thurificet clericos paratos, atque iterum ad chorum retro altare reverti pro thurificandis Beneficiatis. Sed huiusmodi ratio non est computanda

comparate ad rationem dignitatis, quae alteri praevalet. Nonne Canonici, quando hinc inde ante altare situs est chorus, prius thurificantur ex una parte, inde ex alia, et postea ad aliam partem iterum redeundum ut thurificentur reliqui? Cum itaque Decretum clericos paratos, ante Beneficiatos statuat thurificandos, ratio commodi negligenda est; et dignitatis, seu ordinis ratio servanda.

IV. **De precibus a Leone Papa XIII post Missam praescriptis.** Missae sine cantu, omnes ne exigunt preces a Pontifice praescriptas post Missam, an Missae conventuales et parochiales excipiendae? Et ubinam in iis dicendis precibus Celebrans genuflexus esse debet?

Resp. 1. Adm. Rev. consulens animadvertit, in tabellis dictas continentibus preces Rubriculam primitus fuisse inscriptam, ex qua patebat, eas esse dicendas *in omnibus Missis sine cantu celebratis.* Postea dictio mutata in alteram fuit, quae tamen idem sonat, nempe: *preces... recitandae post Missae privatae celebrationem.* Hinc quidam inferunt, conventualem et parochialem Missam quamdam exceptionem constituere, quia hae potiusquam privatae, publicae esse videntur, licet sine cantu celebrentur, sive ob cantorum defectum, sive aliis de causis. Quae quidem animadversio gravitate non caret; sed ex opposito attendenda in casu praecipue est significatio Missae privatae, et Missae solemnis, iuxta Rubricas et communem loquendi consuetudinem. Si Rubricas consulamus, speciatim Tit. XV, et XVI, haec una habetur distinctio inter Missam et Missam, videlicet: *in privatam et solemnem:* privata est Missa sine cantu, solemnis quae canitur, et quandoque

conventualis etiam dicitur, uti Tit. XV, n. 2. Imo haec altera plus minusve solemnis esse potest, videlicet cum Diacono et Subdiacono, aut etiam sine his ministris, uti constat ex Ritu celebrandi Missam Tit. VI, n. 8. Hinc divisiones Missarum apud Rubricarum expositores communiores: Missa *solemnis*, seu cum ministris sacris: *Missa cum cantu*, seu sine ministris: Missa *conventualis*, seu quae choralibus praesentibus celebratur, denique *privata*, seu quae sine cantu dicitur, proindeque sine ministris et sine choro. Verum est quidem, alias quoque, maxime in antiquitate, extitisse Missarum divisiones; sed haec, quamvis iustae in se ipsis, et temporum locorumque adiunctis respondentes, a Rubricis non sunt, quibus primae divisiones sunt satis, utpote Missas in se respicientes. Hoc posito, facile intelligitur, quid intelligendum sit pro Missa privata, vel sine cantu, de qua inquiritur: est videlicet illa, quae neque sacros ministros habet, uti solemnior, neque in cantu celebratur, uti minus solemnis, neque praesente choro, uti conventualis. Post quam ergo Missam preces praescriptae a Pontifice sunt dicendae? Post illam, quae sensu exposito privata est, quae scilicet non habet sacros ministros, nec cantum, nec rationem conventualis. Ergo dicendae sunt post Missam parochialem, dicendae sunt post Missam communionis alicuius generalis, dicendae sunt Missam, cui Collegia vel Seminaria assistunt etc. etc. dummodo non sint in cantu. Inferes, Missam conventualem per se semper canendam, per accidens quandoque legendam, non ideo amittere rationem Missae conventualis, quia ad sacrum conventum semper pertinet. En sapiens ratio, ob

quam S. R. C. expetita: « Utrum Missae conventuales sine cantu considerari possint veluti solemnes, sive quoad collectas, sive *quoad preces in fine Missae ex mandato SSmi Dñi Nostri Leonis Papae XIII recitandas*, sive quoad numerum cereorum in altari accensorum, *affirmative* » respondit (*Ord. Capuccinorum 17 Dec. 1888 ad VII*).

Resp. 2. Celebrans satis decentius se geret in casu, si non ad ultimum descendat altaris gradum, sed in suppedaneo ipso genua flectat pro praefatis precibus recitandis, uti alias expositum est (*V. Ephemerid. Liturg. 1889, pag. 478 et seq. in fine Dub. VI*). Nihilominus liberum est Celebranti se gerere prouti sibi melius libuerit; quia S. R. C. ad rem exquisita respondit: « ...in recitatione precum genuflectendum pro lubitu sive in suppedaneo, sive in infimo gradu altaris (*Aretina, 18 Iun. 1885 ad XII*) ».

V. **De inclinationibus quibusdam faciendis a Diacono et Subdiacono in Missa solemni?** Dubium IV Decreti *Urgellen.* 30 Dec. 1881 dicit: « An Diaconus, et Subdiaconus quando patenam non sustinet, se conformare debeant Celebranti, quotiescumque hic caput inclinat vel seipsum signat, an vero id tantum facere debeant quando Celebrans se signat aut caput inclinat, aliquid proferens voce non secreta? Item an teneantur pectus percutere simul cum celebrante ad « Nobis quoque peccatoribus, ad « Agnus Dei » et demum ad « Domine non sum dignus? » Responsum sic sonat: « Ad IV. Quoad primum negative; quoad secundam teneri tantum ad Agnus Dei ».

Hoc responso innixus recens aliquis auctor, quem Em. Card. Masella commendatione initio

libri posita valde laudat, sustinet Diaconum et Subdiaconum nullam cum Celebrante debere facere inclinationem etc. ipso fatente contra omnes auctores in rubricarum expositione probatos, responsumque dictum citat facta aliqua mutatione, sc. « quoad primam negative ». Quaeritur ergo, quisnam sit legitimus sensus et authentica forma responsi?

Resp. Proposita difficultas non magni nobis apparet momenti. Namque animadvertendum, Dubium IV, de cuius sensu inquiritur, tres continere partes, vel melius duo quaesita, quorum primum constat duabus partibus, et alterum est simplex. Petit primum: an inclinationes a sacris ministris sint in Missa solemniori faciendae sicut a Celebrante, an potius faciendae non sint: en duae quaesiti partes. Petit alterum de percussione pectoris ex parte eorumdem ministrorum; et inquirit tantum, utrum fieri debeant: en pars unica secundi quaesiti. Cum autem responsio ad hoc alterum quaesitum perspicua sit, eique soli congruere possit, uti patet; de hoc disserere praetermittimus, et de primo tantum discutiemus. Itaque inquiritur an inclinationes, ut in casu, fieri debeant, an non; et responsio clara est: *Negative.* Nunc quaeritur: quinam est huiusce responsionis sensus? Nos autem inquirimus, num potuerit S. R. Tribunal responsionem suam negativam ad utramque quaesiti partem applicare? Quod absolute negamus, cum sit absurdum; impossibile est enim velle, vel affirmative vel negative respondere, quando petitur de re aliqua aut facienda aut omittenda, prout in casu. Ergo ex duobus unum: aut S. Tribunal dedit proposito quaesito

satis imperfectam responsionem, et consequenter nimiam redolentem ambiguitatem, aut uni tantum eiusdem quaesiti parti respondere voluisse tenendum est. Quid veri? Primum admittere nec possumus nec debemus; ergo verum est alterum. Cuinam ergo quaesiti parti S. R. C. respondere voluit? Primae, dubio procul, et non secundae, ad quam implicite cum responso ad primam factum est satis. Agitur namque de inclinationibus aut faciendis aut omittendis: consequenter qui affirmat eas esse faciendas, negat eo ipso easdem esse omittendas: qui negat eas esse faciendas, affirmat eo ipso easdem esse omittendas, cum agatur de contrariis. Sensus ergo negativae responsionis in casu, est sequens: « Quoad primum Negative », hoc est, Diaconus, et Subdiaconus quando patenam non sustinet, se conformare **non** debent Celebranti, quotiescumque hic caput inclinat, vel seipsum signat; sed tantum **id facere debent** quando Celebrans se signat, aut caput inclinat aliquid proferens voce non secreta. Duplex brevior animadversio exposita firmabit. 1. Sensus responsioni a nobis assignatus respondet praxi communiter probatae, et sentiendi modo scriptorum liturgicorum. 2. Idem sensus non est ex nobis, sed ex ipsa S. R. Congñe, quae pluries in Decretis, maxime antiquioribus, eodem modo respondet. Est ergo sensus verus et legitimus; ut si aliter cl. auctor, de quo adm. Rev. Consulens, praefatam responsionem intelligat, a veritate aberrare iudicandum sit.

PERUTILE CONSILIUM

Maximopere nobis gaudemus, quod sacrae Liturgiae studium magis in dies augescit, ex quo arguendum profecto, et cultum in Deum maiori quoque decore exornari. Id inferimus ex operibus, quae in lucem frequenter prodeunt, seu scientiam seu disciplinam liturgicam spectantibus. Sed praesentium temporum adiunctorum necessitate cogimur consilio iuvare eos ex Ven. Consociatis nostris, qui zelo citra dubium erga divinum cultum moti, aliquid super praedicta materia vulgare peroptant. Hoc est, ut opus quodcumque liturgicum velint impraesentiarum intermittere, cum tempus satis appareat nobis incongruum. Et sane, quodnam elucubrari opus id generis poterit, quod non solum a Rubricis, sed vel maxime a S. R. Congñis Decretis vim accipiat, robur, eruditionem, ipsamque scientiam addiscat? Iam nunc omnibus arbitramur esse compertum, S. R. Congñem, imo ipsum Summum Pontificem Leonem XIII instituisse appositam *Commissionem*, seu electionem virorum, qui peritiores iudicati sunt, ut omnia et singula Decreta super ritibus atque praecedentiis examinarent, discuterent, iudicarent, mutarent, delerent, servarent, prouti vel Rubricae reformatae, vel praesens disciplina, vel rerum temporumve adiuncta postulant. Quorum nihilominus peritiorum iudicium vi deliberandi non gaudet, sed sapientissimo aliquorum Eñorum Patrum sententiae definitivae subiacet, quos Ip-

samet Sanctitas Sua ad hoc eligere dignata est. Hinc sequitur, Collectionem cl. Gardellini adhuc quidem vim suam possidere, nisi quid iam obstet; sed quanto adhuc tempore? Breviori certe. Nova autem Collectio, quae paratur, in pluribus ab antiqua discriminabitur, uti in Decretorum numeratione, in compositione voluminum, atque etiam quandoque in ipsa legum substantia. Quoadusque ergo utilia esse poterunt Opera liturgica, quae in praesenti evulgantur? Namque, novae Collectioni evulgandae, nec citati Decretorum in libris numeri respondebunt, nec numerus voluminis; et aliquando ipsa rei veritas deficiet. Nonne ergo longe consultius esset vel opera incepta intermittere, vel a publicatione abstinere, vel etiam ab operibus quibuscumque super re liturgica suscipiendis, ut post novae Collectionis evulgationem omnia perfecta fiant, cum maiori et scriptorum et lectorum utilitate? Hoc suggerimus consilii, ne in vacuum forte laborent auctores, et decepti quodammodo in libris sibi comparandis lectores maneant. Namque ut nonnullis res demonstretur exemplis, quid habetur in Collectione praesenti de Praefatione in Missis votivis, quae aliquando in Dominica locum habent? Non parum obscuritatis. Quid si negotium iam fuerit declaratum? Ut quid tunc tempus terere in docendo, esto cum alicuius Decreti citatione, Praefationem in praedictis Missis nunquam esse dicendam de Trinitate? Et si oppositum sit statutum, uti revera est, quid eiusmodi doctrina iuvaret? Evangelium in fine Missae votivae, dicitur adhuc, semper erit de S. Ioanne. *In principio.* Optime quidem; at si Missa esset de Sancto ri-

tus simplicis in die sua, et quae tamen votiva, vel ad instar saltem votivae solet nuncupari, nonne aliquid in oppositum posset esse statutum? Praeterea, constat impraesenti plures ad libitum Orationes posse dici in Missa de Semiduplici: sed haec doctrina, nonne alicui mutationi, Rubricis Missalis attentis, esse posset obnoxia in nova Collectione? Impar Orationum numerus, quando locum habet, ecquis pro certo habet quomodo sit intelligendus? etc. etc.

Qui autem exhibitum a nobis consilium negligere malint, hoc saltem advertant, ut ius vetus in operibus edendis in novum certum mutent, plures enim ex lectoribus, secus, facile in errorem inducuntur. De Opere quodam liturgico nuperrimo, ad nos misso, iam eos quorum interest monuimus, illudque annuntiare prudenter praetermisimus, donec corrigatur. Aliud nobis paucis abhinc diebus missum est, quod cum eodem defectu laboret, non annuntiabimus, nisi auctorem ante certiorem faciamus de mendis repurgandis. Et haec sint satis, ut reliqua sileamus; sed generaliter animadvertendum putamus, neminem in praesenti rei liturgicae statu posse prudenter opus quodcumque huius generis suscipere, nisi recentiores dispositiones S. R. Tribunalis apprime cognoscat: quod nihilominus negligi exempla demonstrant. Ex. gr. legimus adhuc in altero ex duobus Operibus, de quibus superius, Missas de tempore dici non posse tamquam votivas. Verum est; sed impraesenti, post Decretum *Strigonien.* 30 Aug. 1872 ad VIII, Missa de feria currenti in Quadragesima, in festo semiduplici, recitari posse declaratum manet, licet de ea officium non

fuerit recitatum. Hoc autem, cum de hac materia agitur, perspicue est exponendum, ne lectores in falsa, quae hucusque retenta est, hypothesi perdurent. Ita notatum legimus, *per diem obitus seu depositionis intelligendum esse totum spatium a primo mortis momento usque ad sepulturam, dummodo non sit ultra biduum;* et citatur in confirmationem doctrinae Decretum *Calagur. et Calceat.* 13 Febr. 1892. At revera Decretum istud non hoc dicit, sed tantum: cadaver absens *ob civile vetitum vel morbum contagiosum*, licet humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri posse physice praesens. Iam nunc manifestum est, a civili vetito vel morbo contagioso te abstrahente, negotium uti antea omnino remanere. Ergo falsum est quod generaliter asseritur. Item dies anniversaria nonnisi a die obitus computanda dicitur, dum dies III, VII et XXX computari posse dicuntur tam a die obitus, quam a depositionis; et pariter Decreta ad rem citantur. Sed praesens disciplina mutata est, et Decr. Gen. 2 Dec. 1891 aperte docet: « diem anniversarium pro defunctis, nec non dies 3, 7 et 30 tam a die obitus quam a die depositionis computari posse, contrariis non obstantibus quibuscumque (*V. Ephemer. Liturgic. 1894, pag. 676, n. 12*). Similiter habetur: « Si... anniversaria ad petitionem vivorum cadant in diem impeditam, nequeunt anticipari vel transferri in duplicibus ». Verum est oppositum; quia praesens disciplina indulget, ut inter anniversaria fundata et non fundata, nullum ponatur discrimen (*V. Ephemer. Liturgic. 1894, pag. 675, n. 10*). Et haec sint satis, ut scriptores in animum inducant sibi, ante Operum evul-

gationem necessario ius positivum novum esse omni studio inquirendum, agnoscendum et apprime intelligendum, ne vel frustra vel, quod peius est, in aliorum damnum laborent. Sed non possumus, quin iterum dicamus: Consultius foret, ut ab omnibus Operibus liturgicis conficiendis vel edendis abstineant, ad novam usque Decretorum Collectionem, quae quamprimum fieri potest, prodibit in lucem.

APPENDIX.

1.

DECRETUM

S. ROMANAE ET UNIVERSALIS INQUISITIONIS

Feria IV. Die 5 Decembris 1894.

Cum recenter ad hanc Supremam Congregationem S. R. et U. Inquisitionis a compluribus Episcopis pervenerint petitiones, quarum omnium una mens erat, abstinentiae legem, de qua valde solliciti sunt, magnis in populorum concursibus aegre admodum ac difficulter variis de causis posse servari, te damno potius animarum quam saluti praebere occasionem, Eminentissimi ac Reverendissimi Domini S. E. R. Cardinales contra haereticam pravitatem in universa christiana republica Generales Inquisitores, in plenario comitio dictae feriae IV. die 5 Decembris 1894, re integre proposita ac mature perpensa, decreverunt ut infra, scilicet:

Supplicandum Sanctissimo ut Episcopis aliisque locorum Ordinariis concedere dignetur facultatem anticipandi die sibi benevisa, atque ob gravissimas causas etiam dispensandi super lege ieiunii et abstinentiae, quando festum sub utroque praecepto servandum Pratroni Principalis aut Titularis, vel solemne aliquod festum item magno populorum concursu celebrandum, inciderit in ferias sextas aut sabbata per an

num, excepto tempore quadragesimae, diebus quatuor temporum et vigiliis per annum ieiunio consecratis; atque ut eâdem anticipandi seu etiam gravissimis de causis dispensandi potestate uti possint pro diebus, quibus nundinae extraordinariae, magno item populorum concursu, habeantur.

Habita autem per R. P. D. Adsessorem S. O. relatione Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, idem Sanctissimus Dominus praesens decretum ratum habuit et confirmavit, ac omnibus et singulis locorum Ordinariis facultatem, de qua agitur, perpetuis futuris temporibus concessit ac attribuit, facta tamen in singulis casibus mentione apostolicae dispensationis.

Ios. Mancini, *S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius.*

2.

EX S. CONGR. CONCILII

DECRETUM.

Anteactis temporibus non defuerunt apud Apostolicam Sedem Episcoporum querelae de clericis, qui suam deserentes dioecesim ad Urbem citra necessitatem et iustam causam pro lubito demigrabant: et in singulis casibus, prout ferebat occasio, provisum tunc fuit. At nostra aetate hic abusus invalescere et eo gravior fieri visus est, quo magis in pluribus dioecesibus sacerdotum imminutus est numerus: et idcirco ab Ordinariis non semel postulationes exhibitae sunt ut eidem prospiceretur. Profecto tum ex veteri Ecclesiae disciplina, tum praesertim ex praescriptionibus S. Conc. Trid. *cap. 2 sess. 21 et cap. 16 sess. 23 De reform.* ac subsequentibus S. Congregationis resolutionibus, liquet non deesse Episcopis iuris remedia, quibus hanc clericorum licentiam coerceant. Ob suarum enim ecclesiarum necessitatem Ordinariis perspicue ius est interdicendi ne sacerdotes quamvis ad patrimonii titulum ordinati propriam dioecesim deserant, eosque revocandi quamvis alibi, et adeo etiam in Urbe, per apostolicas litteras resi-

dentiale beneficium assequutos, si citra Ordinarii beneplacitum discesserint, eisque praebeatur unde honeste in sua dioecesi vivere possint. Hoc constanti disciplina retinuit S. Congregatio, uti inter alia luculenter patet ex resolutione in causa *Reatina* diei 26 Ianuarii 1833.

Quapropter, praedictis Episcoporum postulationibus S. Congregationis iudicio nuperrime subiectis, Emi Patres responderunt, satis provisum per superius memoratas sacrorum canonum dispositiones.

Nihilominus cum plures Episcopi, praesertim e proximis Urbi regionibus, etiam in unum collecti, postulationibus alias oblatis institerint, et impense a Summo Pontifice efflagitaverint, ut aliquid hac in re peculiariter decerneretur, quo efficacius huic ecclesiasticae disciplinae perturbationi occurri posset, SSmus Dnus Noster Leo PP. XIII, omnibus mature perpensis, et iuxta ea quae alias per Emum Urbis Vicarium edi iusserat, haec quae sequuntur per Sacram Concilii Congregationem praescripsit ac statuit:

1. Clerici et sacerdotes saeculares alienae dioeceseos aut etiam regulares extra claustra degentes nequibunt in posterum stabile domicilium in Urbe statuere absque expressa venia Summi Pontificis per officium S. Congregationis Concilii impetranda.

2. Qui vero in praesens Romae degunt, si nullo beneficii aut officii titulo ad residendum adstricti sunt, nec per diuturnam commorationem et tacitam aut expressam suorum Episcoporum licentiam domicilium Romae acquisierint, post mensem a die huius decreti elapsum ad suam dioecesim redire debebunt.

3. Nullus ex clericis et sacerdotibus alienae dioecesis ad ecclesiasticum officium, quodcumque sit, aut ad aliud munus quod residentiam in Urbe requirat, eligi a quoquam in posterum poterit, nisi praeter testimoniales commendatitias sui Episcopi litteras, exhibeat quoque veniam a Summo Pontifice iam obtentam Romae manendi: itemque nemini beneficium conferetur, si assensum Ordinarii sui ad

hoc non obtinuerit: atque aliter facta beneficii collatio nulla et irrita erit.

4. Qui ad litterarum scientiarumque studiis operam dandam vel ad honesta negotia peragenda, vel ex alia iusta causa in Urbe cum Ordinarii licentia versantur, statim ac temporaria huiusmodi causa cessaverit, vel a proprio Episcopo revocentur, ad propriam dioecesim redire debebunt, exclusa omni futili excusatione, ac praesertim, ob peculiarem dioecesium his temporibus conditionem, nullatenus eisdem suffragante exceptione, sive ex susceptis studiis sive ex praetensa tenuitate sustentationis ab Episcopo oblatae desumpta: quod si durante hac eorum commoratione in Urbe sese, uti decet, non gesserint, per Vicariatum Urbis propriis Ordinariis denunciabuntur, et ab Urbe discedere cogentur.

5. Quicumque denique, quolibet modo, praesentibus dispositionibus se non conformaverit, aut, quod Deus avertat, eisdem contraiverit, ipso facto suspensioni a divinis obnoxius fiet.

Caeterum Episcopi omnium clericorum suorum aeque curam gerant, neque, uti saepe dolendum, e sua dioecesi eos abire facile sinant, qui seu vitae ratione, seu aliis quibuscumque causis sese reprehensione dignos aut molestos exhibeant.

Haec itaque omnia Sanctitas Sua ab omnibus ad quos spectat, custodiri et inviolabiliter servari mandavit, contrariis quibuscumque etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus.

Romae ex aedibus S. C. Concilii die 22 Decembris 1894.

A. Card. DI PIETRO Praefectus
L. SALVATI *Secretarius.*

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1895.

S. RITUUM CONGREGATIO

IANUEN.

Ne quid dissonum a dispositionibus liturgicis in sacris peragendis functionibus eveniat, Rm̃i Canonici Insignis Ecclesiae Collegiatae B. M. V. a Vineis in Archidioecesi et civitate Ianuensi existentis, sequentem supplicem libellum dederunt, nimirum:

Beatissimo Padre,

I Canonici dell'insigne Collegiata di Nostra Signora delle Vigne in Genova, prostrati ai piedi di Vostra Santità, riverentemente espongono:

Che i loro indumenti canonicali consistono — in collare di seta rossa, — sottana di seta nera, con coda foderata di seta rossa nell'estremità inferiore, — rocchetto, — cappa di seta rossa in estate, di panno rosso nell'inverno, — cappino di seta rossa (con cappuccio) da Pasqua ad Ognissanti, di panno rosso e pelliccia d'armellino da Ognissanti a Pasqua;

Che tutti complessivamente codesti indumenti si usano soltanto nelle principali solennità, funzioni e processioni;

Che per gli ordinari giorni festivi e feriali occorrono loro i seguenti dubbi:

1° Se, per adempiere agli obblighi del Coro, negli ordinari giorni festivi e feriali, debbano indossare rocchetto, cappa e cappino?

2° Quatenus negative, se debbano indossare rocchetto e cappino?

3° Quatenus negative, se basti loro indossare il rocchetto?

Quibus precibus fideliter relatis per me infrascriptum Secretarium, Sacra Rituum Congregatio, omnibus attente, riteque libratis, rescribendum censuit.

Ad 1^{um} Negative.

Ad 2^{um} Affirmative.

Ad 3^{um} Provisum in secundo.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 15 Martii 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

ALOSIUS TRIPEPI
S. R. C. Secret.

Loco ✠ Sigilli

ORDINIS S. BENEDICTI

CONGREGATIONIS GALLICAE.

R. P. Franciscus Chamard Prior Monasterii S. Mauri Glanafoliensis ad Ligarim in Andegavensi Dioecesi Sacram Rituum Congregationem rogavit pro declaratione insequentium Dubiorum, nimirum:

1° An monachi Ordinis S. Benedicti, qui habitant coenobium canonice erectum sub titulo Prioratus simplicis et jurisdictione monasterii principalis, sed situm in altera dioecesi et extra civitatem episcopalem, imo nondum ecclesia consecrata munitum, debeant celebrare annuatim festum Dedicationis ecclesiae Abbatiae, in cujus Abbatis potestate sunt, prout assignatur in Kalendario a Sancta Sede approbato; et quatenus negative.

2° An dicti monachi debeant celebrare, sicut fere omnes Galliae Dioeceses, ex indulto Cardinalis Caprara, in prima Dominica post festum Omnium Sanctorum, *Dedicationem omnium ecclesiarum consecratarum?*

3° An potius ad nullum festum Dedicationis ecclesiarum teneantur celebrandum?

Sacra autem Congregatio, referente me infrascripto Secretario, singulis propositis Dubiis maturo examine de more perpensis, respondendum censuit.

Ad 1um Negative.

Ad 2um Affirmative.

Ad 3um Provisum in praecedentibus.

Atque ita rescripsit, servandumque mandavit. Die 15 Martii 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

ALOISIUS TRIPEPI
S. R. C. Secret.

Loco ✠ Sigilli

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

IV.

Caius et Titius Caeremoniarum magistri peritissimi quoddam, paucis abhinc diebus, Calendarium pro anno 1894 redactum examinantes, animadvertunt peculiarem occurrentiae casum. Oratio D. N. I. C. in Horto et Desponsatio almae Virginis cum S. Ioseph eodem die occurrerant. Cumque utrum-

que festum, secundarium sit, observant, iure merito tributam fuisse praelationem festo Domini, et translatum in aliam diem festum Deiparae. Cum vero ante Desponsationis festum, aliud occurrisset impeditum, quod erat natale cuiusdam Patroni secundarii, et ad aliam diem amandandum, admirantes vident huic festo, quod prius fuerat impeditum, antepositum fuisse in translatione festum Desponsationis. Redactorem accersunt, ab eoque causam huiusmodi dispositionis inquirentes, audiunt, se ita semper fuisse operatum, et ab omnibus liturgicis auctoribus eiusmodi agendi modum didicisse. Ad novissimum tunc Decretum super primariis et secundariis festis appellantes, et Calendarii Redactorem incusantes erroris, quaerunt:

1. *Quaenam generales Translationis regulae, iuxta Tit. X Rubricarum Breviarii Romani, et quaenam hucusque fuerit intelligentia Rubricae septimae eiusdem Tituli?*

2. *Quomodo impraesenti intelligenda veniat eadem Rubrica, iuxta Decretum novissimum de primariis et secundariis festis, peculiariter maiori vel minori solemnitate festorum inspecta?*

3. *Utrum vere erraverit Calendarii Redactor, et quomodo instruendus, ut in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Petri Fumasoni e Pont. Seminario Rom. habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam die 24 Iun. 1894: acta Epitoma a Rev. Dom. Dom. Hilario Passerini ex Praelatis Romanis.

I. Primo quaeritur de generalibus translationis regulis iuxta Tit. X Rubricarum Breviarii Romani, atque insuper de sensu Rubricae septimae eiusdem Tituli hucusque tributo.

Ex conflictu duorum officiorum una simul eademque die occurrentium id efficitur, ut si neutrum cum sola commemoratione peragi queat, necesse sit alterum dimitti, donec die quamprimum libera resumatur: quod cum fit, Translatio proprie dicitur, de qua luculenter satis egit Micrologus *cap. 42.* Ita ad litteram Guyetus *(Lib. IV, cap. VII).*

Duo proinde sunt Translationis termini: alter *a quo,* alter *ad quem.* Quaestio praesens, ad quam petitio, cui respondemus, relationem dicit, non tam primum respicit, quam alterum terminum: ut a prima quaesiti parte ad secundam facile transeamus, seu ad intelligentiam Rubricae septimae Tituli X. Hoc itaque prae oculis habentes inquirendae nobis sunt regulae tenendae in translatis festis collocandis diebus, qui ipsis competunt. Hoc autem idem est ac quaerere, quinam tenendus ordo in festis propria die impeditis, alia die assignandis.

Itaque prima generalissima lex est, officium quodcumque translatum reponendum esse in primam diem liberam: liberam intelligas ab alio

officio novem lectionem, diebus infra octavam communem exceptis, qui licet novem lectionum, pro recipiendis nihilominus translatis liberi sunt. Verum quando plura officia per annum impediuntur, vix praelata iuvaret regula, nisi aliae normae generales praesto essent. Cum enim reponenda sunt, in alia die a propria, plura officia, noscamus oportet, quodnam ex iis reponendum sit prius, quodnam posterius, ut omnia secundum ordinem fiant.

Eapropter, prima supposita, aliae assignantur in dictis translationibus sequendae normae. Porro aut in officiis transferendis datur disparitas ritus, aut aequalitas: si autem detur ritus aequalitas, aut in festis, quorum reponenda sunt officia, adest primarii qualitas, aut non: hac autem deficiente, adesse potest, vel non, in personis, ad quas officia pertinent, liturgica dignitas. Ex his regulae quaedam exurgunt, iuxta quas officia reponenda sunt.

Prima igitur regula, cum officia diversi sunt ritus, sic exprimitur: Inter plura translata officia ritu inaequalia illud semper prius reponitur quod potioris est ritus. Haec autem regula potissima est, et ante ceteras, de quibus disserendum erit, consideranda. Adeo ut, superior excellentia ritus, in quo et classis includitur, neglectum inducat reliquarum, quibus festa praestare valent, qualitatum, quae proinde nihili faciendae sunt. Hinc, sive officium superioris ritus antea occurrerit in Calendario, sive postea: sive ad primarium pertineant, sive ad secundarium festum: sive liturgica polleat dignitate, sive non, officium, de quo in casu, primas in repositione semper habebit.

Huiusmodi autem legem primam Rubrica suppeditat; namque ait: « Si plura festa duplicia... transferenda sint, quod est magis solemne semper prius transferatur et celebretur (*Tit. X, n. 7*) ». Porro maior non datur solemnitas illa, quae in ritu consistit: adeo ut officium superioris ritus alteri cuicumque inferiori, aliis haud obstantibus, praevaleat necesse est. Quam Rubricam S. R. C. confirmans et declarans docet: « In fixatione festorum attendi debet quod praecipitur a Rubrica 10 Breviarii Romani sub n. 7 de translatione festorum, ut scilicet, prius agatur de duplici, postea de semiduplici etc. (*Mediolanen. 7 Dec. 1743 ad 3*) ».

Pro aequalitate ritus duae aliae exhibentur regulae, quarum prima sic exprimi potest: Ex duobus officiis translatis ritu paribus, si alterum sit primarium, alterum secundarium, illud huic in repositione praevalet. Notandum autem, in hac sequenda regula posthabendas esse pariter reliquas praerogativas, ritu excepto, de quo superius, quibus exornari potest officium secundarium. Adeo ut nec prioritas in hoc translationis attendenda sit, neque personalis dignitas, si ea gaudeat; quia festum primarium, in paritate ritus, semper secundario praeferendum est.

Haec regula secunda ex Rubrica quoque est, in iisdemque verbis includitur, quae superius retulimus. Solemnitas enim primo ex ritu constituitur, secundo autem, si par sit ritus, ex qualitate primarii, ita S. R. Congñe docente in Decreto *Iamdudum*, videlicet: festa primaria, *utpote solemniora*, aliis in paritate ritus esse praeferenda, non solum quando occurrunt aut concurrunt, sed

et quando sunt reponenda (*27 Iun. 1893*). Summus autem Iuris liturgici Factor et Moderator Leo Papa XIII, Decretum praefatum confirmans *iussit, ita et non aliter Rubricarum praescripta hac in re esse interpretanda.*

Altera autem, quae tertia est, sic proponitur: Ex pluribus transferendis officiis, tam ritu quam primarii aut secundarii qualitate paribus, illud primo reponendum, quod est dignitate liturgica praestantius. Dignitas personalis in solemnitate quoque includitur, de qua idem Titulus X pluries citatae Rubricae *(n. 7):* ea nihilominus post primarii qualitatem consideranda venit, ut si haec non adsit, nullam illa vim habeat ex praecitato Generali Decreto. Animadvertendum hic est, dignitate personali haud omnes personas gaudere, ad quod festa vel officia pertinent, sed illas tantum, quae nominantur in Rubricis, videlicet: Dominum, Deiparam, Angelos, S. Ioannem Baptistam, S. Ioseph almae Virginis Sponsum, Apostolos, denique et Evangelistas. Hinc nulla Martyres praelatione donandi sunt prae Confessoribus, nulla hi prae Virginibus, nec Virgines praeferendae Viduis, cum eorum singulorum dignitas, quaecumque sit, attendi non debeat.

Quarta atque ultima haec in repositione sequenda est regula: Ritu, primarii qualitate ac dignitate paribus, ordo Calendarii in reponendis officiis translatis tenendus est. Eo videlicet ordine officia sunt reponenda, quo celebrata die propria fuissent, si nulla adfuisset ea transferendi necessitas. Hanc regulam explicite Rubrica suppeditat, praedicans: « Si (officia) sunt aequalia, unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant ce-

lebranda in propriis diebus (*Loc. cit.*) ». Eamdem regulam S. R. C. pluribus Decretis suis confirmat, ut nullus subiaceat discussioni locus. Notandum autem, ordinem Calendarii in casu tenendum esse, quamvis momentum aliquod possit contrarium suggerere, puta si officium ad festum cum feriatione pertineat, si sit magis particulare aut proprium, si alio solemnius recolatur, etc. Haec, inquam, nulla consideratione sunt digna in casu, uti per plura Decreta S. R. C. nos edocet, proindeque, his haud rationibus obstantibus, semper Calendarii ordo sequendus.

Cum nihilominus, vix ulla detur lex, cui nulla deroget exceptio, ita in praefatis, quas exhibuimus, normis accidit. Dantur eapropter et hic nonnullae exceptiones, quas prae oculis habeant oportet Calendariorum redactores in reponendis officiis, die propria impeditis, quas vel Rubrica vel S. R. C. posuit, et breviter referimus. Itaque excipiuntur ab assignatis regulis communibus: 1° Festum Purificationis Deiparae, quod die immediate sequenti reponitur iuxta Rubricam (*Tit. X*, *n. 1*). 2° Festum Ss. Cordis Iesu, quod duplici I classis primario impeditum reponendum est in Sabbato immediate sequenti feriam VI post Octavam Ss. Corporis Christi, in qua recolendum esset. 3° Festum S. Ioannis Baptistae, quod die immediate sequenti reponendum est. 4° Festum S. Ioseph, de quo, si impediatur a Dominica Passionis, die immediate sequenti faciendum est: si vero ab hebdomada maiori impediatur, reponendum est feria IV post Dominicam in Albis. Apprime autem animadvertas, haec tria officia posse quoque die immediate sequenti impediri a festo quocumque duplici I clas-

sis primario, eoque in casu alia insequenti die similiter non impedita reponenda sunt (1). 5° Festum Annuntiationis Deiparae, quod impeditum die 25 Mart. reponitur quoad officium in die immediate sequenti, si ante Dominicam palmarum occurrat: in feria II post Dominicam in Albis, si occurrat in maiori hebdomada. Quod si eiusmodi officium translatum impediatur festo altio-

(1) Ad hoc quod attinet negotium, necessarium credimus lectores nostros monere, Opus cetera notissimum ac maximopere laudabile cl. De Herdt (postumum tamen, alludimus enim ad ultimam, seu nonam vix absolutam Editionem) excusatione quidem, sed etiam emendatione esse dignum. Haec enim tria festa docet impediri non posse in die translata, nisi a duplici I classis cum feriatione celebrando. Id quidem S. R. C. statuerat antequam Decretum *Iamdudum* a Summo Pontifice confirmaretur, quod accidit die 2 Iul. 1893: hac autem inscripta die sunt anteriora reliqua Decreta circa privilegium, quo tria praefata festa decorata fuere. Verum postea aliud Gen. Decretum vulgatum est d. 14 Aug. 1894, quo statuitur, *Festum Ss. Cordis Iesu, utpote secundarium, omnibus duplicibus primae classis primariis locum cedere, tam in occursu, quam in concursu atque in repositione.* Idemque pariter eodem in Decreto statuitur quod attinet festa translata, seu officia S. Ioseph et S. Ioannis Baptistae. Ergo ut festum, aut officium Ss. Cordis Iesu impediatur a duplici I classis, non est necessarium ut hoc idem duplex cum feriatione recolatur, uti antea statutum fuerat, sed ab eo impeditur, modo primario, quamvis feriatione careat. Item officia, non festa, S. Ioseph et S. Ioannis Baptistae a quocumque pariter duplici I classis impediuntur, sive gaudeant, sive non, feriatione. Consequenter festum Ss. Cordis hoc modo impeditum in die immediate sequenti reponendum erit similiter non impedita: festum S. Ioseph reponendum die post ei assignatam pro repositione, pari ratione non impedita: S. Ioannes reponendus in die immediate sequenti, simili modo non impedita. Id advertant Calendariorum redactores, cum cl. De Herdt legunt parte 4, n. 273 post Regulam 4, ne clausis legentes oculis in errorem inducantur.

ris ritus, tunc reponitur in die immediate sequenti similiter non impedita: translatum vero Annuntiationis festum impediri non potest, cum omnibus duplicibus etiam I classis sit praeferendum. 6. Festum Ss. Iesu Nominis, quod reponitur impeditum in diem 28 Ianuarii, quo impedita festo vel aequalis ritus sed primario, vel altioris ritus, in prima similiter non impedita die reponendum est, iuxta Decretum *Urbis et Orbis* d. d. 10 Aug. 1849. 7° Festum quodcumque octava gaudens et die sua impeditum: quod, aut infra octavam prae ceteris reponitur, si dies libera adsit ab officio novem lectionum: aut die octava secus reponitur, modo non occurrat festum vel aequalis ritus sed primarium, vel altioris ritus: quo in casu iuxta generalem legem prima die libera reponitur.

Quod autem antiquam interpretationem spectat Rubricae septimae Tituli X, breviter animadvertendum, aliam hucusque fuisse, antequam Decretum *Iamdudum* prodiret de primariis et secundariis festis: quod hic adnotamus, ne in errorem incidant, qui Calendaria redigendi onus suscipiunt. Itaque, licet controversia agitaretur, num primaria in occursu secundariis festis, in paritate ritus, essent praeferenda, super quo Calendariorum redactores, utpote in dubia lege versantes, liberi erant; nihilominus, repositione inspecta festorum, ita praefata Rubrica intellecta hactenus fuit, ut cum plura officia reponenda essent, nunquam primariis secundaria cederent, ob rationem personalis dignitatis, qua ista excellebant aliis. Namque ipsamet S. R. C. verba Rubricae « Inter plura duplicia quod est magis solemne

semper prius transferatur et prius celebretur » ita interpretata fuerat, ut, si ritus paritati accederet in altero intrinseca seu personalis dignitas, alteri praeferendum esset, ipsa solemnitate neglecta. Ita ex. gr. in *Brixien.* edixerat: « Rubricam intelligendam esse de solemniori quoad ritum et dignitatem, non quoad extrinsecam solemnitatem, quae in ordine translationis non est attendenda *(20 Sept. 1806 ad 15).* » Recentius etiam idem sacrum Tribunal visum fuerat exclusisse omnino aliam rationem in repositione festorum attendendam, praeterquam ritum et dignitatem personae. Nam in una *Alben. (12 Febr. 1884 ad II)* expetita fuit: « Utrum in repositione festi translati, quando occurrunt plura translata aequalis ritus, attendenda sit prioritas translationis, vel dignitas, aut circumstantia officii primarii? Pro responso autem Oratorem remittit ad Rubricam, et ad Decretum *Mediolanen. (7 Dec. 1743 ad 3),* quod sic se habet: « Inter plura duplicia *(translata)* quod est magis solemne semper prius celebretur, sive ex ritu sive ex dignitate maioritas ista solemnitatis proveniat. » Ergo qualitas primarii, de qua in Dubio explicite quaerebatur, apparebat prorsus in repositione exclusa, nec proinde attendenda, nisi ad summum post dignitatem. Ea propter, incerta apparuit hucusque regula de primario festo praeferendo alii secundario quamquam digniori, in occursu; sed multo magis dubium extitit, num idem primarium secundario festo digniori praeferendum esset in repositione. Qua stante obscuritate, ut plurimum Rubrica citata ita fuit exposita, ut primaria festa inferioris dignitatis, saltem in repositione praeferri non de-

berent secundariis dignioribus: quod impraesenti admitti non potest amplius.

II. Hinc altera petitio inquirit, quomodo nunc, post Decretum *Iamdudum* super primariis et secundariis festis, eadem Rubrica intelligenda sit, inspecta maxime maiori minorive solemnitate festorum.

Rubrica de cuius intelligentia quaeritur, prouti iacet post reformationem, haec est: « Si plura duplicia ex iis quae transferri possunt, transferenda sint, quod est magis solemne semper prius transferatur et prius celebretur, alioquin si sunt aequalia, unum ante aliud transferatur eo ordine, quo erant celebranda in propriis diebus *(Tit. X, n. 7)*. » Notabimus imprimis, hic agi de translatione per accidens, haud vero de perpetua; secus perperam Rubrica ibi posuisset *duplicia ex iis quae transferri possunt,* per quam dictionem intelliguntur duplicia I et II classis ac maiora, sed duplicia minora, Doctorum Ecclesiae exceptis, excluduntur. Haec tamen ultima, uti et semiduplicia, indubie translationem perpetuam admittunt, uti pluries demonstravimus, et praxis continua confirmat.

Hoc notato, cum ex praefatis duplicibus, quae translationem admittunt per accidens, alia esse aliis solemniora possint, prosequitur lex edicens, festum solemnius prius esse transferendum et celebrandum, quam alterum minus solemne, si plura transferenda occurrant. Quid autem pro solemniori intelligendum? Hoc, quod anteacta aetate indefinitam constituebat controversiam, nunc definito, vix dubitandi locus relinquitur. Ratio, cui contradicere nemini licet amplius in praesenti di-

sciplina, patet, quia videlicet decretum est, festa primaria, utpote solemniora, aliis secundariis, utpote minus solemnibus, esse praeferenda. Porro primaria festa esse possunt Sanctorum, quibus nulla inest personalis dignitas, seu liturgica: festa vero secundaria esse possunt illa, in quibus eadem personalis dignitas indubie extat. Et nihilominus, primaria festa declarantur solemniora, proinde minus solemnia illa, quae secundaria sunt. Ergo ad solemnitatem festorum constituendam duo sufficiunt, 1° ritus, 2° primarii qualitas; et personalis dignitas necessario non requiritur, sine qua stare potest et saepe debet festum solemnius. Diximus *necessario non requiritur,* elementum enim solemnitatis etiam ipsa dignitas personalis potest constituere; at ritus et primarii qualitas sunt primum solemnitatis elementum, dignitas personalis vero illud sequitur, et post illud tantummodo consideratione digna venit. Ratio est, quia Rubricae agunt de festorum solemnitate, quae eadem festa plus minusque digniora facit; et dignitas personalis tunc solum festa solemniora reddit, quando in iisdem directe respicitur, quod in primariis accidit, non vero in secundariis. Ad rem Cavalerius, loquens de secundariis festis Decollationis S. Ioannis Baptistae et Cathedrae S. Petri: « Ex festis... S. Ioannis Baptistae et Ss. Apostolorum, non gaudent praeferentia, nisi ea in quibus exprimitur eorum dignitas, non in quibus colitur ratio altera, ut est Decollatio, in qua celebratur martyrium S. Ioannis, et Cathedra S. Petri, in qua inspicitur eiusdem Pontificium *(Lib. II, cap. XXVII, Decr. IV, n. II).* » Idem dicas de omnibus singulisque Domini, Deiparae aliorumque Angelorum Sanctorum-

que festis secundariis, in quibus non consideratur eorum dignitas personalis, quae proinde festum non valet dignius reddere prae alio primario.

His discussis, nulli negotii est propositae quaestioni respondere. Aut enim ex duobus duplicibus aliud est altero superioris ritus; et tunc, quaecumque alia eorumdem festorum praerogativa neglecta, festum potioris ritus est magis solemne quam alterum, eique praevalebit in repositione. Aut paria sunt ritu, sed alterum est primarium, alterum secundarium; et tunc primarium magis est solemne quam secundarium, quacumque personae dignitate posthabita, et primas consequenter in repositione habebit. Aut denique paria sunt ritu et qualitate primarii aut secundarii; et tunc illud erit magis solemne prae altero, quod subiectiva dignitate praestat, et proinde etiam in repositione primas habebit. Quod si par fuerit utrumque festum, cum ambo pari ratione solemnia sint, inter ea nec ratio erit praelationis, et ordini standum erit, quo prius erant celebranda in propriis diebus. Ita impraesentiarum praefata Rubrica intelligenda est post Decretum *Iamdudum* de primariis et secundariis festis; neque aliter solemnius festum intelligi nunc potest, quin contradicamus Generali praefato Decreto eidemque Rubricae.

III. Quaeritur proinde tertio, utrum vere Calendarii redactor erraverit, prouti in casu exponitur.

Facilis post dicta responsio. Fert casus noster, occurrisse simul eadem die festum Orationis D. N. I. C. in Horto, et Desponsationis Deiparae cum S. Ioseph. Nunc autem praelatio data fuit

festo Domini, et festum Deiparae translatum; et ad hoc quod attinet, optime Calendarium, quod Titius et Caius examinarunt, fuisse redactum indubie iudicandum est. Utrumque enim festum secundarium est; cumque alterum ad Dominum, alterum ad Deiparam pertineat, illud huic erat sine controversia praeferendum. Non ita vero res se habet ad alterum quod attinet festum repositum, nempe patroni secundarii, prae quo prius translatum fuit Desponsationis festum. Equidem supponi fortasse posset, patroni secundarii festum ritus fuisse duplicis minoris, cum casus de ritu sileat; quo in casu Desponsatio iure praeposita fuisset, quamvis tempore posterior, festo patroni. At hypothesim esse falsam ostendunt, seu peritiorum querelae contra Calendarii redactorem, seu communis praxis, ex qua festa patronorum minus principalium, saltem duplici maiori ritu, ut plurimum, condecorantur. Cum itaque certo certius iudicandum eiusmodi fuisse ritum festi patronalis, iam patet, inter hunc ritum et alterum festi Desponsationis non adesse discrimen. Inter haec vero duo festa illud, iuxta Rubricam, prius transferendum et celebrandum, quod est magis solemne. At quodnam ex duobus solemnius, nisi festum patroni? Est enim hoc primarium, dum festum Desponsationis secundarium est, iuxta festorum catalogum. Unde ergo ratio praecedentiae, nisi e praerogativa primarii, qua Patronus gaudet? Reponit redactor Calendarii, *se ita semper fuisse operatum;* at regulariter negotium procedere ante Decretum *Iamdudum* poterat, cum quaestio adhuc insoluta manebat circa primaria et secundaria festa, haud vero postea. Porro Calendarium, de

quo agitur, pro anno 1894 redactum fuerat; ergo iam Decretum praefatum prodierat edicens, festa primaria Sanctorum esse ipsis festis Domini aut Deiparae secundariis praeferenda in occursu et concursu non tantum, sed etiam in repositione. Neque Calendarii redactori iuvat in auctoritatem se confugere scriptorum liturgicorum: quippe qui ante pluries nominatum Decretum rem pertractarunt. Cum enim de iure positivo agatur, quod mutationi vel diversae ab antiqua interpretationi obnoxium est, huiusmodi mutatio vel interpretatio legis recentior consulenda ab ipso erat, ut omni cum securitate Calendarium redigeret. Quod cum omiserit facere, excusari quidem poterit, sed certi incusandus est erroris, uti ex expositis liquet; ac propterea nonnisi iuxta eadem superius exposita instruendus.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Dioecesi Septempedana.* **De Missa in Anniversario Creationis et Coronationis Summi Pontificis.** Quaeritur 1. In quibus Ecclesiis praeceptiva sit Missa pro anniversario Creationis et Coronationis Summi Pontificis?

Resp. Si iis adhaerendum, quae scribit cl. A Carpo, dicendum fortasse foret, dictam Missam esse praeceptivam in omnibus Ecclesiis Cathedralibus Status Ecclesiastici, ait enim: « Quod ad Missam attinet anniversariam, tam Creationis quam Coronationis Summi Pontificis pro tempore

regnantis, non illa quidem extra Statum Ecclesiasticum celebratur etc. (*Calend. Perp. Cap. VIII, n. 12*). » Inde inferri posse videtur, eam in Statu Ecclesiastico esse ergo praeceptivam. Porro in quibus Ecclesiis, nisi saltem in Cathedralibus? Nihilominus cum assertum suum cl. auctor nulla lege probet aut firmet, gravis oritur de illius veritate dubitandi ratio. — Consuetudinem Ecclesiarum plurium Cathedralium consuluimus; sed variam eam esse novimus, cum in aliquibus eiusmodi Missa cantetur, haud vero in omnibus. Ecclesiarum Urbis consuetudo est, ut non cantetur, Patriarchalibus exceptis. — Decr. *Granat.* d. d. 14 Aug. 1858 septem Dubia proponit super Missa celebranda in Anniversario tum electionis et consecrationis Episcopi, tum Creationis et Coronationis Summi Pontificis: ita saltem legitur in exordio Dubiis praemisso. At singulis praefatis Dubiis attente perpensis, conclusimus certo, ibi nonnisi de Missa agi pro electione et consecratione Episcopi; nihil enim explicite reperitur quod ad Anniversarium aliud referatur, excepta Oratione. — Caeremoniale Episcoporum de hac Missa silet omnino. Decretum *Ravveraten.* d. d. 1883 ad VIII quaerit: « Utrum quod statuitur pro Anniversario electionis et consecrationis Episcopi intelligi debeat statutum pro Anniversario Creationis et Coronationis Summi Pontificis? » Responsio autem est: « Affirmative quoad Missam, ubi est praeceptiva, et quoad commemorationem. »

Haec quidem et sola documenta, quae circa Missam in casu reperire potuimus: quid concludendum? Hoc unum omnino certum, Missam hanc non esse in omnibus singulisque Orbis, licet Ca-

thedralibus, Ecclesiis praeceptivam. At quaeritur: in quibus praeceptiva sit Ecclesiis? Cum aliqua errandi formidine respondemus: In solis Patriarchalibus Urbis, et ubi eam cantandi consuetudo viget. Ratio primi asserti, quod certum omnino est, desumitur ex consuetudine ante omnia, quae semper viguit, uti accepimus. Secundo ex eo quod Summus Pontifex peculiarem et proximam in dictis Ecclesiis iurisdictionem habet; est enim earum caput et princeps, in iisque altare papale semper manet erectum, in quo nemini celebrare conceditur, solo Pontifice excepto: quod de nulla alia comprobatur Ecclesia. Ratio secundi est, quia si iam consuetudo obtinuerit eiusmodi anniversarium cum solemni Missa recolendi, eadem consuetudo tam laudabilis considerari iure potest tamquam lex, quae servanda est, cum ratio non suppetat eam abrogandi.

At quo iure, obiicies, alias excipis cathedrales Ecclesias, Status saltem Ecclesiastici? Reponimus, eodem iure consuetudinis primo; namque si eiusmodi canendae Missae consuetudo non extet, eamdemque nulla lex praecipiat, nescimus quo debeamus inniti, ut eius praeceptum imponamus. Insuper, cum unaquaeque Cathedralis imo et Collegiata Ecclesia, accedente mandato Episcopi, alii oneri teneatur, nempe Missarum pro Episcopi proprii electione et consecratione canendarum, non est cur aliud quoque onus eis sit imponendum, de quo nulla lex, nulla consuetudo, aliarum canendarum Missarum pro Summi Pontificis Creatione et Coronatione. Haec salvo meliori iudicio. Denique ex responsione ad Dubium 1. in *Granaten.* superius citato, certum est ipsas Ecclesias Cathe-

drales, uti et Collegiatas, non teneri ad Missas pro electione et consecratione proprii Episcopi, nisi de huius mandato. Porro eadem quoque videtur exigi conditio pro Missis in Creatione et Coronatione Summi Pontificis, nempe huius mandatum, de quo nihilominus non constat.

Quaeritur 2. Utrum Episcopus ius habeat has Missas pro Pontificis Creatione et Coronatione praecipiendi, sicuti ius habet illas imperandi pro sua electione et consecratione?

Resp. Negative, saltem ubi illius consuetudo non viget. Primo, quia huiusmodi Missae ad ius liturgicum pertinent, in quo Episcopus nihil potest, nisi de eo iam constituto observando agatur. Non ergo has Missas imperare potest, ad quas nullius vi legis Ecclesiae obligantur. Praeterea, uti superius diximus, sicut Episcopus Missas praecipere potest pro sua electione et consecratione; ita solius Pontificis esse videtur illas imperare, quae ad suam Creationem et Coronationem pertinent. Non itaque credimus in iure esse Episcopi dictas Missas imponere Canonicorum Collegiis.

II. *E Verona.* **De commemoratione festi occurrentis in Missa de Rogationibus.** In paroeciis ruralibus saepe accidit ut unus sit sacerdos praeter Parochum. Porro in processione Rogationum Parochus celebrat Missam de Rogationibus in Ecclesia filiali, ad quam divertit processio, et alius celebrat de festo occurrente in Ecclesia parochiali. Quaeritur utrum in Missa de Rogationibus fieri debeat com. de festo occurrente?

Resp. Probabilius negative. Notam legem ponimus, commemorationem occurrentis festi esse in casu faciendam, si unica post processionem

Missa habeatur, quae de iisdem Rogationibus esse debet: si vero duae aut plures habeantur Missae, cum esse, praeter unam, omnes debeant de occurrente festo, in illa de hoc omittenda est com. In proposito Dubio una quidem Missa dicitur in Ecclesia filiali, et est de Rogationibus, ergo agenda videtur com. occurrentis festi; sed alia quoque de occurrente festo dicitur Missa in Ecclesia parochiali: cumque haec videatur una esse cum filiali Ecclesia, com. praefata omittenda videtur. Ubi veritas? Respondimus probabilius esse omittendam. Primo quia Ecclesia filialis, ut in casu, principali subiicitur, et ad functiones quod attinet, plures quae in una fiunt, in altera fieri censentur, ob relationem quae inter alteram et alteram intercedit. Hinc quaedam Canonicorum collegia ipsum officium chorale quandoque omittunt in principali, ut in filiali Ecclesia eidem satisfaciant ex aliqua fundatione. Quod autem in ista agunt, in illa ob dictam relationem censetur fieri. Secundo, Processio *per se* ad parochialem Ecclesiam reverti deberet unde exivit, et est omnino *per accidens* si ad filialem divertit, atque unica de causa quia filialis est, seu quasi pars alterius principalis. Ceterum idem est clerus, idem fortasse populus, ut velut una quoque censeri possit Ecclesia. Sicut ergo, si utraque Missa diceretur in filiali aut in parochiali Ecclesia, com. praefata omittenda foret, ita etiam eamdem probabilius omittendam credimus, si altera in filiali, altera in parochiali Ecclesia dicatur.

III. *E Gallia.* **De festis Passionis D. N. in feria VI Quadragesimae recolendis, impedientibus Missam votivam SS. Cordis Iesu.** Accidit quandoque, ut ali-

quod festum Instrumentorum Passionis Domini, ex iis quae recitantur in Quadragesima, occurrant in feria VI primae hebdomadae mensis. Quaeritur, utrum Missa de eiusmodi festo Domini recitanda impediat votivam Missam de Ss. Corde Iesu?

Resp. Affirmative; nec ratio dubitandi se nobis exhibet, quia Decretum *Urbis et Orbis* 28 Iun. 1889, hac adhuc in parte vigens, Missam votivam de Sacratissimo Corde Iesu permittens, hanc apponit conditionem primam, *dummodo in illam diem non incidat aliquod festum Domini.* Porro dubitari nequit, festa Instrumentorum Passionis Christi, vere eiusmodi esse, seu festa Domini. Ergo Missa de Ss. Corde impedita manet.

Non tamen ex hoc inferri ullo pacto potest, officium aliquod votivum Passionis impedire posse praefatam Missam. Gravis et certa ratio est; quia Decretum agit de festo Domini, et officium votivum, severe loquendo, non est festum. Sed ineluctabilis alia ratio est, quia tale officium est semiduplex, in quo Missae votivae permittuntur. Qua vero de causa vim haberet Missam votivam de Sacro Iesu Corde impediendi, cum alias quascumque in Missali positas impedire non valeat? Quamvis ergo Sacerdos quicumque officium votivum de Passione recitaverit, nulla ratione a votiva Missa de Ss. Iesu Corde dicenda impeditur.

Nota. Primum Dubium praetermisimus ex prudentia, cum ei respondere nequeamus: contradictio satis nobis videtur patens, cui tamen iam obviam ivimus.

IV. *E Venetiis.* **De** *alleluia* **in Versu** *Panem de caelo, etc.* — Tempore Paschali addendum ne *alleluia* in ℣. *Panem de caelo?* Decreta num. 3477, et

Dub. XIX *Lincien.* d. d. 3 Iun. 1892 (in *Ephem. an. VI, pag. 482 et 484*) obstare videntur: quid?

Resp. Affirmative, et responsio haec omni securitate gaudet, ut aliter fieri non debeat. Ad primum quod opponitur Decretum, animadverte cum Gardellinio *(in Ind.)*, responsum esse intelligendum de tempore extra octavam Corporis Christi, quamvis id non dicatur in expositione Dubii. Caeterum Dubium istud cum sua responsione in nova Collectione, quae disponitur, credimus expunctum iri; tamquam ergo non existens illud consideres. Quinimo aliud quoque in *Fanen.* edicens addendum in casu *alleluia* extra Quadragesimam et Vigilias, nec ipsum considerandum, nisi intelligas sensu, quo idem Gardellinius accipit *(in Indice)*: secus et hoc falso laboraret, et propterea in praedicta Collectione mutationi subiectum fiet. Veritas est *alleluia* dicto Versui ac relativo responsorio addendum esse iuxta Rubricas toto paschali tempore in quacumque expositione, atque etiam infra octavam Corporis Christi: alio tempore omittendum. Neque huic veritati ullo pacto adversatur Decretum recens in *Lincien.*, quod de aliis Versibus agit, qui aut in Liturgia nunquam dicuntur cum *alleluia*, uti *Ora pro nobis etc. — Benedicamus etc.*: aut si *alleluia* additur, id tantum accidit intra actum liturgicum tempore paschali persolvendum, non vero extra, uti ad *Benedicamus Domino.* Namque intra actum liturgicum huiusmodi Versus sequitur legem antiphonarum aliorumque Versuum, quibus *alleluia* adiungendum iuxta Rubricas: quod extra actum liturgicum non comprobatur. Preces autem, quae extra Liturgiam, seu extra actus liturgicos praescriptos habentur, prouti iacent recitandi sunt.

Porro *Panem de caelo etc.* cum *alleluia* partem constituit liturgici actus, qualis est expositio SS. Sacramenti, de qua Caeremoniale Episcoporum in octava Corporis Christi; hinc quando idem iteratur actus, cum ipso *alleluia* repetitur, si tempus exigat: quod de aliis Versibus non est verum.

V. *E Parisiis.* **De ordine commemorationum in Dom. infra octavam Corp. Christi.** Ubi octava Corporis Christi ita est privilegiata ut excludat etiam duplicia minora occurrentia, quinam ordo commemorationum tenendus in Dominica infra octavam? An 1° de Dom., 2° de infra octavam, 3° de duplici ad instar simplicis redacto? An potius 1° de duplici, 2° de Dom. etc.?

Resp. Probabilius affirmative ad primum, ad alterum negative. Faciamus hypothesim, in dicta Dominica faciendum esse officium duplex 2. classis: tria tunc officia impedita manerent, nempe Dominicae, diei infra octavam, et duplicis. Porro Dominica unum tantum habet impedimentum, seu duplex 2. classis, hoc namque sublato, de illa fieret prae ceteris. Dies infra octavam duo habet impedimenta, videlicet duplex 2. classis et Dominicam, ut de dicta die fieri nequeat, nisi utroque impedimento sublato. Duplex minus tria habet impedimenta, dup. 2. classis, diem Dominicam et diem infra octavam, cum de dicto duplici minori numquam in casu fieri possit, etiam dup. 2. classis impedimento sublato, privilegii causa, quo decoratur octava Corporis Christi. Iam nunc de illo prius nobis facienda videtur commemoratio, quod minus impeditur; quia hoc maius habet ius ut recolatur, quam alia quae magis impediuntur. Atqui Dominica minus impeditur quam dies in-

fra octavam, et dies infra octavam minus quam duplex simplex factum. Ergo prius agenda com. Dominicae, deinde diei infra octavam, ultimo duplicis redacti ad instar simplicis.

Hanc dices argumentandi rationem oppositam Decreto Gen. *Commemorationum in Vesperis* 5 Februarii 1895, quod explicite ponit commemorationem duplicis minoris ad instar simplicis redacti ante commemorationem diei infra octavam Corporis Christi. Sed reponimus, ibi agi de octava Corporis Christi prouti privilegio fruente iuxta Rubricas: secundum hoc autem duplex minus occurrens non est redigendum ad instar simplicis, sed potius celebrandum prae die infra octavam, uti prae Dominica. Casus ergo noster non est secundum Decretum citatum resolvendum, quod illi applicari non potest, cum supponat Octavam Corporis Christi ampliori privilegio donatam praeter Rubricas.

Obiicies insuper datam solutionem esse contra Rubricas, dicentes: « De duplici, licet agatur tamquam simplex, fiat ante Dominicam (*Tit. IX, n. 11*): » a fortiori autem de eodem agendum ante diem infra octavam, iuxta eamdem Rubricam. Et nota hic non quaeri de ordine sequendo in commemorationibus ad Vesperas, in qua Dom. aut dies infra octavam posset esse concurrens; sed quaeritur in genere de ordine praefato, abstractione a concursu facta. Respondemus admittendo Rubricam, sed in sensu explicando. Rubrica itaque praecipit, ut de duplici, etsi ad simplicem ritum redacto, fiat ante Dominicam; sed manifeste supponit in ipsa Dominica festum superioris ritus, quod et duplex ipsum ipsamque Dominicam impediat. Atque ideo dicit commemorationem du-

plicis praeponendam esse commemorationi Dominicae, quia, sublato impedimento, de eodem duplici fieret, non de Dominica. Ergo ratio Rubricae, seu basis cui innititur, eadem est ac illa, cui et nos superius innixi fuimus, nempe: de duplici faciendum quia, sublato impedimento, praevaleret Dominicae. Atqui in casu nostro eamdem habemus rationem, sed contrariam, hoc est: de duplici non faciendum, quia, sublato impedimento, non praevaleret Dominicae. Ergo oppositum in casu nostro concludendum est iuxta Rubricam, non autem contra. Ita salvo meliori iudicio. Non autem quaestio hic instituitur de ordine commemorationum ad Vesperas, super quo statuta iam lex omnem controversiam excludit: ut, si de festo concurrente agatur, quod commemorandum est, ipsum semper ante reliquas commemorationes teneat primas.

VI. *Ex eodem loco.* **De festis reponendis die propria vel assignata.** In nostro Calendario, multo abhinc tempore S. Philumena V. M. assignata fuit dies 7 Septembris. Nunc autem eodem die statutum est festum S. Hadriani III P. C. Num iterum S. Philumena e die 7 Sept. ad aliam diem liberam transferenda?

Resp. Ita credimus esse indubie faciendum, si et legi et recto sensui liturgico adhaerere velimus. Namque, uti pluries animadvertimus, dies in quibus festa vel officia Sanctorum recoluntur, non omnes sunt paris iuris. Dies *propria* est, vel *natalitia* vel *quasi-natalitia,* et haec praevalet cuicumque diei *assignatae.* Porro dies *propria,* in qua recolitur festum S. Philumenae ex Decreto *Urbis* 23 Iun. 1837 est dies 11 Aug. ac proinde

dies 7 Sept. nonnisi *assignata* esse potest, hoc est, nec *natalitia* nec *quasi-natalitia*. Dies propria S. Hadriani ex Decr. *Nullius seu Nonantulae* 5 Septembris 1891 est 7 Septembris. Ergo in calendariis, quae hac die 7 Sept. habent seu S. Philumenam, seu aliud officium assignatum, et S. Hadrianum debent recolere, transferre iterum oportet S. Philumenam aut aliud assignatum officium, ut dicta die recolant S. Hadrianum, quippe quae dies sua est. Ita S. R. C. in casu identico respondit die 13 Sept. 1840 in *Mechlinien*. Quaest. II dub. I: ita et nos respondemus cum illa.

VII. *E Curenna*. **De Oratione et precibus pro romano Imperio omittendis**. Tam feria VI in Parasceve quam in Sabbato Sancto, Oratio et preces pro Imperio Romano sunt ne ubique locorum omittendae, an alicubi recitari adhuc possunt?

Resp. Generale extat Decretum, nempe *Urbis et Orbis*, 23 Sept. 1860 ad III, quod etiam Missalibus omnibus ex mandato Pii Papae IX praemittendum est; et praecipit: « Orationes pro Romanorum Imperatore, tam in Missa Praesanctificatorum feria VI in Parasceve, quam in fine Praeconii paschalis Sabbato Sancto, ob sublatum Romanum Imperium, non amplius recitandae sunt: excudantur tamen ut antea in novis Missalibus ». Lex autem universalis non ponit ullam exceptionem; ergo ubique locorum obligat: peculiariter autem, quia, ut in Decreto notatur, Orationes praedictae amplius respicere nequeunt Imperatorem, qui non existit.

Nota. Orationi pro Iudaeis non praemittitur *Oremus*, sed post monitionem non respondetur

Amen, et statim dicitur: *Omnipotens etc.* uti Rubrica specialis ibi posita notat.

VIII. *Ex eod. loco.* De speciali **Oratione pro Episcopo non addenda feria VI in Parasceve.** Licet ne feria VI in Parasceve specialem pro Episcopo dioecesano addere ad alias Orationes?

Resp. Negative. Adest Decretum *Clodien.* d. d. 7 Aug. 1875 quod sequens est: « II. Stante consuetudine ab immemorabili in Feria VI Parasceven inter alias Orationes praescriptas addendi particularem Orationem pro Episcopo proprio: quaeritur, an non obstantibus Decretis in contrarium, haec immemorabilis consuetudo continuari possit? » Responsio est: « Negative ».

AD DUBIA
SUPER SACRIS CAEREMONIIS
RESPONSA

I. **De versibus et Orationibus post** TE DEUM. Quinam versus dicendi et quaenam Orationes post *Te Deum* coram Sacramento exposito, sive eiusmodi hymnus cantetur ad altare immediate post Vesperas, sive expletis Vesperis post processionem cum ipso Sacramento, in qua incipit dictus hymnus, et continuatur, donec ad altare redeatur, ubi postea absolvitur functio cum Benedictione?

Resp. Quod versus attinet recitandos post hymnum *Te Deum,* sequendam normam exhibet Rituale

Romanum (*Tit. IX, Cap. 13*), cuius peculiariter legenda est Rubrica posita ad num. 3. Hoc, si generaliter loquamur; nihilominus S. R. C. docet, si *Te Deum* sine processione dicatur, sufficere ut aliqui tantum versus, non omnes recitentur, vel cantentur (*Veronen. 11 Sept. 1847 ad 3*). Itaque si fiat processio, versus erunt ut in Rituali; si processio non fiat, dici tantum possunt *Benedicamus Patrem... - Benedictus es... - Domine, exaudi...* (*Decr. cit.*). Quod vero Orationes attinet, eae sunt pariter, quas loco superius citato Rituale ponit; sed extra casum processionis S. R. C. permittit ut una tantum dici possit Oratio (*Decr. sup. cit.*), nempe *Deus cuius misericordiae*. Advertas nihilominus, Decreti responsum non supponere Sacramentum solemniter expositum, quo in casu prima Oratio erit de Sacramento, et altera pro gratiarum actione, vel plures, ut in Rituali, si habeatur processio.

Nota pro regulis generalibus in flectendis genibus a Diacono, Subdiacono et ministris inferioribus, coram Sacramento exposito. 1. Diaconus et Subdiaconus utrumque genu flectunt in primo accessu et ultimo recessu ab altari. 2. Unicum vero genu infra actionem. 3. Quotiescumque Diaconus et Subdiaconus propter loci mutationem genu deberent flectere, vel, si Canonici, caput inclinare cruci extra casum expositionis, semper ipsis coram Sacramento exposito unicum genu flectendum est, sed ad latus et non in medio, nisi quando Diaconus et Subdiaconus ascendunt ad altare ad *Pater noster*, et Subdiaconus tantum pro *Agnus Dei*. 4. Toties genuflectunt, quoties, quando sunt cum Celebrante, ipse Celebrans ge-

nuflectit. 5. Ministri inferiores utrumque genu pariter flectunt in primo accessu et ultimo recessu ab altari: item, quoties in sacrarium pergere debeant, ante, et postea quando redeunt ad altare. 6. Unicum genu flectunt quandocumque transeunt ante medium altaris: vel ad idem altare, aliquid acturi, accedunt, ab eoque recedunt, nisi actus agendus vix aliquid temporis exigat, cum una tunc genuflexio sit satis.

II. **De genuflexione Celebraturi in altari, ubi est Sacramentum ad Missam**. Sacerdos Missam celebraturus, si transeat ante altare, ubi fit Missa, a consecratione ad communionem, tenetur ne genuflectere? Et si affirmative, uno vel utroque genu?

Resp. Rubrica Missalis (*Rit. celebr. Miss. Tit. II, n. 1*) loquens de Celebrante ad altare pergente pro Sacro agendo, tres ponit casus, in quibus venerationis actum facere debet: 1° si transeat ante altare maius: 2° ante altare, ubi Sacramentum asservatur: 3° ante altare, ubi Sacramentum elevatur. In primo praescribit reverentiam, in altero genuflexionem, quae simplex, seu unius genu ab omnibus intelligitur, et utrumque debet actum agere cooperto capite: in tertio vult, ut genuflectat Celebraturus primo, inde discooperiat caput, et adoret, donec, utraque absoluta elevatione, se cooperit, surgit, et procedit. Nunc autem, tribus his positis, inquirere nobis liceat: Quare quartum non ponit casum de transeundo ante altare, ubi fit Missa a consecratione ad elevationem? Respondemus, quia Sacerdos procedere debet *oculis demissis, iuxta eamdem Rubricam;* ac proinde attendere nec potest nec debet ad Sacerdotes celebrantes, dignoscendi causa, an consecratio facta, aut

non, fuerit. Ex quibus sequitur, neque utrumque, neque unum tantum genu a Sacerdote in casu esse flectendum, sed nihil esse faciendum.

Praeterea frequenter in quibusdam Ecclesiis accidit, ut Celebraturus transire debeat ante plura altaria, in quibus fit Missa eodem tempore a consecratione ad communionem. Nunc autem, num semel, num bis aut tertio, num quinquies aut decies, seu ante singula ne altaria, ubi est Sacramentum, deberet genuflectere Celebraturus? Quid adm. rev. consulens responderet? Nonne implicatum se fateri cogeretur? Consultius ergo est in casu Rubricam servare, quae, cum facile posset genuflexionem praescribere, sapientius tacuit, iubens, ut *demissis oculis* ad officium suum procederet Celebraturus. Denique in Athenaeo nostro liturgico, haec etiam olim quaestiuncula discussa fuit, responsumque, generaliter non esse genuflectendum.

Obiici nihilominus possent verba Rubricae, quae ita se exprimit: « Si vero contigerit eum transire... *ante* **locum** *Sacramenti*, genuflectat (*Loc. sup. cit.*) ». Ubi vides, non dici *ante altare ubi asservatur Sacramentum*, sed *ante locum Sacramenti*. Videtur ergo illa dictio excludere quodammodo altare, ubi Sacramentum non asservatur, quamvis Missa in eo fiat a consecratione ad communionem; sed per hanc dictionem significari videtur quodcumque altare, ubi, sive ratione tabernaculi, sive ratione Missae, habetur Sacramentum. — At reponimus, non ita, maxime ob momentum alterum superius expositum, intelligendam esse praefatam Rubricam. Namque locus Sacramenti exprimit *locum determinatum*, et unicuique notum, ante quem transiens quicumque, atque ipse Cele-

braturus flectere genu debeat. Neque intelligi potest altare in quo Missa dicitur; eo quod nescitur, ut debeat inquiri, utrum in eo sit, nec ne, Sacramentum. Genu autem in casu flectere, opponitur Rubricae spiritui, ut proinde nec esse possit conformis litterae; Rubrica enim ideo exigit in Celebraturo demissos oculos, ut Deo vacet, intentumque in eum animum habeat. Hinc Emus Academiae Praeses, cum de hac re discuteretur, ait, pro loco Sacramenti, de quo Rubrica, quasi *locum loci* intelligendum esse, videlicet ubi semper et permanenter Sacramentum asservatur. Quibus omnibus perpensis, respondere censemus ad propositum Dubium: affirmative ad primum: ad alterum quod pertinet, non habere locum.

Nota. Paritas desumpta e Caeremoniali Episcoporum, quod Lib. I, cap. XXI, n. 3 genuflexionem ambobus genibus praescribit faciendam a Canonicis ad circulum agendum euntibus, non videtur facere ad rem; quia ipsi Missae assistunt, eiusmodi Missa est solemnior, neque ex dicto reverentiae maioris actu se distrahere possunt ab iis, quibus ex officio vacant.

III. **De eadem panni qualitate in dalmaticis et planeta**. Panni qualitas Dalmaticarum, quibus ministri sacri induuntur, eadem ne esse debet atque illa planetae, qua induitur Celebrans, pro solemniori Missa?

Resp. Ita quidem communiter accidit, et fieri debet, cum pro eadem functione, quam peragunt Celebrans et ministri, eiusmodi paramenta debeant inservire. Non tamen in quibusdam accidentalibus insistendum est, puta si casula ditior esset, vel magis ornata dalmaticis; dummodo ad

substantiam quod attinet, et iuxta legem, omnia paramenta conveniant. Nullam enim, quantum scimus, tam severam extare legem credimus, quae exigat perfectissimam in dictis paramentis aequalitatem.

IV. **De manibus extensis in Orationibus**. Orationes, quae dicuntur feria VI in Parasceve, uti quae interponuntur Prophetiis in Sabbato Sancto, dicendae ne omnes extensis manibus?

Resp. Non intelligimus dubitandi rationem, quia hae, sicut reliquae, vere Orationes sunt, severiorique sensu liturgicae, ut consequenter uti reliquae extensis manibus sint citra controversiam dicendae. Ceterum Rubrica specialis aperte id docet: « Oratio cantatur tono feriali Orationis Missae **extensis manibus**. Et hic modus servatur in subsequentibus (*Ante Orat. fer. VI in Parasc.*) ». Nec ratio adest, ob quam diverso se modo gerere debeat Celebrans in Sabbato Sancto. Hinc cl. De Herdt notat simpliciter: « Celebrans cantat in tono feriali *Oremus* manus extendendo et iungendo, caputque cruci inclinando, et Orationes extensis manibus, ut in Missa (*Pars 5, Caerem. Sabb. Sanct. n. 62, sub fin.*) ».

V. **De Subdiacono deferente sandalia, qui velo humerali utitur**. Quaeritur, utrum in Missa Pontificali Subdiaconus allaturus ex credentia super bacili sandalia et caligas ante Episcopum, velo humerali uti possit, eo modo quo ad Offertorium calicem ad altare defert?

Resp. Caeremoniale Episcoporum de velo humerali pro sandaliis et caligis deferendis non loquitur, quo saltem uti debeat aut possit Subdiaconus assistens; sed tantum de duobus aliis, mi-

noris dubio procul extensionis, quibus cooperienda sunt bacile, et sandalia atque caligae: « Affert illi caligas et sandalia, ex credentia sumpta, quae portat super bacili, vel super velo, alio velo serico cooperta (*Lib. I, cap. X, n. 2*) ». Nihilominus alius eiusdem codicis textus verba facit de manibus Subdiaconi velatis: « Subdiaconus... afferet ex credentia super bacili sandalia et caligas, manibus velo coopertis, alio velo cooperta etc. (*Lib. II, cap. VIII, n. 7*) ». Cl. Martinucci ait: « Solet a quibusdam velum humerali imponi humeris Subdiaconi allaturi caligas cum sandaliis ad Episcopum (*Lib. V, cap. IX, n. 41 in nota*) ». Quam tamen consuetudinem innuit tantum, sed nec laudat, nec reprobat, contentus dicere, se Caeremoniali adhaerere, quod de velo humerali in casu plane silet. Cl. De Herdt tacet pariter de eodem humerali velo, eumdem in nota citans Martinuccium.

Ne tempus inutiliter in aliis consulendis auctoribus teramus, quae vix Rubricam citatam explicare valent, difficultatemque enodare, sequentia animadvertimus. Caeremoniale tacet de velo humerali, et exigit indubie velum pro cooperiendis sandaliis et caligis, imo et ambabus manibus Subdiaconi illas portantibus, uti visum est superius. Fatendum profecto, haud facilis esse executionis cooperire simul sandalia, caligas et manus deferentis illa, ita saltem, ut caeremonia cum decore fiat: nisi velis admittere Subdiaconum posse chyrothecis sericis manus suas velare, quod legis spiritui prorsus opponitur. Hinc cl. Martinucci, qui non admittit humerale velum, Rubricam extendit non solum ad velamen manuum, sed etiam brachio-

rum (*Loc. sup. cit.*). Haec, nisi fallimur, ratio est, ob quam invecta in pluribus Ecclesiis fuit consuetudo velum humerale superimponendi Subdiacono; tunc enim caeremonia praescripta facillimae est executionis, uti per se patet. Etiam in Ecclesiis pluribus Urbis, quas inter et Ecclesia SSmae Trinitatis, quae ad Presbyteros Missionis pertinet, idem viget usus. Nam presbyter (quia agitur de Pontificali Episcopi Titularis) quando Familiaris abest Episcopi, velum humerale induit pro sandaliis et caligis in bacile deferendis, illoque omnia cooperit. Cum itaque huiusmodi agendi ratio non sit aperte contra legem Caeremonialis, quippe humerale velum non prohibet in casu, ab auctoribus non reprobetur, spiritui et, ex parte saltem, literae quoque legis adhaereat, et etiam consuetudine Urbis comprobetur, arbitramur, eam non esse reprobandam, sed posse laudabiliter continuari.

V. **De clerico cotta induto vices agente Familiaris Episcopi**. Utrum quando initio Missae pontificalis unus ex clericis minoribus supplet vices Familiaris Episcopi (quia nullus adest) in aptandis ei caligis et sandaliis, debeat hoc munus obire superpelliceo indutus, an potius debeat sine superpelliceo Episcopo famulari?

Resp. Praemittimus, Familiares Episcopi non esse clericos, si de iis agatur, de quibus Caeremoniale Episcoporum Lib. I, cap. XI, n. 2 et 11 peculiariter verba facit. Exigit tamen, ut induantur habitu clericali, sed sine superpelliceo, quando ad Missam Pontificalem Episcopo inservire debent. At cuiusnam generis, potest inquiri, esse debet eiusmodi clericalis habitus? Num talaris?

Affirmative reponimus, si agatur de aliquo ex familiaribus, qui clericali militiae sit ascriptus, uti esse potest Secretarius Episcopi; modo hic recenseatur inter Familiares, et Episcopo ipse quoque inserviat. Hoc in casu hic talari veste indutus erit, non vero superpelliceo, pro quo induet pallium sericum, uti mox dicemus de Familiaribus. At si de Familiaribus aliis agatur, qui ex laicis sunt, hi habitum clericalem sui generis habent, qui de more est, iuxta antiquissimam consuetudinem Urbis; eoque utuntur non solum Familiares Episcopi, sed et Familiares Purpuratorum Patrum. Huiusce autem de more habitus est: fasciola alba, quae collum cingit, thorax niger, alia nigra supervestis peculiaris formae humeros tegens, ad pectus aperta, et anteriorem partem usque ad genua, ac vulgo *frak* dicitur, femoralia nigra ad genua usque producta, ad quae fibulis constringuntur, tibialia nigra, et nigra calceamenta cum fibulis aureis, vel deauratis aut argenteis: denique pallium sericum nigrum, super humeros usque ad talos descendens.

Porro nihil obstat, quominus clericus gerere possit vices ecclesiastici familiaris Episcopi; eiusque habitus erit, ut supra diximus, vestis sola talaris cum pallio serico nigro, et sine superpelliceo, ita praescribente lege. Sed nihil quoque impedit, quominus idem clericus cotta sit indutus, supponitur enim absens Familiaris Episcopi. Denique aliquis etiam laicus easdem supplere poterit vices laici Familiaris Episcopi, et indutus tunc erit more superius exposito, quem Episcopi aut Cardinalis Familiares laici sequuntur.

Nota. Quod attinet Dubium V num. Febr. (pag. 100), R̃mus P. Schober nobis scripsit, Decretum 5694 praescribere *Ite Missa est* ut in festis B. Mariae, quando eiusdem B. Mariae doxologia praescribitur. Dum P. R̃mo gratias plurimas agimus, dictum Decretum lectoribus patefacimus, quod nos effugit; et iuxta quod proinde intendimus proposito nobis Dubio respondere.

SUPER ORDINATIONE PRO MUSICA SACRA

COMMENTARIA

(*Continuat. V. n. 2 pag. 128*).

17. Iis declaratis, quae iuris sunt ecclesiastici, et quae competere laicis possunt, quod praesentem rem pertinet, prosequitur Ordinatio in iis peculiaribus subsidiis praescribendis, ex quibus cantus in templis excellat. Haec autem duo potissima sunt: studium assiduum primo, secundo ex parte Episcoporum vigilantia. Hinc alterum ex monitis habet: R̃mi Ordinarii praestent, ut perfecte clerici munus adimpleant liturgici cantus addiscendi, qualis maxime in codicibus reperitur, quos Sancta Sedes probavit. Alia vero quod spectat genera musicae sonitumque organorum, onus nequaquam imponent clericis, ne a gravioribus distrahantur studiis, quibus navare operam

debent. Si nihilominus ex iis nonnulli in eiusmodi studiis instituti iam fuerint, vel peculiarem ad ea habilitatem praeseferant, ut in iisdem perficiantur permitti eis poterit. — Tertium vero ait: Sedulo invigilent iisdem Rm̃i Ordinarii in Parochos et Rectores Ecclesiarum, ut musicas executiones non permittant, normis praesentis Ordinationis oppositas; utanturque, si opus fuerit, pro eorum arbitrio ac prudentia, poenis canonicis contra inobedientes. — Quod alterum igitur monitum spectat, meminisse iuvet, onus non incumbere Episcopis, ut obligationem ediscendi cantum liturgicum imponant clericis, quippe qua ex lege Tridentinae Synodi iam ligantur, sed curent opus est, ut ei faciant satis. Utinam id cordi esset omnibus, quorum interest! At pro dolor! In pluribus, paeninsulae saltem nostrae, Seminariis cantui musico alumni se applicant, et in profanum magis inclinantes, quam in sacrum: numerus musicus supremae ipsis est gravitatis, novae tibiae inflandae diligenter vacant, cymbalo pulsando intendunt animum: nec desunt qui in lyra delectantur aut in parva cithara, in quibus tempus insumunt et profundunt, dum pro cantu addiscendo Ecclesiae proprio, tempus non suppetit. Hinc studiorum curriculo absoluto, suique iuris facti, ad nocturnam aliquam consuetudinem invitati, conditionem accipere non renuunt, ut conventum exhilarent. Sed vero ut Missam rogati concinant, excusationem afferunt, quod se peritos nesciant, vel petitioni indulgendo nil facilius, quam ut audientes ad risum provocent. Mira quidem inversio ordinis, ex qua aliena dignoscere, et propria ignorare, quasi dicam, satagunt.

Maxima itaque sit Ordinariis cura, ut clerici cleri cantui serio studeant, eumque, saltem pro naturae viribus, addiscant. Eos proinde, qui Seminariis praesunt, graviter moneant, ne tanti momenti negotium negligant, sacrique inde cantus studia iaceant.

Eapropter de cantu et sono musicis praeceptum imponendum non esse clericis Ordinatio praescribit; et nihilominus exigit, ut de liturgici cantus addiscendi lege, qua iidem devinciuntur, moneantur, sintque Episcopi solliciti ut clerici illam fideliter servent. Musici namque cantus, Ecclesiae non proprii studium, iure Ordinatio animadvertit, ab aliis mentem avertit occupationibus, in quas necessario debent clerici adiungere animum. At oppositum plane de cantus Ecclesiae proprii studio comprobatur; qui enim alumni in hoc se exercent, suo muneri vacant, atque in re adeo propria versantur, qua nulla magis, uti satis superque compertum est.

Sed et aliud animadvertamus oportet. Ordinatio haud inhibet studium in codicibus, quos non probavit Ecclesia, qui vero approbatione muniuntur aliis praefert. Non est hic locus comparandi inter se approbatos et sine approbatione codices, liturgicum referentes cantum; sed breviter potius nobis est perpendendum, hac in parte monitum Ordinationis prudentia excellere. Namque primo, in variis qui proponuntur codicibus nostri cantus, haud unum signa notandi systema inspicitur. Antiquius, quo notae musicae inscribuntur, cui et mos geritur in nonnullis editionibus, satis est difficilius altero, quod communius est in usu. Hoc autem, non illo, systemate in codicibus ap-

probatis notae musicae sunt inscriptae; hinc lectio facilior, minorque in cantu addiscendo difficultas. Praeterea intra quarumdam coarctatur confinia Ecclesiarum antiquo systemate inscriptus cantus; qui vero legitima fruitur approbatione, satis est communior, et fere in omnibus adhibetur. Rationi itaque plane consonum est, ut in approbatis potius codicibus percipiatur liturgicus cantus, quam in aliis, quibus communiter non utuntur Ecclesiae; in illis enim postea, haud vero in istis, legendus cantus in Dei laudem.

Haec quidem, ut nil dicamus de maiori, quod erga Sanctam Sedem obsequium ostenditur, in illis praeferendis libris, qui sua approbatione muniuntur. Iure merito idcirco prudentia diximus in hoc Ordinationem excellere, quatenus et facilitati consuluit discipulorum in cantus arte acquirenda, et maiori in Sanctam Sedem reverentiae, qua illam indubie prosequuntur suis, potiusquam aliis, approbatis codicibus utentes.

18. Quod interea summopere praestat tertio monito Ordinatio commendat, imo et praecipit: ut videlicet pravae musicae executiones Episcopi vigiles impediant. Latet enim neminem quod Tridentinum Concilium docet (*sess. 21, cap. 8 De reform.*), aequum esse scilicet, *quaecumque in Dioecesi ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis ubi oportet provideri.* Ad cultum autem, imo ad eius solemnitatem cantum Ecclesiae pertinere, indubia veritas est, cui nemo adversatur. Illorum ergo est a Parochis Rectoribusque Ecclesiarum edoceri de iis quae cantantur, de ratione modulandi, de iis quae organis pulsantur, eaque pulsandi modo. Haec autem omnia

si quibusvis profecto temporibus Episcoporum vigilantiam curamque postulant, maxime improspera aetate nostra id evenit: qua vix alia penes Ecclesiam libertas relinquitur ut fideles ad Deum reducat et aedificet, quam quae in externi cultus solemnitate consistit. Quid porro accidet, si cantu et sono indigne abutentes homines, quorum animas in caelum oporteret erigere, ad ima deprimunt? Porro eiusmodi gravissimum perfacile declinabitur damnum, si cantus sonitusque subsidia a Deo nobis oblata ita dirigantur, ut Ordinationi conformia apprime fiant. Nonne enim vel ab initio ea statuit, quasque lucubrationes musicas ad pietatem excitare fideles, si sacrae Liturgiae, cui inserviunt, spiritus informet? Verum ecquis nescit eiusmodi naturae sacram Liturgiam esse, ut et christiani populi eruditionem, veraeque fidei protestationem contineat, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollat, atque igne devotionis accendat? Idcirco ea super re gravius Ordinatio insistit, iubens ut Episcopi, si necessitas exigat, ad canonicas poenas contra inobedientes manum admoveant. Maximi ergo momenti negotium est, cum poenae gravitas culpae gravitatem ostendat. Onerata ergo manet Episcoporum conscientia, si efficacius, cum possint, inordinationes in Dioecesis Ecclesiis non removeant, aut impediant. Sed et Ecclesiarum Rectores in animum inducant sibi, nihil fere Episcopos posse, si inconsultius ipsi se gerant. Maxima proinde et iis esse debet cura, ut in Ecclesiis sibi commissis talis admittatur cantus, talisque sonus, qualem Ordinatio praescribit et commendat, atque ille omnino, quem eadem reprobat,

arceatur. Equidem effutiunt quidam, Ordinationem quemcumque cantum, sonumque permittere, ac veluti effusis habenis omnem, seu cantoribus seu organicis, dedisse licentiam; sed hoc prorsus a veritate alienum est. Triplex cantus genus, liturgicum, a Praenestino Aloisio nuncupatum, et chromaticum Ordinatio admittit in Ecclesiis, et iure cum Dei domo dignum esse valeat. Conditionem nihilominus adiecit, eiusmodi esse non posse, nisi Liturgiae spiritus illum informaverit. De hoc autem Episcopi locorum, Ecclesiarumque Rectores iudicium ferant: ut si conditionem nequaquam comprobatam noverint, ius et onus eorum officio, ut prohibeant, inesse sciant.

19. Ordinatio explicit dicens: Ordinationis praesentis evulgatione, eiusque Rm̃is Italiae Episcopis participatione, quodlibet actum, quod eodem super argumento praecesserit, abrogatur.

Quid igitur de cantu vel sonitu chorearum iudicandum, de quibus praesens Ordinatio silet, mentionem antiqua fecerat? Hac ne in parte censenda est abrogata? Verum arbitramur oppositum; haec enim, quae communi sub nomine veniunt *polke, mazurke, Minuetti, rondò* aliaque eiusdem furfuris, cum indolem omnino profanam redoleant, theatris digna quidem esse poterunt, nunquam vero Ecclesiis. At nonus articulus hoc musicae genus manifeste damnat atque proscribit. Quod si ad rerum minima praesens Ordinatio descendere noluit, id argumentum est prudentiae, uti alias animadvertimus, haud vero libertatis excessus, quem concedendi S. R. Cõngni nullo pacto propositum fuisse tenendum est.

Quid autem ad delectum quod pertinet musicarum lucubrationum iudicandum est, pro quo peculiaris legebatur articulus in antiqua Ordinatione, quam praesens abrogat? Prudens libertas unicuique Ecclesiarum manet illas seligendi compositiones, quae et sanctitati cultus, atque indoli simul audientis populi magis congruere auctoritas competens in Domino iudicaverit. Competentem autem auctoritatem constituunt Episcopi Ordinarii, unusquisque pro suae Dioecesis Ecclesiis; eorumque iudicio proprium subiicient cantores, sive ad laicum, sive, multoque magis, ad ecclesiasticum coetum pertineant. Delectum peritorum constituere, ut antea, Episcopi non tenentur; aptioribus nihilominus subsidiis utentur, quae prudentia ac pastoris sollicitudo suggerunt: ut Summus Pontifex optatum impetret, Ordinatio finem attingat, maiorem Deus gloriam, templa cultus incrementum et decus, clerus et populus utilitatem spiritus consequantur.

20. Sed tempus est devenendi ad Decretum. In quatuor dispesci partes optime potest: exhibet prima quid Pontifices, Magnus Gregorius prae ceteris, iure sibi proprio pro cantu Ecclesiae egerint usque ad Pium sa: me: Pontificem IX: secunda memorat operam, quam iste posuit in editione cantus Ecclesiae usque ad Leonem Papam XIII: tertia, quomodo hic pariter Praedecessoris sui vestigiis inhaerens, opus ab illo inceptum absolverit: quarta demum, velut ex principiis positis consectarium infert, et quaestionem definit.

Propositum non est nobis de singulis, quas innuimus, partibus prolixius disserere, easque commentari: luce meridiana, quae in illis habentur,

splendidiora apparent. Nonnulla tantum ex unaquaque parte exponenda seligimus; partiumque studio seposito, aequitatem assequi conabimur, nec quispiam tamen de ore nostro verbum veritatis auferet.

Consideratione, ad primam quod spectat partem, dignissima nobis videntur quae initium dant Decreto, Pontificum nempe auctoritatem semper attribuisse sibi decori et utilitati cantus Ecclesiae prospiciendi munus, illumque integre eximieque perficiendi. Indubia profecto exempla ostendunt, vel ab initio Ecclesiae Pontifices in huiusce generis cantu posuisse operam, uti saeculo IV Silvestrum primum, saeculo V Hilarum, VI Magnum Gregorium, VII Vitalianum, VIII Gregorium huius nominis tertium. Quod si exeunte hac postrema aetate ac sequentium duorum saeculorum, ob Archipresbyteri Theophilacti, Constantini, Zinzini, Ioannis Diaconi, Sergii, Romani Galesini aliorumque factiones aut schismata, uti et ob breviorem Pontificum vitae cursum, sileat historia de cura a supremis Ecclesiae Pastoribus suscepta super cantu liturgico, statim ac iidem se potuere parumper levare Pontifices, eo ipso intermissum resumpsere laborem, eique se totis viribus addixerunt. Hinc praefatorum vestigiis adhaeserunt postea: Ioannes XIX saeculo undecimo, sub quo Pomposianus monachus Guido floruit, ac Leo similiter Papa IX, Innocentius III duodecimo, Honorius III tertiodecimo, Urbanus V quartodecimo, Xystus IV quintodecimo, Iulius II sextodecimo, aliis praetermissis, qui antecessoribus suis gesserunt morem. At peculiari mentione dignissimi praetermitti nequeunt, quos et Decre-

tum nominat, hoc eodem saeculo, Gregorius XIII et decimi septimi initio Paulus V, qui, uti et caeteri successores, *ad incolume Liturgiae decus tuendum, nihil potius et antiquius habuerunt*, ut Decreti verbis utamur, *quam ut rituum uniformitati, sacrorum etiam concentuum uniformitas quoque responderet.*

Nunc autem quaerimus, utrum ius onusque id agendi competeret, nec ne, Summis Pontificibus, seu Romanae Ecclesiae, seu Sanctae Sedi, seu S. R. Coñgni, cui a Summis Pontificibus id potestatis collatum est? Nemo profecto hanc infi, ciabitur veritatem, cum omnibus compertum sit, solemniorem sacrae Liturgiae partem cantum constituere. Quod ergo apud omnes citra controversiam, nunc saltem, pro certo habetur, ius liturgicum, nempe, Sedem Apostolicam sibi uni reservasse, idem super liturgico cantu iudicandum quoque est, cum pars sit Liturgiae.

Cum ergo Sedes Apostolica seu Gregorius Papa XIII, Ioanni Petro Aloisio Praenestino commisit, ut qua valeret industria cantum in sacri solemnitate officii exequendum ad meliorem reduceret formam, et iuxta prudentissimas normas reformaret, arbitrio ne usa est, an integro potius iure est operata? Affirmans responsum in tuto ponimus, cum, sive ex Italis, sive e Germanis, sive e Gallis, sive ex aliis orbis nationibus, ecclesiasticum nullum, sani saltem iudicii, reperiri indubie credamus, qui aliter sentiat. Quaestiones super facto in praesens relinquimus, parvo contenti, pleno scilicet iure Romanam hac in re Ecclesiam egisse.

(*Continuabitur*). D. C.

MANUALE NOVISSIMUM

PRO VISITANDIS ECCLESIIS A VICARIIS EPISCOPALIBUS ET FORANEIS

(Contin. v. n. 2. pag. 119).

106. Si altare sit privilegiatum. Altare illud dicitur privilegiatum, in quo Summus Pontifex concedit indulgentiam plenariam pro defunctis, christifidelibus *per modum* suffragii, mediante celebratione Missae in eodem altari; nam solus Papa, ut verbis utamur Cavalerii (*Vol. III, c. XIV*) solus habet clavem aerarii satisfactionum Christi et Sanctorum eius, ut ex illo Sacrum pretium extrahere valeat pro solutione Deo facienda. Hoc autem privilegium debet esse directe concessum, quia est omnino incommunicabile (*S. C. Indul. 25 Martiis 1625*).

Ut autem hoc tam salutari privilegio ditari possit altare, oportet ut sit fixum (*S. R. C. 17 Feb. 1843 N. 4951*) (1). Nihilominus Pius Pp. IX edixit et declaravit sufficere ut in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati uti fixum, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur. (*S. R. Ind. 26 mart. 1867*). Aliis verbis, ut altare sit capax privilegii non oportet ut sit fixum in sensu a nobis supra explicato (*n. 92*), sed sufficit ut sit parieti vel pavimento ita connexum opere lateritio vel lapideo, ut amoveri nequeat.

(1) Quando autem privilegium est personale, nempe Sacerdoti concessum, hic missam celebrare potest in altari quoque portatili, et indulgentiam pro defunctis applicare (*S. C. Ind. 20 Martii 1816*).

Privilegium conceditur semper altari determinato, nec transferri potest ad aliud, sine licentia apostolica (*S. C. Ind. 27 Sept. 1843*). Benedictus Pp. XIII omnibus Cathedralibus orbis altare privilegiatum quotidianum concessit (*20 Iul. 1724*) et Clemens XIII postea, speciali gratia Altaris privilegiati quotidiani ad septennium omnes et singulas Orbis parochiales ecclesias benigne decorari voluit; " ea tamen adiecta lege ut quilibet Episcopus de huiusmodi gratia supplicet pro sua dioecesi, et unum dumtaxat Breve pro omnibus uniuscuiusque dioecesis parochialibus ecclesiis suffragetur. Expirato vero septennio, sede plena eadem Sanctitas Sua mandat ut ipsimet Episcopi, sede autem vacante Vicarii capitulares pro renovatione eiusmodi privilegii supplicent (*Decr. 19 Mai 1759*). "

Insuper idem Clemens Pp. XIII (*27 Nov. 1764*) declaravit: " Privilegium Altaris quotidiani ad septennium illis tantum Ecclesiis per extensionem concedendum esse, quae, Parochiali unitae, seu eiusdem subsidiariae, plerasque parochiales functiones, quae *proprie parochiales sint*, infra annum exercent " (1). Apud altare privilegiatum, in loco patenti, valde decet apponi tabellam cum inscriptione: *Altare privilegiatum*, non tamen licet exponere tabellam super ianuam Ecclesiae, *Indulgentia pro defunctis* inscriptam (*S. R. C. 13 Aug. 1667 a Cavalerio citat.*).

Videat ergo Visitator an Breve concessionis privilegii existat in forma, ab Ordinario revisum, an adhuc vim habeat, an iam expiraverit. Similiter sciat,

---

(1) Hic meminisse iuvabit omnia altaria cuiusque ecclesiae, privilegiata esse, 1° tempore quadraginta horarum (*S. C. Indul. 28 Iunii 1841*): 2° die Commemorationis omnium defunctorum (*Clemens XIII 19 Maii 1761*).

et inquirat an Sacerdotes celebrantes in altari privilegiato, et indulgentiam pro defunctis applicare volentes, uti debent omnino, dicant Missam de *Requiem*, scilicet in paramentis nigris, dummodo occurrentis officii ritus id permittat (*S. R. C. 27 Aug. 1836 n. 4780*). Reliquis autem diebus impeditis, quatenus iuxta Rubricas Missa de *Requiem* recitari nequeat, per celebrationem Missae de officio diei lucratur indulgentia (*S. R. C. 22 Iul. 1848 n. 5123*).

107. De legatis in altari erectis. Ut plurimum testatores Missas celebrandas disponunt in determinato altari, vel aliquas sacras functiones peragendas: de his Visitator inquirat an existant, et per suum cancellarium de eis notam sumat, atque dein, cum visitabit regesta legatorum, de eorum adimplemento rationem exiget, ut infra dicetur.

108. Altaris conservatio. Item sciat Visitator an adsit patronus altaris seu cappellae, ad quem spectet conservatio illius, vel utrum id pertineat ad beneficiatum aut salariatum aliquem, seu ad Confraternitatem aut ad Fabricam Ecclesiae; et notam similiter sumat, ut in actis visitationis, illi ad quem pertinet, restauratio, vel necessariorum comparatio significetur, congruo assignato tempore ut perficiatur. De hoc vide inferius cum de restauratione Ecclesiae erit agendum.

Hae notationes circa altaria, eorum structuram, ornatus, immagines et supellectiles, etc. faciendae sunt de unoquoque altari ecclesiae iuxta ordinem visitationis.

Scilicet post visitationem altaris principis, visitantur altaria quae sunt ad latus Evangelii, notando eorum numerum; ac dein quae ad latus Epistolae existunt.

Idem agendum est de Cappellis prout sequitur.

CAPUT XV.

De visitatione Cappellarum.

109. Cappella maior, sive presbyterium. Iuxta S. Carolum (*Instruct. Fab. Eccl. c. 10*): " Situs huius cappellae in capite Ecclesiae, loco eminentiori, e cuius regione ianua primaria sit, deligi debet; eius pars posterior in orientem versus recta spectet, etiamsi a tergo illius domicilia populi sint; nec vero ad solstitialem, sed ad aequinoctialem orientem omnino vergat. Si vero positio eiusmodi esse nullo modo potest, Episcopi iudicio, facultateque ab eo impetrata, ad aliam partem illius aedificatio verti poterit; tuncque id saltem curetur ut ne ad septentrionem, sed ad meridiem versus, si fieri potest, plane spectet. Porro ad occidentem versus illa extruenda erit, ubi pro situ Ecclesiae a Sacerdote versa ad populum facie, Missae sacrum in altari maiori fieri solet „.

" Cappella haec fornicata sit, musivo praeterea opere, aut alia illustri picturae structuraeve specie, pro Ecclesiae, quae aedificatur, ratione ac dignitate decore ornata „.

" Eius pavimentum extruatur Ecclesiae solo altius pro situ loci, proque ratione item Ecclesiae; quae si Parochialis est, altius unciis octo ad minimum (*cent. 15*) aut cubitum unum ad summum (*cent. 45*); si Collegiata, vel Cathedralis, aut certe Parochialis insignis, haec altitudo ne minor sit cubito, nec vero maior cubito itidem et unciis praeterea sexdecim (*cent. 70*). Ubi vero in Cappella maiori locus subest, quae confessio dicitur, ad illius loci altitudinem huius pavimenti, altius extruendi ratio apte et decenter referatur „.

" Gradus ad Cappellae maioris ascensum e marmore, lapideve solido, aut e latericio opere, ubi nulla copia lapidis marmorisve est, confecti sint; iique numero impares, cruces scilicet, tres, aut quinque, pluresve pro altitudinis ratione. Quorum singulorum graduum altitudo, ne maior unciis octo (*cent. 15*); latitudo autem nec minor sexdecim (*cent. 30*) nec vero maior cubito (*cent. 45*). Si pavimenti cappellae altitudo paulo minor sit cubito, ad ascensum tres gradus aedificentur pari altitudine ".

" Si vero ea altitudo cubitum aliquanto excedat, gradus quinque; sic autem illa ob confessionis locum longe maior est, totidem fiant (at impares numero) quot ad ascendendi usum necessarii sunt; iique singuli aequalem itidem altitudinem habeant pro ratione unciarum, quibus altum est eiusdem Cappellae pavimentum, sed numquam tamen maiores illis octo unciis (*cent. 15*) ".

" Altare maius Cappellae suae loco ita constitui potest, ut ab ipsius Altaris gradu infimo usque ad cancellos, quibus illa septa sepiendave est, spatium intersit cubitorum octo, atque ubi potest, Ecclesiaeque amplitudo pro decoris ratione postulat, etiam plurium; ut id spatii commodo, usuique sit Clero frequenti, ad Missae solemnis sacrum, divinorumque officiorum celebritatem aliquando convenienti ".

" Idque propterea ubi opus sit, si a tergo Cappellae extrinsecus litus est, ubi illius spatium produci possit, usque adeo producatur, ut tantum spatii Cappellae detur, quantum supra praemostratum est: si hoc non potest, atque prae loci exiguitate, angustiaque illius Altaris Cappella non tantum spatii in Ecclesiis Parochialibus, Collegiatisve habet; tunc ille inter Altaris imum gradum et cancellos situs interiectus,

spatio esse debet cubitorum ad minimum quatuor; ut saltem in Missae solemnis sacro pro caeremoniarum, quae obeundae sunt, ratione, spatii locus congruus detur et Sacerdoti celebranti, et Diacono et Subdiacono, aliisque Clericis in eo ministrantibus „.

“ Cui angustae brevique Cappellae ut ab anteriori parte illud saltem cubitorum quatuor spatium, intervallumve detur; ea si opus sit iniri potest ratio, ut illius planum, gradusque eiusmodi sint, reconcinnenturve, qui a Cappella ipsa extantes, forisque aliquantulum decore prominentes, octanguli, aut sexanguli formam praebeant „.

“ Sin autem extra illius fines intercolumnia sunt, sique id Ecclesiae amplitudo postulat, illud ipsum spatium parari, capive poterit, eiusdem cappellae pariete, usque ad prima illa intercolumnia producto „.

“ Ubi denique prae angusti situs locique finibus exiguum, aut nullum fere spatium esse potest; id saltem omnino praestandum est, ut Altare parieti, qui ab illius tergo est, propius admoveatur; et a clathris, si illud quatuor cubitorum (*metr. 1.80*) habere nequit, distet saltem pro situs ratione, quam maxime potest, ita tamen, ut ab ipso etiam pariete procul sit cubito uno et dimidio (*cent. 67*) „.

Presbyterium ergo ante et a lateribus, sufficiens saltem habere debet spatium pro sacris functionibus exercendis, et iuxta praestantiam Ecclesiae spatium istud *Sancta Sanctorum* dicitur, nunc *presbyterium*, aut *chorus*. Si autem presbyterium pro choro inserviat, notandum quod S. Carolus praescribit: (*ib. c. 12*) “ Chori locus a populi statione, ut vetus structura et disciplinae ratio ostendit, seclusus cancellisque septus, cum ad altare maius esse debeat, sive ab anteriori parte (ut antiqui instituti est) illud circumdet, sive a posteriori sit (quia

vel Ecclesiae situs, vel altaris positio, vel regionis consuetudo sic postulat), usque adeo late longeque, ubi pro situs spatio potest, patere, etiam in hemycicli vel in alterius formae, pro ratione cappellae Ecclesiaeve, modum, architecti iudicio debet, ut et amplitudine et ornatu decent, Ecclesiae dignitati, clerique multitudini apte respondeat.

P. Vicarius Foraneus S. Florentii.

(*Continuabitur*).

APPENDIX.

I.

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.

S. Iosephi de Costarica
Remotionis suspensionis et refectionis damnorum

Die 24 Augusti 1894.

Compendium facti. Sacerdos Olimpius Zill Desilles e dioecesi Sagiensi in Gallia sub initio an. 1891 in civitatem S. Iosephi De Costarica (Americae Centralis) appulsus inibi ab Episcopo Bernardo Thiel consecutus est prius munus professoris et confessarii in Seminario et dein nominatus fuit Cappellanus Monialium e Sion, in eadem civitate degentium. At in his officiis parum permansit praefatus sacerdos, siquidem die 15 Iunii eiusdem anni Episcopus eum privavit officio Magistri in Seminario Maiori et Confessarii alumnorum; deinde die 5 successivi Iulii eum removit a munere Cappellani Monialium; et tandem die 12 Octobris sequentis eum suspendit *ex informata conscientia* a missae celebratione et aliis functionibus ecclesiasticis, quoadusque dioecesim non relinqueret.

Inflictas poenas aegre ferens sacerdos Zill suas querelas triplicato recursu detulit ad S. Sedem expostulans refectionem damnorum ob amissa officia, quibus privari non poterat absque contractus violatione a partibus initi, nec non declarationem nullitatis irrogatae suspensionis.

Verum cum recurrens Zill accusaret tamquam causam damnorum non solum Episcopum S. Iosephi de Costarica, sed etiam Moniales de Sion praefatae civitatis et quemdam sacerdotem Diringer Cappellanum Domus Primariae dictarum sororum Lutetiae Parisiorum, qui medius interfuerat ut sacerdos Zill Cappellani munus acceptaret, hinc necesse fuit ex decreto S. Congregationis Episcoporum et Regul. diei 13 Februarii 1894, ut oblati recursus a sacerdote Zill dividerentur, et in individuo determinarentur. Reapse die 15 eiusdem mensis ipse exhibuit notulam damnorum in libellis 26,290 contra Episcopum, in libellis 4.700 contra Moniales et in libellis 2.000 contra Cappellanum Diringer, totali summa in libellis 32.990, quam ob nova conquesta damna postea auxit in libellis 10.000, petens libellas 10 pro quolibet die usque ad causae decisionem, et ut rei conventi in solidum ad summam totalem damnarentur.

Hinc in praesenti quaestione super qua habitae sunt deductiones non solum Episcopi, sed etiam aliorum interesse habentium, tria sunt puncta nempe, de privatione officiorum, de suspensione *ex informata conscientia*, et de refectione damnorum.

Disceptatio Synoptica.

Quae sacerdos Zill in sui favorem profert. Ipse in sua allegatione typis edita primum disserit de causis quae Episcopum moverunt ad notas poenas irrogandas, et has nonnisi odium et vindictam fuisse ostendere satagit. Sane primam causam furoris Episcopi extitisse dicit nonnullas observationes ab ipso factas, eo quod Episcopus permisisset ut professor Seminarii associaret ad coemeterium acatholicorum cadaver Protestantis, et in publica ephemeride publi-

carentur 26 propositiones, quarum nonnullae ab Ecclesia damnatae et immorales. Altera causa furoris Episcopi, iuxta Zill, reponenda est in dissidio orto, ex eo quod Episcopus pro menstruo salario professoris in Seminario rependere volebat 20 scutata, dum sacerdos Zill iuxta initum contractum sibi 25 scutata deberi sustinebat. Hinc irae et furores quos Episcopus consummavit ipsum expellendo ab officio Professoris et Confessarii in Seminario.

Pari ratione suam remotionem ab officio Cappellani Monialium sacerdos Zill repetit ex facto quod ipse cum benevisus esset Reipublicae Praesidi, pro viribus cum ipso adlaboravit ad instaurandum vigorem concordati inter S. Sedem et Gubernium de Costarica et ad obtinendum Delegatum Apostolicum; haec res ita Episcopi animum irritavit, ut ipsum non solum privaverit memorato officio, sed etiam traducere tentaverit tamquam amentem per publicas ephemerides. Tandem his poenis et iniustitiis culmen adiunxit, ait sacerdos Zill, suspensio *ex informata conscientia* ab Episcopo sibi inflicta ob appellationem seu recursum a se factum ad S. Sedem. Ex allegatis igitur et ex aliis quae refert, concludit se esse victimam furoris Episcopalis.

Deinde impugnat valorem remotionum de quibus supra, utpote contra contractum existentem. Sane ex epistola Superiorissae Monialium de Sion in Costarica ad Superiorissam Generalem Parisiis erumpit quod Episcopus promiserat Monialibus Cappellanum, qui ipsis inserviret, occupare in Seminario cum menstruis scutatis 25 comprehenso victu et habitatione et Moniales ex parte sua promittebant Cappellano rependere singulis mensibus scutata 40, inclusis etiam expensis itineris. Hoc officium, quod prius recusatum fuerat a quodam Barauteil, postea ope intermediarii Diringer acceptatum fuit a sacerdote Zill, et Moniales secutam conventionem ratam habuerunt. Relatae conventioni subsecutus est actus nominationis ad officia uti supra: sacerdos Zill e longiquis regionibus Galliae venit in Costaricam, et primis quinque mensibus sedit in eadem mensa cum Episcopo. Haec omnia, subdit Zill, portendunt usque ad evidentiae fastigium con-

tractus bilateralis existentiam, qui non potuit violari invita parte.

Loquens tertio de suspensione *ex informata conscientia* conqueritur sibi hanc poenam irrogatam esse paucis post diebus quam ab Episcopo bonum testimonium de suis moribus habuerat et etiam 30 scutata pro eleemosynis missarum, quibus vita sustentare posset. Causa huius repentinae mutationis non est quaerenda in mala informatione habita a Legatione Gallica Matriti circa suos mores, uti vellet Episcopus, sed potius in quodam recursu, quem sacerdos Zill dicit transmisisse sacerdoti Diringer, ea lege ut ope Nuntii Apostolici mitteretur ad S. Sedem: qui tamen sacerdos proditorie ad Episcopum remisit.

De cetero adnotat, praefatam suspensionem quae iuxta Trid. Cap. 1, sess. XIV de Refor. infligi debet in delictis occultis vel difficilis probationis, in themate nullimode sustineri posse, cum delictum ob quod lata fuit, sit, teste ipso Episcopo, publicum: proinde sacerdos Zill urget Episcopi damnationem ad reficienda omnia damna sibi derivata tam ex relatis remotionibus, quam ex enormibus expensis a se passis pro vitae sustentatione, et quidem in ea summa quam superius indicavit: item urget damnandas esse Moniales de Sion in Costarica ad sibi refundendum salarium trium annorum cum fructibus et aliis emolumentis iuxta obligationem ab ipsis assumptam.

Quo vero ad sacerdotem Diringer licet hic ad refectionem damnorum adstringi nequeat ulla lege contractus, tamen cogendum esse clamat alio capite a S. Congregatione, quia nempe dolose recursum intercepit transmittendum ad S. Sedem, et remisit ad Episcopum; quod si s. Congregatio nolit eum damnare, saltem petit facultatem eum traducendi ad tribunalia civilia.

Quae contra sacerdotem Zill Desilles militant. Aliter vero sentit adversa pars: et in primis Episcopus denegat se egisse in hoc negotio ex ira vel ex odio, imo sustinet se nimis patienter tulisse contra etiam sententiam totius Cleri qui promptam et severam sacerdotis Zill punitionem recla-

mabat: item in suis literis informativis sustinet nullum intervenisse contractum vel promissionem erga praefatum sacerdotem et rem ita explicat: die 18 Martii 1890 Moniales de Sion in Costarica exposuerunt se paratas esse ad arcessendum e Gallia Cappellanum, qui eis pro sacris functionibus inserviret, et rogaverunt Episcopum ut aliquid subsidii ei tribueret pro complenda assignatione a Monialibus promissa: Episcopus intentionem aperuit se hoc facturum dando ei magisterium in Seminario minori cum menstruo stipendio scutat. 25. Postea loco sacerdotis Baruteil qui tunc pro Cappellani munere cum Monialibus agebat, advenit sacerdos Zill neque nomine ab Episcopo cognitus: hinc quaerit Episcopus quo iure exposita animi manifestatio pro contractu traduci queat.

Sed data et non concessa contractus existentia, Episcopus contendit se assumptae obligationi iam satisfecisse cum sacerdoti Zill: scholam in Seminario minori obtulit et ipse hanc respuit: et si postea ei tradidit munus Professoris in Seminario maiori, id egit non ex aliqua obligatione assumpta, sed ex pura benevolentia: superius vero relata facta Episcopus dicit probari iuratis et omni fide dignis testibus.

Deinde Episcopus edisserit causas quae ipsum impulerunt ad relatas poenas et suspensionem infligendas. Et quoad remotionem sacerdotis Zill a Seminario ex duplici causa motum fuisse, nempe a necessitate restituendi, tum pacem inter superiores Instituti tum disciplinam inter alumnos: Sacerdos Zill animos iuvenum ferventes ad seditionem contra superiores excitabat, probra et dicteria praesertim contra Seminarii Rectorem vomebat, ita ut hic coactus fuerit dimissionem dare ab officio: Episcopum vero potius quam provectum et benemeritum Rectorem a Seminario dimittere, melius censuisse de consilio suae Curiae turbulentum sacerdotem expellere.

Item quoad remotionem sacerdotis Zill ab officio Cappellani Monialium Episcopus tradit, eam derivasse ab ipsius pessima agendi ratione erga Moniales: hae enim duplicem recursum contra Cappellanum exibuerant, unum apud Epi-

scopum et aliud apud Consulem Gallicum: hinc ipsius permanentia in officio impossibilis evaserat.

Exponens demum Episcopus causas inflictae suspensionis, potissimam dicit fuisse interdictionem factam sub censurae comminatione praefato sacerdoti publicandi per ephemerides scriptum infamans et maxime damnosum Monialibus: sacerdos Zill parere noluit, scriptum publicavit, hinc censurâ suspensionis irretitus mansit ab Episcopo, qui eam irrogavit ex quadruplici capite. 1. Ob machinationes contra ipsum peractas; 2. ob tentamen schisma ciendi inter Clerum de Costarica. 3. ob scandalum publicum; 4. ob damnum Instituto religioso causatum.

Hisce expositis, Episcopus concludit quaestionem de compensandis damnis esse solutam, cum ad reficienda damnari nequeat neque vi contractus, qui prorsus exulat, neque vi remotionum et suspensionis, quae gravibus rationibus subnixae fuerunt.

Neque aliter e parte sua sentiunt Moniales et sacerdos Diringer vocati in causa quoad damnorum refectionem. Sacerdos Diringer breviter se expedit, observando quod 1. ipse actum charitatis exercere putavit commendando Monialibus de Sion in Costarica sacerdotem Zill pro Cappellano, licet postea hic conceptae opinioni non responderit, 2. quod si acceptum recursum sacerdotis Zill contra Episcopum ipse non transmisit ad S. Sedem, prout erat in votis recurrentis, id iure egisse, cum participare nollet in opere reprobando: de cetero reclamatum recursum mense Augusti 1893 remisisse ad eumdem Zill: hinc intelligere non posse, quomodo quaestio damnorum se pertingere possit. Moniales vero ita probant se nullimode damnari posse ad refectionem damnorum. Admittunt quidem quemdam per litteras tractatum extitisse ad habendum pro Cappellano sacerdotem Zill: sed respuunt omnem contractus ideam aut assumptae strictae obligationis, quod ita verum esse dicunt, ut etiam tribunalia civilia ad quae sacerdos Zill appellavit, in hoc negotio omne contractus vestigium excluserint. Postea Moniales totae sunt, in earum defensione exhibita ope sacerdotis Diringer, in enar-

randa scandalosa et imprudenti agendi sui Cappellani ratione; plura edicunt de pessimo ipsius charactere, de sermonibus contra Moniales habitis coram earum alumnis seu educandis, de scandalosa interruptione missae quadam die dominica, et de aliis id genus, ita ut impulsae fuerint ad acceptandum alium Cappellanum ab Episcopo designatum. Tum Zill contra hanc provisionem recursum habuit ad tribunal ecclesiasticum a quo repulsus appellavit ad tribunal laicum, sed pari exitu: et Moniales processus expensas et advocati honorarium propter inopiam actoris exsolvere debuerunt.

Hinc Moniales concludunt ad nulla damna reficienda teneri, cum continuatio sacerdotis Zill in officio evaserit omnino impossibilis: potius ipsae indemnizandae essent a sacerdote Zill, non solum ob expensas a se iniuste solutas, sed etiam ob damna ab Instituto passa sive in ordine morali sive in ordine materiali et rem comprobare adnituntur serie factorum quae brevitatis ergo omittuntur.

Hisce summatim praehabitis proposita sunt resolvenda sequentia

Dubia

I. *An et quomodo sustineantur provisiones dierum 5 Iunii et 5 Iulii 1891, quibus Episcopus de Costarica privavit sacercerdotem Zill Desilles officio Professoris in Seminario et Cappellani in Instituto Sororum de Sion in casu?*

II. *An et quomodo sustineatur suspensio inflicta in casu?*

III. *An et quae damma compensanda sint praefato sacerdoti ob dictas remotiones et suspensionem in casu?*

Resolutio. Sacra Cong. Episcop. et Regul. die 24 Augusti 1894, omnibus mature perpensis rescripsit.

Ad I. *Affirmative in omnibus.*

Ad II. *Attentis omnibus in casu concurrentibus affirmative in omnibus.*

Ad III. *Negative in omnibus et amplius.*

II.

LITTERAE Emi Praefecti quoad usum Rotae, vulgo, *Velocipede*.

Illmo ac Rmo Episcopo Izatmariensi.

Perillustris ac reverendissime Domine uti Frater.

Haec S. Congregatio Episcoporum et Regularium maturo examini subiecit, quae Amplitudo Tua retulit circa Sacerdotes utentes rotâ dicta *Velocipede*. Itaque sacra eadem Congregatio zelum et prudentiam Amplitudinis Tuae collaudat atque commendat: nam prohibitio huiusmodi non solum liberat a corporis periculis Sacerdotes ipsos, sed scandala avertit a Fidelibus et irrisionem ipsorum Sacerdotum. Interea Tibi adprecor a Domino fausta omnia et prospera.

Amplitudinis Tuae uti frater.

Romae 28 Septembris 1894.

I. Card. VERGA, *Praefectus.*

E SACRA CONGR. CONCILII.

RHEMEN.

Insignium canonicalium

Die 23 Februari 1895,

Archidioecesis Rhemensis Archiepiscopus Cardinalis Gousset anno 1851 pro capitulo Cathedrali suae Ecclesiae privilegium insignium canonicalium impetravit a Pio IX f. r. vi cuius « omnes et singuli Archidiaconi et Canonici Metro- « politanae Ecclesiae Rhemensis, Cappam magnam laneam » violacei coloris ad instar Canonicorum Patriarchalis Basi- » licae Vaticanae induere possint, necnon supra pectus Crucem » deferre valeant, quae S. Remigii nuncupetur, cuius forma » ad instar Equitum Ordinis Hierosolymitani octangula sit

» violaei coloris cum alba linea, quae extremitatem percur-
» rat, et cuius ad angulos argentea puncta sint, in medio
» autem, seu Crucis centro, numisma sit ex una parte ima-
» ginem referens S. Remigii, ex altera imaginem B. M. V. »

Idem Archiepiscopus in concedenda huius Rescripti executione ita Pontificis interpretatus est voluntatem, ut obtento privilegio declararet honestatos esse tantum Canonicos Titulares, exclusis Honorariis. Reapse videtur huiusmodi insignia canonicos titulares, exclusive, pacifice detulisse usque ad superiorem annum quo Canonici honorarii inhaerentes generalioribus Iuris communis regulis nec non Brevis Pontificii litterae, sibi ius vindicare coeperunt deferendi aeque ac titulares insignia privilegio concessa. Verum hi obstiterunt, invocantes observantiam quadraginta et trium annorum nec non intentionem Summi Pontificis cupientis examussim satisfacere Card. Gousset voluntati, quae per preces, ac maxime et dilucide significata fuit in Brevis executione.

Ad hanc sopiendam litem Archiepiscopus Card. Langénieux quosdam elegit viros, tum inter Canonicos Titulares et honorarios tum inter suae Curiae Officiales, quibus negotium commisit de ea re deliberandi per votum consultivum. Hoc virorum collegium legitime constitutum et certa die coactum in duas abiit sententias; maior vero pars Canonicis honorariis votum expressit favorabile, scilicet ex septem, quinque opinati sunt honorariis aeque ac titularibus Canonicis competere ius insignia deferendi, reliqui duo contrarium sentierunt.

At huic sententiae non acquievit Capitulum, quamobrem Archiepiscopus controversiam H. S. C. dirimendam obtulit sub die 12 Septembris 1894 quae hodie nobili V. Ordini proponitur.

Quae a Capitulo proferuntur ad denegandum huius privilegii honorariis Canonicis communicationem, haec potiora sunt. Cum primis notant tria facta, nempe preces et intentionem Cardinalis Gousset, eiusdem Brevis datam executionem et continuam usque ad praesens tempus observantiam, aperte hoc privilegium ita adiudicasse *solum* titularibus Canonicis, ut ulterius potrahi non debeat. Praecipue insistunt in observantia *43 annorum*, quae omne ius contra honorarios Canonicos praescribere valuit.

Dein invocant reverentiam tanto viro debitam, adeo ut piaculum sit cogitare ipsum in re tam gravi nesciisse Breve Pontificium aut impetrare aut exequi, et grave sit eius voluntatem tam luculenter manifestatam immutare velle.

Ad haec, notant, modo Capitulo adscriptos esse Canonicos honoris causa 31 in Dioecesi degentes et 10 extra Dioecesim morantes, quamobrem ita effusum esset tam peculiare privilegium ut plane vilesceret, imo ridiculum foret. Nam huiusmodi Canonici per Dioecesim disseminati in villis, in rusticanis, et pauperioribus Ecclesiis Sacra peragentes, iis insignibus pene Pontificalibus condecorati, magis viderentur comoediam agere quam Sancta mysteria tractare.

Proinde aiunt hoc ita alienum esse a recepto more et a Capituli et Archiepiscopi intentione quando *ad honorem* Canonici Capitulo adscribebantur, ut serio dubitari debeat, an valeant illorum electiones post tam gravem inductam in eorum iuribus mutationem. Capitulum enim protestatur, quod numquam consensum praestitisset, si animo cogitasset haec iura derivari honorariis Canonicis.

Demum suam protestationem Archiepiscopo datam Capitulum ita concludit « Faut il ajouter encore que si le Car- » dinal Gousset eût pu soupçonner les réclamations élevées » de nos jours, il eût fait insérer dans le Décret des termes » restrictifs qui les eussent prévenues, ou il n'eût rien sol- » licité. — Ce qu'il n'a pas demandé, peut s'obtenir, et s'ac- » corde de fait, comme vous l'avez obtenu vous-même, Emi- » nence, pour le Chapitre de Tarbes, comme l'ont obtenu » les Archevêques et Evêques de Rouen, de la Rochelle, » de Soissons pour les seuls Chanoines titulaires et pré- » bendés. »

Insuper ex iure communi Canonicorum intentioni haec videntur favere. Nimirum quaestio est de interpretando Rescripto, cuius verba clara non sunt; non enim constat an sermo sit de Canonicis tantum titularibus, en etiam honorarii comprehendi debeant. Quando vero verba obscura sunt, et clara est intentio actum ponentis, huic intentioni obsequendum est iuxta *L. 219 ff. De V. Signif.* In conventionibus contrahentium *voluntatem* potius quam *verba* spectare placuit « et uti habet *cap. 15 De Sig.* » « non intentio verbis sed verba intentioni debent deservire. » Iamvero, aiunt Canonici Titulares, intentio tum Capituli tum Archiepiscopi aperte patuit ex precibus Pontifici oblatis, in quibus sermo erat tantum de 10 Canonicis Titularibus et ratione exprimebantur tantum Titulares attigentes. Quapropter quamvis privilegia favorabilem admittant interpretationem, hanc tamen excludunt: « 1° Quoties id exigit res de qua agitur: 2° si casus inciderit insuetus penitus et a ratione legis sic alienus, ut ei legem applicare videatur absurdum vel iniustum vel abs

re aut a voluntate legislatoris remotum prorsus »: ita d'Annibale *P. I. n. 187.* Revera *ratio legis est anima legis* praesertim quando agitur de privilegiis concessis non *motu proprio* sed ad instantiam alicuius.

Ad praescriptionem quod attinet adverti debet, eadem non inutiliter in casu videtur invocari, nam esto privilegia non praescribi *per non usum*, uti passim probant Canonistae et videre est apud Pirhing *Lib. V* § *33 n. 176* et Reiffenst *Lib. V* § *33 n. 209;* sed hoc fit de iis privilegiis *quae non laedunt ius tertii*, uti late disserunt iidem Auctores. Atqui in casu laesio iuris tertii non dubia videtur. Nam ipsae querelae Titularium docent quam aegre ferant huiusmodi privilegii ad Honorarios extensionem. Ea vero de causa, quia Canonici honorarii hoc privilegio utentes laederent ius Titularium qui ab honorariis distingui debent; laederent concessi privilegii intentionem, idemque pene proculcarent et fere ad nihilum redigerent, adeo ut non privilegii usus sed enormis evaderet abusus.

Sed ex adverso favore Canonicorum honoris causa Capitulo adscriptorum haec animadvertere praestat. Cum primis frustra ex Iure *Decretalium* exquireretur textus quo jura comprobarentur huiusmodi Canonicorum, incognita enim tunc fuit Canonicorum species; uti patet ex Fagnano *com. in cap. Dilectus de Praeb n. 10*, quocirca in novissimo iure tantum reperiri possunt documenta haec iura respicientia. Consuetudine praesertim receptum fuit ut honoris causa renuntiarentur canonici presbyteri in Dioecesi de re christiana egregie meriti, qui ob imminutum praebendarum numerum de canonicali beneficio augeri non poterant. Quamvis titulo *honoris* cooptati in capitulum Canonici, non obtineant iura Canonicis praebendatis competentia, veluti nec *vocem activam* nec *passivam* in Capitulo habeant neve aliquod ius ad praebendam vacaturam, uti decrevit H. S. C. *sub die 11 Ianuarii et 29 Augusti 1868 in causa civitatis Castellanae « iurium praeeminentiarium et vocis in capitulo;* nihilominus ea quae *honoris* sunt, eisdem denegari non debent, uti eorum ipsius nomen expostulat. Quare Canonici honorarii ius habent induendi vestes, insignia Canonicalia, et sedendi in choro post ultimum Canonicum titularem, prouti respondit H. S. C. *die 6 Iulii 1867;* quia eodem decreto huic III Dubio: « *An paramenta sacra in functionibus Pontificalibus accipere debeant Canonici ad honorem*; *Planeta vel potius Dalmatica seu Tunicella parari teneantur* » rescriptum fuit: « Ad III *si Capitulares sint distincti per ordines nimirum presbyteralem, dia-*

conalem et subdiaconalem, Canonicos honorarios induere debere tunicellam, secus eamdem vestem communem Canonicis titularibus cuiuscumque ordinis sint. »

Sane denegari non debet, aliquando ex speciali constitutione Canonicis honorariis tantummodo aliqua sed non omnia honorifica iura competere ut infertur ex decisione *H. S. C. diei 29 Maii 1869 in Divionem Administrationis Sacr. et Funerum*; sed plane iura honoris gratia Canonicis titularibus comparata restringi non debent quoad honorarios, nisi hoc expresse in tabulis fundationis caveatur; possidet enim ius commune quousque ius particulare probe non evincatur.

Iamvero in Brevi, de quo est quaestio, insignia conceduntur indiscriminatim *omnibus et singulis canonicis* absque ulla distinctione; atqui praecipue in favoralibus ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus. Sub nomine vero Canonici in iis quae favorabilia sunt quaeque *honorem Tituli* spectant, venire indiscriminatim tum Canonicos tum praebendatos, exploratissimi iuris est. Nam *favores sunt ampliandi, odia autem restringi convenit, et in cap. 2 De Donat.* continetur « *In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis* (Principium) *plenissima est interpretatio facienda* ».

At et privilegia praescribi *per non usum*, sane exploratum est. Verum privilegia gratiosa seu quae nullius ius laedunt constat apud Doctores ullo tempore etsi longissimo non praescribi, uti affirmat S. Alphonsus *in op. De Privil. c. I n. 9*, aiens « Privilegia gratiosa quae non sunt aliis gravamini ut *absolvendi, dispensandi* vel ieiunandi et his similia, haec nunquam amittuntur *per non usum et etiam per usum contrarium; quamvis temporis longissimi* » ita etiam Suarez *De Legibus L. 8 c. 34 n. 17*. Re quidem vera huiusmodi privilegiis uti est in privilegiati facultate et in *facultativis non datur praescriptio.*

Sed privilegiorum effraenatus usus maxime est perniciosus et, uti recte instant Canonici Titulares, est coercendus ne privilegia evadant obsoleta et malorum hominum cachinnis exposita; at hac in re abusibus via est omnis praeclusa si recte observetur Decretum H. S. C. diei 16 Septembris 1848 quod incipit « *Quamvis Ecclesiasticos* » quoad Canonicos honorarios, et aliud ex consultu S. R. C. datum in forma Brevis *sub die 29 Ianuarii superioris anni* quo consultissime cavetur ne nimius evadat numerus Canonicorum ad honorem extra Dioecesim degentium et sub § III cavetur « Qui vero alicujus Metropolitanae vel Cathedralis aut Collegiatae Ecclesiae aut Basilicae Minoris extra Urbem Canonici sunt ad

honorem, privilegiis et insignibus tantum utantur in Dioecesi ubi nominati sunt ».

Modo dignentur EE. PP. prudenti responsu hoc diluere

DUBIUM

An privilegia concessa Canonicis Ecclesiae Cathedralis Rhemensis per Breve anni 1851, extendi debeant ad Canonicos ad honorem, in casu.

Resp. *Affirmative, tantummodo in functionibus capitularibus.*

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1895.

ARCHAEOLOGIA SACRA

Quo *Ephemerides Liturgicae* a Rmis Ordinariis aliisque de clero propensius legantur, tractationes aggredimur de Sacra Archeologia ac praesertim de iis Ecclesiae monumentis quae ad ecclesiasticam liturgiam illustrandam maxime conferunt, uti majores reliquiae de Vultu Sancto, de Cruce, de Lancea, de Scala Sancta, de Vinculis Divi Petri, de translatione corporum Apostolorum Petri et Pauli, de capite S. Andreae; nec non de imaginibus B. Virginis in cathacumbis, de fontibus antiquis baptismatis, de forma et ornatu veterum altarium, de statua aenea Principis Apostolorum in templo Vaticano etc.

I. De Sacra Lancea Domini Nostri I. C.

Celeberrimas inter ac maiores Dominicae Passionis reliquias ea profecto recensenda est lancea, qua latus Domini patuit, ex quo *exivit sanguis et aqua*, latus inquam *fons patens in ablutionem peccatoris.* Unus enim militum, Longinus scilicet, lancea latus eius aperuit, quae tanta apud christianam plebem veneratione usque adhuc colitur.

Ab Ecclesiae primordiis Christifideles in Oriente diligentissime Dominicas reliquias servari studuerunt, quae postea in Occidentem invectae, Romae praesertim, summa religione venerantur.

Incertum est an sacrum lanceae ferrum una cum aliis reliquiis ab Helena inventum fuerit; illud autem scimus, quod cum hasta confracta Hierosolymis, saeculo septimo et sequenti, venerationi fidelium in porticu templi *Martyrii*,

quod Constantinus excitaverat, expositum inspiciebatur. Cum Persae Palaestina ipsaque sacra urbe potiti essent, Heraclius lanceam secum Constantinopolim detulit: unde postea Antiochiam translata est. Hac urbe a Crucesignatis capta, anno 1097, illa inventa est in templo divi Petri sub terris abdita, quodam clerico locum revelante. Quod quidem factum pro felici omine ab ipsis acceptum, maiori cum alacritate ac virtute bellica ad sepulchrum Domini a potestate alienigenarum omnino liberandum advolarunt, uti referunt qui, eo temporis, de christiana expeditione scripserunt.

Sedis Apostolicae in Terra sancta Legatus venerabile ferrum in militum itineribus praeferebat, ac in pugnis adversus Saracenos saevissimis, veluti tutamen et ad victoriae incitamentum ostendebat. Tandem in Christianorum potestatem Hierosolyma redacta, ibi illud servari statutum est; sed, quibusdam annis elapsis, Constantinopolim iterum delatum scimus, ibique custoditum, quoadusque Turcarum Tyrannus Mahometus huius nominis secundus, urbem adgressus, eaque magno totius orbis christiani moerore potitus, anno 1453, illud in regio thesauro sarvandum decrevit, quod deinceps Romam, uti mox videbimus, delatum est.

Haec vero perinsignis lancea cuspidatim decisa cernitur, uti videre fas est in templo Vaticano; pars enim superior seu cuspis Venetis terra marique potentibus pignori data est ab imperatore Balduino II pro magno auri pondere quo maxime indigebat: ex quibus ad Francos invecta, opera Aloisii IX, regis sanctitate factisque egregiis celeberrimi, qui eam pretio redemit *Sanctaeque Capellae* ab se a fundamentis excitatae magno cum honore intulit, saeculo XIII (1241).

Ergo Luthetiae Parisiorum haec Ferri pars plebis christianae et principum obsequio, ultra quinque saecula, culta est, ad eam usque scilicet aetatem, qua nefarii homines rempublicam in Gallia perturbantes, elapso proxime saeculo, Sanctam Capellam depopulati, reliquias illic inventas diripuerunt aut dissiparunt. Quamvis vero perinsignis cuspis ad bibliothecam publicam (Bibliothèque Nationale) delata fuerit, ut ibi servaretur, tamen in posterum, dum adhuc

in Gallia divina humanaque omnia a perditorum hominum turba miscerentur, non est amplius inventa (1).

En vero causa ex qua Romam Byzantio Lancea delata est. Cum supremum diem obiisset, anno 1481, Mahometus supra memoratus, ei successit in imperium filius Bajazet II, cui tamen adversatus est frater nomine Gemgem seu Zizimus, qui in eum intulit arma; sed hic Zizimus in praelio devictus fugatusque ad Rhodum insulam in Aegaeo mari penes Hierosolymitanos Equites, postea Melitenses appellatos, confugit, magnique eorum Magistri Petri Cardinalis d'Aubusson se commisit fidei.

Innocentius vero VIII, Ianuensis, e gente Cybo, existimans magnum christianae reipublicae bonum adfuturum, si princeps Zizimus in sua constitueretur potestate, eum ab Equitibus petiit; perhumaniter tamen habuit, ceu hospitem et amicum. Quapropter in suspicionem adductus Turcarum Tyrannus, misit qui tum Pontifici, tum fratri Zizimo venenum praebentes, eos interimeret. Sed mutato dein consilio, Christianos sub sua ditione degentes, mitiori animo quam antea, saltem aliquandiu, toleravit; quin imo Pontifici multa obtulit dona, inter quae maximum munus Lanceam Domini Nostri I. C.; ipsique Zizimo quadraginta aureorum milia per singulos annos pro victu et domus decore concessit (2).

Igitur curam ferendi Lanceam legato extra ordinem commisit, nomine Cassà Begh, qui Anconae Calendis Maii applicuit, anno 1492 (3).

---

(1) Cum aliquando dubitaretur an reipsa cuspis haec e lancea in Vaticano templo servata excisa fuerit, cuspidem similem formae et longitudinis a custodibus Sanctae Capellae petiit Canonicus Lambertinius, postea Benedictus XIV, quae verae Lanceae adamussim aptata narrationem historicam confirmavit.

(2) Confer inter alios Nantiporto, Infessura, Malipiero.

(3) Quae sequuntur excerpsi ex Diario Burchardi, sub Innocentio VIII, qui fuit Magister caerimoniarum sub variis Pontificibus, ex Codice membranaceo Barberiniano signato XXXIV, 49, fol. 47 et seq. aliisque fide dignis scriptoribus.

Anconam usque, quo sacrum Ferrum una cum Turcica legatione reciperent, duos legatos Pontifex misit, Bonciardum Archiepiscopum Arelatensem et Borsianum Episcopum Fulginiae, familiares suos, concessitque *equum cum capsa cooperta et aliis ornamentis*, quo ipse utebatur ad Eucharistiam ferendam, ut mos est Romanorum Pontificum. Itaque Lancea in urna crystallina, opere aureo pulcherrimo exornata, reposita ferebatur, praecedentibus, diu noctuque, accensis facibus in itinere. Per singula oppida et urbes, per quas transibant legati, magno cum honore et reverentia eam Christifideles venerabantur. Interim Innocentius alios legatos duos, *a latere* dictos, creavit: Card. S. Petri ad Vincula, qui postea renunciatus est Pontifex sub nomine Julii II, et Card. Georgium Costa Lusitanum, qui Narniam usque tanto muneri obviam irent. Ii omnes die 31 Maii, in festo Ascensionis Domini, per viam Flaminiam ad portam Populi pervenerunt.

Ex Urbe tota Romani proceres cum plebe et Pontifex cum Cardinalibus aliisque permultis de clero ad S. Mariam de Populo convenerant, ubi mitra et pluviali pretioso indutus obviam processit sacratissimae Lanceae: *Appropinquante Papa iidem Cardinales ferrum in tabernaculo crystallino quod suis manibus tenebant eidem summo Pontifici sub quibusdam brevibus verbis ad huc convenienter compositis obtulerunt; et Sanctissimus Pontifex, deposita mitra, etiam brevibus verbis respondit, et accepit tabernaculum cum ferro et illud osculatus est reverenter* (Burchardus). Quae etiam narrantur in Diario, vulgari sermone, quod Infessura composuit.

Interim clerus, officiales Palatii, nobiles Romani, inter quos erat Ferdinandus de Aragonia Princeps Capuae, et tres Confraternitates, (quae tamen, eo temporis de praecedentia contendebant) (1) processionaliter procedebant ad S. Petrum, Pontifice Ferrum gestante sub *baldachino*, cuius hastas Barones Romani portabant. Magnus populi concursus,

(1) Confraternitates scilicet SS. Salvatoris ad *Sancta Sanctorum*, Annuntiatae et Gonfalonis.

maior devotio, maxima in animis laetitia (1); viae ac plateae exornatae floribus ac velis paramentisque sericis et pretiosis, praesertim ante domum Cardinalis Parmensis in regione Pontis, quae etiam e fenestris pendebant.

Cum Pontifex ad Vaticanum templum pervenisset, populo innumero Lancea benedixit, recepitque Cassà Begh, qui pridie Romam solemniter ingressus fuerat, a quo ei traditae sunt litterae Bajazet, confirmantes publica monumenta de Lancea in Oriente. Itinere lassus Papa in palatium secessit, dum Dominicus de Ruere Card. tituli S. Clementis Missam celebravit in eodem templo.

---

(1) Iuvat referre quo ordine omnes procedebant iuxta Burchardum:

Clerus Urbis suo ordine
Collectores plumbi
Sollicitatores Litterarum Ap.
Notarii Auditoris Camerae
Notarii Auditorum Rotae
Procuratores Poenitentiariae
Procuratores contradictarum
Abbreviatores de prima visione et parco minori
Scriptores Poenitentiariae
Scriptores Apostolici
Magistri utriusque registri
Abbreviatores de parco maiori
Bullatores
Magistri plumbi
Procuratores ordinum
Procuratores Principum
Secretarii et Advocati
Cubicularii extra Cameram
Oratores principum et laici et Barones
Cantores Papae
Accolyti
Clerici camerae
Auditores Rotae
Accolyti cum candelabro et thuribulo
Subdiaconus cum cruce et sociis
Poenitentiarii
Abbates
Episcopi
Archiepiscopi parati
Diaconi Card. non assistentes: medius inter digniores Princeps Capuanus
Praesbyt. Cardin.
Episcopi Card.
Duo Diaconi Papae assistentes
Scutiferi Papae cum intorticiis
Duo accolyti cum candelabris
Duo accolyti cum thuribulis
Papa sub baldachino
Auditor de mitra serviens
Protonotarii assistentes
Praelati non parati
Alii Protonotarii
Generales Ordinum
Togati alii

Hanc perinsignem Lanceam Innocentius in aula pontificali servatam voluit, donec, iuxta votum ipsius, nobile excitaretur sacellum ad eam honorifice custodiendam. Verum, antequam e vita excederet, Ferrum Laurentio Card. Beneventano, suo ex fratre nepoti, in Basilica Vaticana perpetuo servandum reliquit. Interim repositum est in tabernaculo Vultus Sancti, seu Veronicae quod Ioannes VII mirifice extruxerat in aede Dei Genitrici dicata.

Perfecto itaque sacello, et magnifice exornato, illuc Lancea translata est, cuius parieti marmorea haec tabula affixa, quae modo in cryptis Vaticanis cernitur

GENITRICI DEI MARIAE
A GREGORIO III P. M. ANTE POSITVM ET DEDIC.
INNOCENTIVS VIII CIBO GENVENSIS P. M.
LAVRENTIO NEPOTI PRAESBYTERO CARD. BENEVENTANO
A FVNDAMENTIS RENOVAND.
SVPRAQVE FERRVM QVO PATVIT LATVS SALVATORIS
SANCTISS. SVAE MAIESTATI BYZANTIO MISSVM
A MAX. TVRCARVM
ADSERVANDVM RELIQVIT
A. D. MCDXCV

Cum urbs Roma ipsumque Vaticanum templum a nefariis Borbonii copiis diriperetur, confracta urna Lanceae, haec in terram deiecta est, sed, Deo disponente, minime ablata. Anno 1606 vertente, sacellum Vultus Sancti solo aequatum est ob novae basilicae aedificationem: tunc venerabile Ferrum uni e quatuor maximis Vaticani templi tholis inlatum est in parva capella praetiosis politisque marmoribus exornata, ubi etiam magna pars Crucis Domini et Vultus Sanctus custodiuntur: quae omnes reliquiae populo ostenduntur, feria VI in Parasceve.

Franciscus Card. Barberini, Urbani VIII nepos, Lanceam in novo tabernaculo crystallis laminisque aureis affabre sua impensa elaborato custodiri curavit, anno 1634. Prope

locum Lanceae, magnam e Pario marmore statuam Longini, lanceam gestantis, a Berninio sculptam admiramur.

Notandum denique est monumentum haberi de memorata sacri Ferri translatione ad Urbem etiam in epitaphio Innocentii VIII ad locum sepulcri eius in Basilica Vaticana in quo aeneum Pontificis simulacrum a Pollaiuolo conflatum Lanceam dextera manu gestat. Inscriptio autem haec est.

D. O. M.
INNOCENTIO · VIII · CYBO · PONT. MAX.
ITALICAE · PACIS · PERPETVO · CVSTODI
NOVI · ORBIS · SVO · AEVO · INVENTI · GLORIA
REGI · HISPANIARVM · CATHOLICI · NOMINE · IMPOSITO
CRVCIS · SACRO · SANCTAE · REPERTO · TITVLO
LANCEA · QVAE · CHRISTI · HAVSIT · LATVS
A · BAIAZETE · TVRCARVM · TIRANNO · DONO · MISSA
AETERNVM · INSIGNI
MONVMENTVM · E · VETERE · BASILICA · HVC · TRANSLATVM
ALBERICVS CYBO · MALASPINA
PRINCEPS · MASSAE
PERENTILLI · DVX · MARCHIO · CARRARIAE · ET · C.
PRONEPOS
ORNATIVS · AVGVSTIVSQ. POSVIT · ANNO · DOM. MDCXXI

Sac. Ioseph Cascioli.

S. RITUUM CONGREGATIO

I.

ROMANA.

Sacrorum Rituum Congregationi insequentia Dubia fuere proposita:

Dub. I. S. R. C. per Decretum *Lycien.* 4 Aprilis 1705 ad V. declaravit, Officia Sanctorum ad libitum esse omittenda, si ab aliquo Officio Dominicae anticipandae impediantur. Idem statutum legitur in recentiori Decreto *Namurcen.* 29 Maii 1885 ad I. Hinc quaeritur: Utrum Officium Dominicae anticipandae impediat quoque recitationem Officii Votivi ad libitum ex iis, quae Ssm̃us Dominus Noster Leo Papa XIII. nuper indulsit?

Dub. II. Caeremoniale Episcoporum lib. II. cap. III, n. XVII. docet: « In duplicibus... minoribus, semiduplicibus et feriis non oportet Celebrantem *(ad Vesperas)* esse paratum, nec fieri thurificationes ». Hinc quaeritur: An quando solus Celebrans paratus est sine Ministris, thurificationes in Vesperis fieri debeant, an tantum fieri possint, uti videtur innuere Decretum Ord. Min. de Observantia 16 Aprilis 1853 ad XXV?

Dub. III. Quaenam sequendae normae in coniungendis Hymnis Sanctorum propriis, si habeantur in Breviario, quando relativa festa primis Vesperis carent?

Dub. IV. Si Feria VI. post Octavam Ascensionis occurrat duplex 2 classis, quemadmodum omittenda est eiusdem Feriae commemoratio in

Laudibus et Missa, omittine debet etiam in secundis Vesperis?

Dub. V. Cum commemoratio Crucis tempore paschali in Officio Votivo de Passione fieri non debeat, eadem commemoratio omittendane est etiam in Officio Votivo de Eucharistia, si tempore paschali recitetur?

Dub. VI. In Laudibus et Missa S. Agapiti P. C., die 20 Septembris, si facienda quoque sit commemoratio Vigilia S. Matthaei Apostoli, quum pro S. Pontifice et pro Vigilia eadem habeatur Oratio, quaenam ex duabus mutanda?

Dub. VII. Quando Feria V. fit Officium Votivum de Ssm̃o Sacramento, et Feria VI. agendum est de Sacra Spinea Corona, vel de Sacratissima Sindone D. N. I. C., quum in primis Vesperis commemoratio Ssm̃i Sacramenti sit omittenda, dicine debet doxologia eiusdem Sacramenti propria in hymnis eiusdem metri, sive ad secundas Vesperas, sive ad Completorium?

Dub. VIII. Quando in Vigilia Pentecostes occurrit Officium Sancti ad instar simplicis redigendum, legine debet eius nona lectio si sit historica ad Matutinum, uti ante reformationem Rubricarum faciendum erat?

Dub. IX. Quandoque in diem 20 Decembris incidunt simul Vigilia S. Thomae Apostoli et Feria IV. Temporum, cuius Evangelium legi quidem deberet in Missa, sed non potest, quia idem est ac Evangelium festi quod recolitur. Hinc quaeritur: An legi tunc debeat in fine Missae Evangelium Vigiliae, an potius S. Ioannis?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa,

ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative ad primum: Negative ad secundum.*

Ad III. *Hymnus Vesperarum coniungendus est cum altero ad Matutinum, quoties eodem metro uterque gaudet, et secundus est continuatio primi: quod si ordo historicus aliud requirat, servetur Decretum* Lincien. *3 Iun. 1892 ad XVII.*

Ad IV. *Negative.*

Ad V. *Affirmative.*

Ad VI. *In casu, aliisque similibus Missa* Statuit. *pro S. Pontifice et Confessore mutetur in aliam* Sacerdotes.

Ad VII. *Affirmative.*

Ad VIII. *Affirmative.*

Ad IX. *Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam.* Atque ita rescripsit, et servari mandavit, die 5 Februarii 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

ALOSIUS TRIPEPI
S. R. C. Secret.

Loco ✠ Sigilli

ADNOTATIONES

IN

DECRETUM *ROMANA*

1. Primi resolutio Dubii quaestionem hucusque agitatam resolvit, eodemque sensu quo eam Ephemerides resolverunt ab anno 1887 *(V. pag. 736, Dub. I).* Consequenter thesis discutibilis in veritatem conversa est, atque ita Decretum Urbis et Orbis *Per Apostoticas Litteras*, d. d. 5 Iul. 1883, intelligendum est, ut in feria, qua iuxta Rubricas reponi potest et debet officium cuiuscumque Dominicae anticipandae, recitari non possit officium quodcumque votivum ad libitum.

2. Decretum in secundo Dubio citatum agit de thurificatione permissa, sed non ex praecepto, quando solus officium faciens paratus est pluviali; hinc dubium utrum thurificatio vi legis Caeremonialis Episcoporum censenda sit in casu praeceptiva, necne. Itaque, praesenti resolutione quaestio definita est, ac verba legis ita intelligenda, ut faciens officium, sive cum Ministris, sive solus sit paratus pluviali, thurificationes omittere nequeat.

3. Vi huius tertiae solutione quaestionis, cum alterius *Lincien.* collatae, S. R. C. suam videtur fecisse Cavalerii sententiam : ex qua hymni historici eiusdemque metri, nunc coniungendi, nunc separatim dicendi sunt, secundum quod ordo historicus exigit. Ad rem legatur et Carpo, seu in suo Calendario Perpetuo. (*Adnot. ad d. 2 Mart. item 13 Apr. n. 1, et 20 Oct.*), seu in Biblioth. Liturg. *(Pars 4, de An. civil.)* in festo S. Martinae, pag. 471, in festo S. Hermenegildi, pag. 493, et in festo S. Ioannis Cantii, pag. 562: cuius doctrina eadem est ac Cavalerii, quam explicat; eamque ad alia festa hymnos proprios habentia applicent calendariorum redactores, quando

applicari potest et debet, uti ex. gr. ad festum S. Catharinae Fliscae Adurnae (22 Mart.), S. Emidii (9 Aug.) Ss. Fundatorum *(11 Febr. vel alia die)*, sicut de aliis antiquioribus festis speciales Breviarii Rubricae edicunt.

4. Obiectum quarti Dubii est praeceptum commemorandi feriam VI post octavam Ascensionis in secundis Vesperis festi dup. 2 cl., quod in eamdem feriam incidit. Rationem optimam adducit De Herdt, qui, postquam dixit, nullam de hac feria VI commemorationem faciendam occurrente duplici 1. classis, prosequitur dicens: « Si autem sit 2. classis, nihil pariter de eadem (feria) fit in Laudibus et Missis, eiusdem tamen commemoratio fit in secundis Vesperis, quia in Sabbato de eodem fit officium, sicut de die infra octavam, ad cuius normam officium huius feriae sextae celebratur: non fit commemoratio in festis 1. et 2. classis, nisi in Vesperis festi 2. classis, si officium die sequenti de octava sit faciendum (*Pars 5, n. 78*) ». Citatque pro opinione sua Rubricam Gen. Breviarii Tit IX, n. 6: Guyetum lib. 4, cap. 3, quaest. 3, et Cavalerium Tom. II, Decr. 162, n. 19. Inferes, cum opinio isthaec, post hanc resolutionem conversa in veritatem sit, errare A. Carpo docentem, commemorationem huiusce feriae agendam esse, aliquo occurrente festo, de quo agitur: « nisi festum illud sit duplex primae aut secundae classis, tum quippe de feria nihil prorsus foret agendum *(Calend. Perp. adnotand. infr. octav. Ascens. n. 7)* ». Idem dicas de Biblioth. Liturg. in parte tertia de anno ecclesiastico, n. 192, in qua eadem doctrinam tradit, ut teneri illa non possit amplius, quod duplex 2. classis attinet.

5. Super quinta et sexta solutione nihil animadvertimus; primae enim ratio solutionis abunde patet, alterum responsum nonnisi rationem habet indulti in Celebrantium commodum.

6. Super septima solutione arguere quis ex ea posset sapientiae defectum; quomodo namque doxologia praescribitur Sa-

cramenti propria in primis Vesperis Festi S. Sindonis, quando dici possit, si de praecedenti etiam commemoratio omissa fuit? Nonne hoc aliis Decretis opponitur? Sed antequam iudices animadverte, commemorationem praecedentis non fuisse omissam ratione ritus, haec enim illam exigebat, sed tantum ratione identitatis obiecti. Eapropter, quod attinet doxologiam perinde est ac si omissa non fuisset. Sapiens ergo responsio est, et difficultas obiecta nullius ponderis.

7. Responsio ad dubium VIII definit, legendam esse IX lectionem Simplicis occurrentis in Vigilia Pentecostes, si sit historica. Lectores nostri nescire nequeunt exortum quasi dicam bellum, post notam 2 in numero secundo Ephemeridum anni 1891 vulgatam. Res aliquid historiae postulat, quod praetermittere nequimus. Quid super quaestione huiusmodi senserint Ephemerides, satis perspicue elucet ex responsione ad Dubium 2, usque ab anno 1887 vulgata *(Vid. pag. 738)*. Orta iterum anno 1891 nihilominus controversia, eius optimis argumentis munitam solutionem, quam aequam toto iure appellavimus, dederunt cl. Coadiutores nostri Angelus Forneret, et Nivardus Bossi. Solutio autem fuit, hanc IX lectionem esse omnino dicendam, et mense primo praefati anni illam in lucem dedimus. Paucis a numero vulgato diebus, vir quidam se nobis obtulit, dicens datam solutionem super IX lectione simplicis legenda in vigilia Pentecostes, esse falsam et contra emendatam Rubricam. Ei non acquievimus, et de eadem solutione securi respondimus, aequam nos illam iudicare: si quid haberet in oppositum, allata momenta impugnaret. Aliquot post diebus alius se obtulit Nuncius eamdem solutionem de errore redarguens, cui simile responsum dedimus. Sed en tertius nuntius, qui se dicebat a S. R. C. missum, ut eamdem nobis notitiam afferret, solutionem nempe de IX lectione utpote falsam esse corrigendam, et hanc fuisse Sacro Tribunali intentionem in mutanda Rubrica, ut IX lectio Simplicis omitteretur. Quadam necessitate tunc compulsi,

nulla licet scientiae ratione moti, caput inclinavimus nuntio, ei pollicentes, solutionem nos in sequenti numero mutaturos: en ratio illius notae 2, quam vulgavimus. Tunc autem temporis sub praelo erat Calendarium perpetuum, hinc Dubium de IX lect. S. R. C. proposuimus: quae dubium remisit ad Commissionem Liturgicam, a qua consilium quaesivimus, an servanda esset, an expungenda potius IX lectio Simplicis in casu; et expunctioni favit consilium, ut sine illa Calendarium vulgatum fuerit. Post haec S. R. C. maturius examinato negotio, censuit dictam lectionem non esse omittendam, cum cetero Rubrica etsi mutata admittere hunc sensum possit. En huiusce quaestionis historia, ex qua unusquisque Ephemeridibus hac in re aequam indulgendi causam facile noverit. Quidquid sit, haec impraesenti veritas est, IX lectionem occurrentis Simplicis in vigilia Pentecostes non esse omittendam; et quamprimum fieri possit, nonnullas mittemus ad Consociatos, qui Calendarium nostrum Perpetuum sibi compararunt, Notas, hanc cum aliis ex novo iure liturgico ortis emendationibus habentes.

8. Sapiens ultimi Dubii solutio facile patet; namque ideo Evangelium ultimum vigiliae in casu non esset legendum, quia extat Evangelium feriae Quatuor Temporum, quae est dignior: secus illud legendum foret in Missa. Atqui evenit per accidens, ut Evangelium dignius legi nequeat, quod idem est ac Evangelium Missae; ergo patet ius Evangelii vigiliae reviviscere, quod proinde in Missa citra controversiam recitabitur.

II.

BRUGEN.

R̃mus D̃nus Petrus de Brabandere Episcopus Brugen. liturgicis praescriptionibus sese per omnia conformare cupiens, sequens Dubium pro opportuna declaratione Sacrorum Rituum Congregationi humillime subiecit, nimirum:

Ex Litteris Apostolicis S. M. Gregorii Papae XVI datis sub die 27 Maii 1834, Ecclesia Cathedralis Brugen « sub invocatione SS̃mi Salvatoris et S. Donatiani Episc. Conf. nuncupatur » cuius in ara principe habetur tabula referens Christum e sepulcro resurgentem, itemque simile simulacrum ipsi altari imminens. Unde sunt qui autumant Titularem eiusdem Ecclesiae esse Resurrectionem, non vero Transfigurationem D. N. I. C. uti statuitur ex Decretis pro Ecclesiis, quae Titulo gaudent SS̃mi Salvatoris.

Quaeritur igitur, an in casu Resurrectio D. N. I. C. sit habenda ceu Titularis dictae Ecclesiae, eiusque commemoratio facienda in suffragiis, et quibusnam Antiphonis ac Versiculis? An vero Capitulum et Clerus, uti nusquam actum est praeteritis saeculis, ita posthac negligere valeant eiusmodi Titulum; quamvis festum S. Donatiani, tamquam patroni aeque principalis quotannis ritu duplici primae classis cum octava soleant recolere?

Sacra vero Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribendum

censuit, videlicet: «Festum Titulare Ecclesiae Cathedralis Brugensis est festum Transfigurationis D. N. I. C., ideoque commemoratio praeponenda suffragiis Sanctorum sumenda est ex Antiphonis et Versiculis ad *Benedictus* in Laudibus et ad *Magnificat* in secundis Vesperis cum Oratione propria illius festivitatis: retento aeque Titulari S. Donatiano Episcopo Confessore. Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit. Die 15 Martii 1895».

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. Aloisius Tripepi *Secret.*

III.

CADURCEN.

R. D. Paulus Devèze, Vicarius in spiritualibus Generalis Rm̃i Episcopi Cadurcensis, in Galliis exposuit quae sequuntur:

In Kalendario Cadurcensi a S. Rituum Congregatione adprobato die 29 aprilis 1894, Festum *S. Genulphi* Confessoris, primi Cadurcensis Episcopi, sub ritu Duplicis primae classis cum octava, affixum fuit diei 17 Ianuarii; et festum S. Antonii Abbatis translatum fuit in diem 19 eiusdem mensis, tamquam in sedem propriam. Item festum SS. Martyrum Crispini et Crispiniani assignatum fuit, sub ritu semiduplici, diei 27 Octobris; quoniam die 25 eiusdem mensis celebratur, sub ritu duplici, Festum *S. Capuani*, Episcopi Cadurcensis, Confessoris. — At exinde oriuntur dubia pro ecclesiis, quarum Beati illi sunt Patroni aut Titulares:

ideo Sacerdos Orator rogat Sacram Rituum Congregationem pro solutione insequentium dubiorum:

I. Ecclesiae, quarum S. Antonius Abbas, in dioecesi Cadurcensi, est Patronus vel Titularis, debentne illius Festum celebrare, sub ritu duplici primae classis cum octava, incipiendo a die 19 Ianuarii in Kalendario ut supra adprobato; vel incipiendo a die 17 Ianuarii, die dormitionis S. Antonii, Festo S. Genulphi cum sua octava ad diem aliam translato?

II. Ecclesiae eiusdem Dioeceseos, quarum SS. Martyres Crispinus et Crispinianus sunt Patroni vel Titulares, tenenturne illorum Festum celebrare sub ritu duplici primae classis cum octava, incipiendo a die 27 Octobris in Kalendario ut supra adprobato, vel incipiendo a die 25 eiusdem m. in qua inscripti sunt in Martyrologio Romano?

Sacra autem Rituum Congregatio, exquisita prius in scriptis sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, referente infrascripto Secretario, et omnibus mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad 1$^{\text{um}}$: Festum S. Antonii Abbatis in Dioecesi Cadurcensi fiat die decimanona Ianuarii tanquam assignata, etiam in Ecclesiis ubi S. Abbas est Patronus aut Titularis.

Ad 2$^{\text{um}}$: In Ecclesiis eiusdem Dioecesis, quarum Patroni aut Titulares sunt SS. Crispinus et Crispinianus, eorum festum celebretur die propria.

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 23 Martii 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. Aloisius Tripepi, *Secret.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

V.

Vehemens nuper suborta est quaestio duos inter viros Rubricarum Breviarii Romani apprime peritos, circa ℣. *Qui venturus es*, vel potius *Qui natus es*, dicendum ad Primam in Dominica Adventus, occurrente infra octavam Deiparae Conceptionis Immaculatae. At factum est, ut post controversiam pluries discussam, cum uterque ex disceptantibus de more contendisset aequam propriam esse sententiam, unusquisque in sua sentiendi ratione permanserit. Hinc nonnulla Calendaria inscripserunt praefato die ℣. *Qui natus es*, nonnulla vero *Qui venturus es*. Ratio quaestionis praecipua desumitur ex quadam incohaerentia, quae apparet; dum enim Officium de Adventu recitatur, cuius obiectum est Christus venturus, nihilominus ex Rubrica tam generali *(Tit. 28, n. 3)* quam particulari *(In fest. Imm. Concept.)*, omnino *Qui natus est* dicendum videtur. Itaque opportunum iudicatum est quaestionem huic Academiae Liturgicae iterum discutiendam submittere. Quaeritur:

1. *Quaenam leges generales, iuxta Rubricas Breviarii Romani, horum versuum recitationem et mutationem dirigant?*

2. *Quid pro casu particulari doceant communiter auctores, Rubricam generalem et specialem exponentes?*

3. *Utrum in casu* ℣. Qui venturus es *censendus sit proprius de die, an proprius de tempore?*

4. *Quid, seu vi Rubricarum, seu ex omnibus expositis concludi possit?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Georgii Mundulein, in Pont. Collegio Urb. de Propaganda Fide alumni, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 14 Februarii 1894: acta Epitoma a Rmo Dom. Chalcedonio Mancini Academiae Moderatore.

I. Quaeritur primo de regulis generalibus, quae vi Rubricarum Versuum recitationem mutationemque dirigunt.

Notum ponimus, quaedam in officio haberi Responsoria, quae brevia dicuntur, locumque habent, iuxta Rubricam, post Capitulum ad Horas minores: Primam, Tertiam, Sextam et Nonam, uti etiam ad Completorium *(Tit. XXVIII, n. 1)*. Brevia nuncupantur, ut ab aliis discriminentur, quae post lectiones recitari solent iuxta aliam Rubricam *(Tit. XXVII, n. 1)*: haec autem prolixiora illis sunt. Hinc Macrius illa dicit *brevia,* uti a nostris Rubricis appellantur, ista vero Responsoria *longa (Ad voc.* Responsorium). Nomen *Responsorium* significat recitationem alternam, vel alternum cantum: quod alter primum illius versum dicant, alter vel alteri alio versu respondeant. De iis prae aliis Isidorus loquitur *(Lib. 1 de eccl. offic. cap. 8)*, antiquioris sunt instituti, et ab Italis inventa Macrius dicit *(Loc. cit.)*.

His praelibatis, quaesito proposito faciamus satis, quod peculiariter respicit primum versum Responsorii ad Horam primam dicendum, ac generales normas, quibus eiusmodi versus dirigendus est. Itaque hic versus est multiplex: unus tantum ex iis generalis est, alii plus minusve particulares. Generalis est « Qui sedes ad dexteram Patris », et toto anni decursu legitur, quoties alius particularis non sit ex Rubricis illi sufficiendus. Particulares vero sunt plures, variis temporum festorum adiunctis destinati. 1. Est primus, quem Rubrica ponit: « Qui venturus es in mundum », et dicitur toto tempore Adventus, nisi festa occurrentia alium magis particularem exigant. 2. Est alter: « Qui natus es de Maria Virgine », qui dicendus est a Nativitate Domini ad Epiphaniam, festisque eo tempore occurrentibus, nec non per totam octavam Corporis Christi, et in omnibus generaliter festis Deiparae, eorumque octavas. 3. Tertius vero est: « Qui apparuisti hodie », et dicendus in festo et per octavam Epiphaniae, atque in Transfiguratione Domini. 4. Quartum dicitur a Dominica in Albis usque ad Ascensionem, et est: « Qui surrexisti a mortuis ». 5. Quintum, nempe « Qui scandis super sidera », dicitur ab Ascensione usque ad festum Pentecostes exclusive. 6. Ultimo loco alios plures versus peculiares ponimus, quos speciales Rubricae Breviarii dicendos praescribunt in particularibus casibus, uti in Festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. in Festis Sacratissimi Cordis Iesu, et Septem Dolorum B. M. Virginis, quos ipsamet Generalis Rubrica innuit *(Loc. cit.)*. Cum vero accidere facile possit, ut decursu temporis, quo versus aliquis ex praescriptis

recitari debeat, festum aliquod occurrat, vel aliqua octava, tunc sequens servanda generalis regula: Versus proprior alteri minus proprio praeferendus est, et ille prae isto recitandus, uti liquido ex .Rubricis profluit. Consequenter versus ad festum pertinens quod recolitur, si proprius habeatur, inter ceteros primas tenet: qui vero ad octavam aliquam pertinet, cum proprior sit, quam alius de tempore, isti praeferendus erit: particularibus inde non extantibus, versus de tempore recitabitur: denique, etiam speciali versu de tempore non extante, qui communis et generalis est, seu « Qui sedes ad dexteram Patris » dicendum remanet. Hae, quas Rubricae exhibent, generales regulae, de quibus quaesitum est, et quarum vix prima aliquam exceptionem patitur.

II. Generalibus normis traditis, ad alteram transeamus petitionem, quae proximius quaestionem propositam respicit: quid nempe pro casu particulari doceant communiter periti, qui Rubricas seu generalem seu specialem explanant.

Casus particularis hic est: In Dominica infra octavam Conceptionis Deiparae faciendum est officium de Adventu, quinam dicendus versus ad Primam? An « Qui natus etc. » an « Qui venturus etc. »? Auctores hoc sibi proponentes dubium, generaliter conveniunt, versum proprium de B. M. V. dicendum esse ratione octavae, in quam Dominica Adventus incidit: nonnullos citemus.

Sit primus Cavalerius, qui ex professo quaestionem agens de praefatione dicenda in festis infra octavas occurrentibus, casum quoque nostrum, licet per accidens, tangit, et docet: « Exem-

plum habemus in terminatione hymnorum, et in versu brevi ad Primam, cuiusmodi sunt pro tempore paschali terminatio per *Deo Patri sit gloria,* et ad Primam versus *Qui surrexisti a mortuis.* Hi enim non minus proprii sunt suo respectivo tempori, quam sint communes feriis, Dominicis et festis omnibus, quae tali tempore celebrantur. Et tamen in officio Dominicae infra octavam, quae aliam propriam terminationem vel brevem versum habet occurrentis, non terminatio, aut brevis versus temporis dicitur, sed terminatio et versus octavae. Unde Rubrica in Dominica prima Adventus posita, assignato versu *Qui venturus es in mundum*, ad rem nostram subdit: *Sic dicitur quotidie, usque ad Nativitatem Domini*, etiam in officiis de Sanctis, praeterquam in die Conceptionis B. M. in festis et Dominicis infra octavam occurrentibus (*Tom. V, Cap. XIV, Decr. III, n. XV*)». Alter sit Gavantus, qui pariter dicit: « Ad Primam fit variatio versus pro varietate festorum, ut in Rubrica de Responsoriis n. 3). Concurrentibus autem duobus versibus propriis, altero ratione temporis, altero ratione festi, ut in Conceptione B. V. intra Adventum, praeferri debet ratio festi et eius octavae, sicut in fine hymnorum fit: quare in Dominica infra octavam dicemus: *Qui natus es de Maria Virgine* ad Primam, non autem: *Qui venturus es in mundum* (*Tom. II, Sect. V, cap. 13*)». Sit tertius De Herdt, qui Rubricas Generales exponens, ita de casu nostro se exprimit: « Concurrentibus in Prima duobus versibus propriis, uno ratione temporis, et altero ratione festi aut octavae, praefertur 1° ratio festi, si hoc proprium habet: 2° ratio octavae, et ita in festo Imm. Con-

ceptionis B. M. V., per eius octavam, et etiam in Dominica infra octavam dicitur *Qui natus es*, non autem, *Qui venturus es* (*Pars 4*, *n. 354*) ». Praefatis cohaerent Bouvry, A Carpo, Maugère, aliique communiter: adeo ut videatur certo concludendum, auctores docere, incidente Dominica Adventus infra octavam Imm. Conceptionis Deiparae, versum ad Primam esse dicendum *Qui natus*, non vero *Qui venturus*.

III. Tertio loco quaeritur, utrum in casu versus, *Qui venturus*, sit proprius de die an de tempore?

Uti patet, vis petitionis, proinde et exhibendi responsi, in particula *in casu* esse sitam. Satis namque compertum est, versum illum de tempore esse, qui pro aliquo tempore a Rubrica dicendus statuitur. Porro Adventus tempus liturgice acceptum constituit: quod cum ex Rubricis et ex ipso Breviario luce meridiana clarescat, probatione non indiget. Versus autem *Qui venturus* hoc tempore praecipitur; ergo nulla potest super hoc controversia institui, et versus *Qui venturus es* ad tempus pertinet, seu de tempore est. Sed casus noster perpendendus peculiariter est, in quo officium celebratur de Dominica Adventus, pro quo versus proprius habetur: haec ratio, ob quam petitur, an de tempore sit, an de die, quo videlicet fit officium Adventus. Aliquid, uti ex. gr. Missa, Officium etc. ac etiam Responsorium, de die esse dicitur, quando ad talem diem pertinet. Ita si in feria aliqua temporis Quadragesimae, occurrat festum duplex, de eo fit officium; nihilominus ultimum Evangelium, quod de Quadragesima esse debet, de die dicitur, pertinet enim non solum

ad tempus Quadragesimae, sed peculiariter ad illum diem quadragesimalem: ut de die communiter appelletur, quamvis de eodem officium integrum non fiat. Ita a fortiori, quando de aliquo die Adventus fit officium, speciales eius partes quae ad illud pertinent, propriae omnino sunt, non solum temporis, sed etiam peculiariter diei, in quo dictum officium recolitur. Ex. gr. si fiat officium Dominicae primae Adventus, propriae illius diei sunt lectiones, propria responsoria iisdem respondentia, propria est Homilia, propriae antiphonae ad Laudes etc. Nonne itaque idem quoque concludendum de versu ad Primam? Nobis id dubitandi ratio non suppetit, quia huiusmodi versus ad tempus pertinet, seu proprius est temporis; cumque in Dominica, ut casus ponit, officium fiat de tempore, nempe de ipsa Dominica, singulae officii speciales partes, ipsius Dominicae sunt propriae. Consequenter etiam Dominicae, seu diei dominicae, proprius est versus de quo agimus. Praeterea ille versus dicitur festi proprius, qui cum eodem festo relationem habet. Sic versus « Qui scandis super sidera » proprius festi Ascensionis est, quod Christum recolit ascendentem in caelum. Versus « Qui apparuisti hodie » proprius est Transfigurationis Domini, quod gloria circumdatus discipulis apparuit. Similiter alius versus « Qui vulneratus es pro nobis » proprius festi Quinque vulnerum dicitur, in quo Christum pro nobis quinque plagis vulneratum recolimus: atque ita de ceteris. Proprius autem nuncupatur ut a communi discriminetur, qui ad festum quod recolitur, nullam relationem dicit, uti « Qui sedes ad dexteram Patris ». Porro in versu « Qui venturus es in

mundum » maxima reperitur relatio cum officio de tempore Adventus, in quo Christum recolimus in terras venturum, seu illius memoriam agimus. Non ergo satis intelligitur ratio, ob quam versus iste, quando de Adventu officium agitur, non sit dicendus diei proprius. Non sit de octava, concedimus: non sit de festo, transeat: non sit de die, admitti nequit et oppositum veritas est, uti probavimus. Et notandum, nihil obstare, quominus versus « Qui venturus es » sit et de tempore simul et de die, alterum enim alteri non opponitur. Si die ex. gr. 17 Decembris festum agas S. Leonardi a Portu Mauritio, hunc versum dicere ad Primam debes ex Rubrica: erit ne proprius? Indubitanter, sed proprius de tempore, de quo non fit officium. At si officium agas de Dominica prima, secunda, tertia, vel quarta Adventus, eumdem a fortiori teneris versum dicere: erit ne proprius de tempore? Utique, et citra dubium; sed erit magis de die, quia de eo officium agitur, et omnem ad hoc relationem dicit. Hinc ad tertium propositum dubium reponendum videtur: Versum « Qui venturus es » censendum in casu de tempore et de die, de hoc tamen magis quam de illo.

IV. Denique inquiritur, quid, seu Rubricis seu expositis perpensis, concludi possit.

Rubricas Generales vidimus, quas, si cum auctorum sentiendi ratione conferamus, et cum iis, quae in tertia responsione disseruimus, certam atque omnino tenendam in casu sententiam non exhibere arbitramur. Omnia hucusque exposita breviter resumamus. Rubrica Generalis habet: « In Responsorio brevi ad Primam, loco versus *Qui sedes etc.* in Adventu dicitur *Qui venturus es in*

mundum, tam in Dominicis et feriis, quam in festis, excepto festo Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae **et per octavam** (*Tit. XXVIII, n. 3*)». Ex his argumentari licet, Dominicam aliquam, nisi dies octava sit, necessario infra seu per octavam Imm. Conceptionis occurrere debet. Atqui per hanc octavam excluditur versus *Qui venturus es* ex praefata Rubrica, et ex alia sequenti praescribitur *Qui natus es;* ergo in Dominica, quae infra octavam Conceptionis occurrit, non est dicendus versus *Qui venturus,* sed *Qui natus.* Huiusmodi ratiocinium maius acquirit robur a speciali Rubrica dicente: « In Responsorio ad Primam dicitur versus *Qui natus es de Maria Virgine*, **etiam per totam octavam** (*Rubr. spec. 8 Dec. ad Primam*)». In tota autem octava etiam Dominicam aliquam non comprehendi impossibile est. Arroges nexum inter Responsorium breve et Doxologiam: adeo ut versus *Qui venturus* coniungi nullo pacto in eodem officio possit aut debeat cum Doxologia *Iesu tibi sit Gloria — Qui natus etc.*, haec autem in Responsorio brevi exigit *Qui natus es de Maria Virgine.* Atqui Rubrica alia speciali clarius docet: Dicitur *Iesu tibi sit gloria — Qui natus es de Virgine* etiam in festis et **Dominica infra octavam occurrentibus** (*Ante matut. festi*); ergo in Dominica infra octavam Imm. Conceptionis dicendus est versus *Qui natus,* haud vero *Qui venturus.* Confirmatur ex Decreto in Einsidlen. d. d. 5 Maii 1736 ad 12, quod praescribit in Dominica incidente infra octavam Imm. Conceptionis doxologiam Deiparae esse dicendam.

Quamdam nihilominus in exposita umbram ingerunt sequentia. 1. Rubrica seu Generalis nomi-

nans *octavam,* seu specialis nominans ***totam octavam,*** cum explicite non loquatur de Dominica, neque eam videtur in lege de versu ***Qui natus*** comprehendere; quia non praesumitur, voluisse Rubricam hunc versum in officio de Adventu praescribere, cuius obiectum est Christus venturus. Recto autem sensui repugnare quodammodo videtur, ut dum de eo qui venturus est officium agitur, versus de eodem dicatur, qui iam de Maria Virgine natus ponitur. 2. Si Doxologia Deiparae propria et versus *Qui venturus* simul stare in eodem officio nequeant, qua ratione consistere simul poterunt totum officium de Christo qui venturus est, et doxologia *Iesu tibi sit gloria — Qui natus es etc.?* Si pars officii minima alii officii parti repugnat, nonne magis repugnare videtur si cum toto officio eadem pars minima comparetur? 3. Quod attinet Decretum Einsidlen. responderi posset, non esse nimis super eo insistendum, cum omnia authenticae Collectionis Decreta, novum S. R. Congregationis examen impraesenti subeant.

Deveniamus ad auctoritatem doctorum liturgicorum, quos fere universos vidimus sustinentes, versum *Qui natus,* non autem *Qui venturus,* esse in Dominica dicendum, quae infra octavam occurrit Deiparae Immaculatae. Ne unus quidem, liceat addere, saltem aperte, oppositae sententiae favet; iisque apprime universa particularia calendaria respondent, nec non tabulae fere omnes calendarii universalis, sive a Gavanto redactae, sive a Buchauer. Contra quae nihilominus videtur facere: *a*) auctoritatem Cavalerii aliquatenus infirmari, eo quod Rubrica cui innititur, praesenti non respondet; est enim illa, quam commentatur

auctor: « Et sic dicitur per totam octavam, etiam in festis et **Dominica infra octavam**: » haec vero tantum dicit: « Dicitur... etiam per totam octavam ». Huiusmodi autem dicendi modus, maxime si mutata Rubrica fuit, significare videtur, ex intentione legislatoris Dominicam infra octavam fuisse a lege generali exclusam. *b*) Quod attinet ad Gavanti auctoritatem, vix explicari potest quomodo locutus sit de octava Conceptionis, quae incepit sub fine saeculi decimiseptimi, dum ille quinquaginta circiter annis antea defunctus fuit. *c*) Circa calendaria particularia, atque universalis tabulas, animadverti potest, aliqua in tali Dominica versum quidem *Qui natus* notare, sed aliqua etiam eodem super versu penitus silere.

Probatum denique fuit, versum *Qui venturus es* esse proprium diei, seu Dominicae, in qua recitatum officium de Adventu. Sed haec quoque ratio omni prorsus firmitate non pollet, quia versus proprius ille dicitur, qui ita alicui festo convenit, ut extra illud non conveniat, neque dici debeat. Porro versus *Qui venturus es* dicendus ex Rubrica omni tempore Adventus, sive de Adventu officium fiat, sive de aliis festis: ut vere proprius talis diei, eo saltem sensu, quo proprii alii versus similes dicuntur, nequaquam videatur.

Quid ergo concludendum? Rubricis inspectis, probe perpensis atque inter se diligenter collatis, simulque cum scriptorum rerum liturgicarum auctoritate comparatis, sententia defendens, versum *Qui natus es* in dicta Dominica dicendum, magis stare videtur, quam alia sustinens recitandum esse *Qui venturus es.* Quod ex universali quoque praxi, quantum scimus, optime confirmatur. Nihilo

tamen minus, inficiari non posse arbitramur, obscuritatem quamdam in dictam sententiam proiicere quae in oppositum afferuntur. Reapse versus *Qui natus es de Maria Virgine* mysterio, quod totum officii obiectum constituit, Christum nempe venturum, non videtur quadrare. Speciosa quidem atque ingeniosa est ratio, qua eiusmodi explicatur versus, videlicet, tam in *Qui venturus*, quam in *Qui natus*, essentiale non adesse discrimen, quatenus in illo invocamus Christum Salvatorem, in isto Christum Mariae filium, et filius Mariae est Salvator, qui expectatur. Speciosam dicimus et ingeniosam, sed censemus non facientem satis; qui enim natus est Christus, amplius non est venturus, et qui venturus est, nondum natus concipitur. Porro ideo saepe in Liturgia Responsorium breve mutatur, ut officio quod recitatur magis congruat: in casu autem *Qui natus*, non magis, uti patet, sed multo minus congruit, imo satis ab officio discordat. S. R. C. expetita de versu in Festo Expectationis Partus dicendo, respondit, esse debere: *Qui venturus es in mundum;* et quare, nisi quia hic versus magis officio naturae congruit, quam *Qui natus es*, qui imo ab illo discordaret? Quomodo in casu dicendum foret *Qui natus*, et non potius *Qui venturus*, naturae officio perfecte cohaerens? Quae quidem eiusmodi videntur esse ponderis, ut Rubricae hoc sensu benigne interpretandae potius sint, quam secundum litteram accipiendae.

Quidquid nihilominus sit, a communi praxi non esse recedendum ducimus, et versum *Qui natus es*, non vero *Qui venturus* recitandum, nisi aliter S. R. Congñi placuerit.

SPECIMEN KALENDARII
UNIVERSALIS ECCLESIAE

PRO ANNO BISSEXTILI 1896.

in quo PASCHA contingit die 5 Aprilis.

Tabella Temporaria

Litera Dominicalis . . . . . . e d.
Aureus Numerus . . . . 16.
Epacta . . . . XV.
Litera Martyrologii . . . . . . q.
Indictio Romana . . . . IX.
Dominicae post Epiphaniam N. 3.
Dominicae post Pentecosten N. 26.

Festa Mobilia

Septuagesima . . . . 2 Febr.
Dies Cinerum . . . . 19 Febr.
Pascha Resurrectionis . . . 5 April.
Rogationes . . . . 11, 12, 13 Maii.
Ascensio Domini . . . . . 14 Maii.
Pentecostes . . . . 24 Maii.
Corpus Christi . . . . 4 Iunii.
Dominica 1. Adventus . 29 Novem.

Quatuor Anni Tempora

In vere . . . . . . 26, 28, 29 Febr.
In aestate . . . . 27, 29, 30 Maii.
In autumno . . 16, 18, 19 Sept.
In hyeme . . . . 16, 18, 19 Decem.

NUPTIAE CELEBRARI POSSUNT

A die 7 Ianuarii usque ad diem 18 Februarii inclusive et a die 13 Aprilis usque ad diem 28 Novembris pariter inclusive.

IANUARIUS.

✠ 1. F. 4. CIRCUMC. DNI *d. 2. cl.*
2. F. 5. Oct. Stephani *d.* c. octavar.
3. F. 6. Oct. Ioannis *d.* c. oct.
4. S. Oct. Innoc. *d.*
✠ 5. D. (*vacat*) Vigil. Epiph. *sem.* c. Telesphori.
✠ 6. F. 2. **Epiphaniae Dni** *d. 1. cl. cum oct. priv.*

CRAS MANE APERIUNTUR NUPTIAE.

7. F. 3. De 2. die infra oct. *sem.*
8. F. 4. De 3. die infra oct. *sem.*
9. F. 5. De 4. die infra oct. *sem.*
10. F. 6. De 5. die infra oct. *sem.*
11. S. De 6. die infra oct. *sem.* c. Hygini.
✠ 12. D. infra oct. 1. p. Epiph. *sem.* c. oct. — *Inc. Ep. 1. ad Corinth.*
13. F. 2. Oct. Epiph. *d.*
14. F. 3. Hilarii *d.* c. Felicis.
15. F. 4. Pauli I. Er. *d.* c. Mauri
16. F. 5. Marcelli I. *sem.* « Resumuntur Suffragia ».
17. F. 6. Antonii *d.*
18. S. Cathedrae Rom. *d. m.* c. Pauli et Priscae.
✠ 19. D. 2. p. Epiph. NOMINIS IESU *d. 2. cl.* c. Dom. (ac Marii et Soc. in Laud. et Miss. priv.) *nihil de Canuto.*
20. F. 2. Fabiani et Sebastiani *d.* — *Inc. Ep. II. ad Corinth.* ex Dom. praec.
21. F. 3. Agnetis *d.*
22. F. 4. Vincentii et Anastasii *sem.* (Romae *d.*)

23. F. 5. Raymundi a Peñaf. *sem.* c. Emerentianae. — *In Stat. Eccl. et aliq. loc.* Desponsatio B. M. V. *d. m.* c. Ioseph et Emerentianae.

24. F. 6. Timothei *d.*

25. S. Conversio Pauli *d. m.* c. Petri.

✠ 26. D. 3. p. Epiph. Polycarpi *d.* c. Dom. — *Inc. Ep. ad Galatas.* — *Romae et aliq. loc.* S. Familiae *d. m.* c. Polycarpi et Dom.

27. F. 2. Io. Chrysostomi *d.* — (Romae et ubi heri peractum est Off. S. Famil. *Inc. Ep. ad Galatas*, ex Dom. praec.)

28. F. 3. De Dom. 4. p. Epiph. *simp.* (℟℟. ex 1. Noct. Dom. 2. p. Epiph.) c. Agnetis (1).

29. F. 4. Francisci Salesii *d.*

30. F. 5. Martinae *sem.* (Romae *d.*) — ll. 1. N. 1. *Inc. Ep. ad Philipp.*, 2. *Inc. Ep. ad Colossens.*, 3. *Inc. Ep. I. ad Thessalonic.* ex Dom. 4. p. Epiph. ac fer. 3. et 5. p. eamd. Dom.

31. F. 6. Petri Nolasco *d.*

FEBRUARIUS.

1. S. Ignatii *d.* — *Inc. Ep. II. ad Thessalonic.* ex Sabb. infr. hebd. 4. p. Epiph.

✠ 2. D. Septuagesimae *2. cl. sem.*

3. F. 2. Purificationis B. M. V. (*f. heri*) *d. 2. cl.* c. Blasii in Laud. et Miss. priv.

4. F. 3. Andreae Corsini *d.* — *aliq. loc.* Orationis Dñi *d. m.* c. Andreae Corsini.

5. F. 4. Agathae *d.*

6. F. 5. Titi *d.* (*In Stat. Eccl.* Hyacinthae Mariscott. *d.*) c. Dorotheae.

7. F. 6. Romualdi *d.*

8. S. Ioannis de Matha *d.*

✠ 9. D. Sexagesimae *2. cl. sem.* c. Apolloniae — *In Stat. Eccl.* c. Titi (*ass. ex 6 hui.*) et Apolloniae.

10. F. 2. Scholasticae *d.* — *aliq. loc.* Vesp. de Passion. D. N. J. C. com. praec. ac Sept. Fundat. (2).

11. F. 3. Sept. Fundatorum *d.* — *aliq. loc.* Comm. Passionis *d. m.* c. Sept. Fundat.

12. F. 4. Cyrilli Alexandrini *d.* (in Stat. Eccl. *ass. ex 9 hui.*

(1) Ex Decreto, quod praesenti in numero retulimus (*pag.*) cum officium Dominicae hac die anticipari debeat, votivum aut ad libitum recitare amplius non licet. Insuper hoc notandum, quod ubi hodie fit officium occurrens vel translatum novem lectionum. de Dominica 4. post Epiphaniam nulla fit commemoratio; siquidem ex Rubrica commemoratio isthaec facienda in sequenti Sabbato ante Dom. Septuagesimae: atque in casu lectiones Feriae 5. et Sabbati ordinabuntur ut in sequentibus. Videlicet: Fer 5. (*30 Ian.*) *Inc. Ep. ad Ephesios,* ex fer. 4. infr. hebd. 3. post Epiph., Sabb. autem (*1 Febr.*) *Inc. Ep. ad Philipp.*, ex Dom. 4. post Epiph. cum 9. l. de hom. ejusd. et com. in Laud. et Miss.

(2) Opportunum, pro hac tamen vice tantum, iudicavimus, posita motatione iuris circa ordinem commemorationnm in Vesperis, ipsum in praesenti Kalendario indicare.

— extra Stat. Eccl. in iis loc. tant. quib. concess. non est Off. Desponsat. B. M. V. *f. 9 hui.*) — *Extra Stat. Eccl. in loc. quib. concess. est Off. Desponsat.* Raymundi a Peñaf. *sem.* (*ass. ex 23 Ian.*)

13. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti. — *In Stat. Eccl.* Raymundi a Peñaf. *sem.* (*ass. ex 23 Ian.*). *Extra Stat. Eccl. in iis loc. tant. quib. concess. est Off. Desponsat.* Cyrilli Alexandrini *d.* (*f. 9 hui.*).

14. F. 6. Valentini *simp.* — *vel* Vot. Passionis, c. Valentini.

15. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — (*vel* Vot. Imm. Concept.) c. Faustini et Iovitae.

✠ 16. D. Quinquagesimae *2. cl. sem.*

17. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.

18. F. 3. Simeonis *simp.* — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) c. Simeonis.

Cras claudunt Nuptiae.

19. F. 4. Cinerum *simp.*

20. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti (per tot. Quadr. in Off. de Ss. dicitur 9. l. de hom. et fit com. feriae).

21. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Spineae Coronae *d. m.*

22. S. Cathedrae Antioch. *d. m.* c. Pauli.

Incipit pars verna breviarii.

✠ 23. D. 1. Quadrag. *1. cl. sem.*

24. F. 2. Vigil. Petri Damiani *d.* (*f. heri*) c. Vigil. in Miss. tant.

† 25. F. 3. Mathiae *d. 2. cl.*

26. F. 4. Quat. Temp. De ea — *vel* Vot. Ioseph. — *In Italia et aliq. loc.* Margaritae Corton. *sem.*

27. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti.

28. F. 6. Quat. Temp. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Lanceae et Clavor. *d. m.*

29. S. Quat. Temp. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept.

MARTIUS

✠ 1. D. 2. Quadrag. *2. cl. sem.*

2. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.

3. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).

4. F. 4. Casimiri *sem.* c. Lucii I.

5. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti.

6. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Sindonis Dñi *d. m.*

7. S. Thomae Aquinatis *d.* c. Perpetuae et Felicitatis.

✠ 8. D. 3. Quadrag. *2. cl. sem.* c. Ioannis de Deo.

9. F. 2. Franciscae Rom. *d.*

10. F. 3. Quadraginta Mm. *sem.*

11. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.

12. F. 5. Gregorii I. *d.*

13. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Quinque Vulner. Dñi *d. m.*

14. S. De eo — *vel* Vot. Imm. Concept.

✠ 15. D. 4. Quadrag. *2. cl. sem.*

16. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.

17. F. 3. Patritii *d.*

18. F. 4. Cyrilli Hierosol. *d.* — *aliq. loc.* Gabrielis Archang. *d. m.*

✠ 19. F. 5. **Ioseph** *d. 1. cl.*
20. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *aliq. loc.* Cyrilli Hierosol. *d.* (*ass. ex 18 hui.*) — *Ubi vero est concess.* Pretiosiss. Sanguinis Dñi *d. m.* c. fer. tant.
21. S. Benedicti *d. m.*
✠ 22. D. Passionis *1. cl. sem.* (c. Catharinae Fliscae Adurnae *in Italia tant.*) « Cessant Suffragia et Off. vot. »
23. F. 2. De ea — *aliq. loc.* Cyrilli Hierosol. *d.* (*f. 20 hui. ass. ex 18*).
24. F. 3. De ea.
✠ 25. F. 4. Annuntiationis B. M. V. *d. 2. cl.*
26. F. 5. De ea.
27. F. 6. Septem Dolorum B. M. V. *d. m.*
28. S. Ioannis a Capistrano *sem.*
✠ 29. D. Palmarum *1. cl. sem.*
30. F. 2. mai. hebd. De ea.
31. F. 3. mai. hebd. De ea.

APRILIS.

1. F. 4. mai. hebd. De ea.
2. F. 5. in Coena Domini *d. 1. cl.* (nihil de Francisco a Paula).
3. F. 6. in Parasceve *d. 1. cl.*
4. Sab. Sanctum *d. 1. cl.*
✠ 5. D. **Pascha Resurr.** *d. 1. cl. cum oct. privil.* (nihil de Vincentio Ferreri).
† 6. F. 2. De ea *d. 1. cl.*
† 7. F. 3. De ea *d. 1. cl.*
8. F. 4. De ea *sem.*
9. F. 5. De ea *sem.*
10. F. 6. De ea *sem.*
11. S. De eo *sem.*
✠ 12. D. in Albis *1. cl.* De ea *d.*

Cras mane aperiuntur Nuptiae.

13. F. 2. Hermenegildi *sem.* — *Inc. lib. Act. Ap.*
14. F. 3. Iustini *d.* c. Tiburtii et Soc.
15. F. 4. Ioannis Damasceni *d.* (*f. 27 Mart.*)
16. F. 5. Isidori *d.* (*f. 4 hui.*)
17. F. 6. Leonis I. *d.* (*f. 11 hui.*) c. Aniceti.
18. S. De B. M. V. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 19. D. 2. p. Pascha. De ea *sem.*
20. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
21. F. 3. Anselmi *d.*
22. F. 4. Soteris et Caii *sem.*
23. F. 5. Georgii *sem.*
24. F. 6. Fidelis a Sigm. *d.*
25. S. Marci *d. 2. cl.*
✠ 26. D. 3. p. Pascha. Patrocinii Ioseph *d. 2. cl.* c. Dom. (ac Cleti et Marcellini in iis locis in quib. non fit Off. B. M. V. de Bono Consilio). — *Pro utent. Off. vot.* In Vesp. c. Angel., Dom. ac Cleti et Marcellini — *aliq. loc.* In Vesp. c. seq. et Dom.
27. F. 2. De ea (℟℟. ex 1. Noct. Dom. praec.) — *vel* Vot. Angel. — *aliq. loc.* Cleti et Marcellini *sem.* (*ass. ex heri*) — *Inc. lib. Apocal.*
28. F. 3. Pauli a Cruce *d.* c. Vitalis.
29. F. 4. Petri *d.*
30. F. 5. Catharinae Sen. *d.* (Romae *d. 2. cl.*)

MAIUS.

† 1. F. 6. Philippi et Iacobi *d. 2. cl.*
2. S. Athanasii *d.*

✠ 3. D. 4. p. Pascha. INVENTIO CRUCIS *d. 2. cl.* c. Dom. (ac Alexandri I. et Soc. in Laud. et Miss. priv).
4. F. 2. Monicae *d.* — *Inc. Ep. Iacobi.*
5. F. 3. Pii V. *d.*
6. F. 4. Ioannis ante P. L. *d. m.*
7. F. 5. Stanislai *d.*
8. F. 6. Appar. Michaelis Arch. *d. m.*
9. S. Gregorii Nazianzeni *d.*
✠ 10. D. 5. p. Pascha. Antonini *d.* c. Dom. ac Gordiani et Epimachi. — *Inc. Ep. I. Petri.* — *Pro utent Off. vot.* In Vesp. c. Angel. et Dom.
11. F. 2. ROGAT. De ea (℟℟. ex 1. Noct. Dom. 4. post Pasch.) — *vel* Vot. Angel. c. fer. — *aliq. loc.* B. M. V. de Bono Consilio (*f. 26 April.*) *d. m.* c. fer.
12. F. 3. ROGAT. Nerei et Soc. *sem.* c. fer. in Miss. tant.
13. F. 4. ROGAT. Vigil. Ascens. De Vigil. (*aliq. loc.* ℟℟. ex 1. Noct. Dom. 4. post Pasch.) c. fer. in Miss. tant. — *vel* Vot. Ioseph, c. Vigil. (In Miss. 3. or. fer.)
✠ 14. F. 5. **Ascensio Dni** *d. 1. cl. cum oct.* (nihil de Bonifacio).
15. F. 6. De oct. *sem.* — *Inc. Ep. II. Petri* — Vesp. seq. (*respective*) c. oct. (1).
16. S. Ubaldi *sem.* c. oct. Vesp. seq. c. praec., Dom. et oct. — *aliq. loc.* Ioan. Nepomuceni *d.* c. oct.
✠ 17. D. infra oct. Paschalis Baylon *d.* c. Dom. et oct. — *Inc. Ep. I. Ioann.*
18. F. 2. Venantii *d.* c. oct.
19. F. 3. Petri Caelestini *d.* c. oct. ac Pudentianae.
20. F. 4. Bernardini Sen. *sem.* c. oct. ✠ *Inc. Ep. II. Ioann.* — *In Italia.* Vesp. de oct. Ascens. c. praec. ac Felicis a Cantalicio — *aliq. loc. extra Ital.* Vesp. de ead. oct. c. praec. ac Ubaldi.
21. F. 5. Oct. Ascens. *d.* c. Felicis a Cantalicio *in Ital. tant.* — *aliq. loc. extra Ital.* c. Ubaldi (*ass. ex 16 hui.*)
22. F. 6. De ea *sem.* — *alic. loc. in Ital.* Ubaldi *sem.* (*ass. ex 16 hui.*) c. fer. — *Inc. Ep. III. Ioannis.*
23. S. Vigil. Pent. De ea *sem.* — *Inc. Ep. Iudae* « Cessant Octavae »
✠ 24. D. **Pentecostes** *d. 1. cl. cum oct. privil.*
† 25. F. 2. DE EA *d. 1. cl.* (nihil de Gregorio VII. et de Urbano I.)
† 26 (Romae ✠) F. 3. DE EA *d. 1. cl.* (nihil de Philippo Neri *extra Rom. tant.* ac de Eleutherio).
27. F. 4. QUAT. TEMP. De ea *sem.* c. M. Magdal. de Pazzis et Ioannis I.
28. F. 5. De ea *sem.* c. Augustini Cantuar.
29. F. 6. QUAT. TEMP. De ea *sem.*
30. S. QUAT. TEMP. De ea *sem.* c. Felicis I. (*In Stat. Eccl.* c. Ferdinandi III. et Felicis I.)

---

(1) Vesperas ordinavimus uti melius visum nobis est, cum quid certe agendum lex perspicue non dicat: idem quoque teneas pro die 10 Dec. ubi non fiat de Translatione Almae Domus Lauretanae.

INCIPIT PARS AESTIVA BREVIARII.

✠ 31. D. TRINITATIS *d. 2. cl.* c. Angelae Merici, Dom. (ac Petronillae in Laud. et Miss. priv.) — *Pro utent. Off. vot.* In Vesp. c. Angelor., Angelae Merici, et Dom.

IUNIUS.

1. F. 2. De ea (℟℟. pr.) — *vel* Vot. Angel. — *Inc. lib. I. Reg.* « Resumuntur Suffragia. » — *Romae* Philippi Neri (*f. 26 Maii*) *d. 2. cl.* — *In Stat. Eccl.* B. M. V. Auxil. Christ. (*f. 24 Maii*) *d. m.*

2. F. 3. Marcellini et Soc. *simp.* — *vel* Vot. Apost. c. Marcellini et Soc. — *In Stat. Eccl. Inc. lib. I. Reg.*, ex fer. 2. praec. (*Romae* B. M. V. Auxil. Christ. *f. 24 Maii d. m.*) c. Marcellini et Soc.

3. F. 4. De ea. (*In Stat. Eccl.* ℟℟. ex fer. 2. praec.) — *vel* Vot. Ioseph. — (Romae *Inc. lib. I. Reg.* ex fer. 2. praec.)

✠ 4. F. 5. **Corporis Christi** *d. 1. cl. cum oct. priv.* (nihil de Francisco Caracciolo). — *aliq. loc. cum oct. priv. ut Epiph.*

5. F. 6. Bonifacii *d.* c. oct.

6. S. Norberti *d.* c. oct.

✠ 7. D. infra oct. De ea *sem.* c. oct.

8. F. 2. De oct. *sem.*

9. F. 3. De oct. *sem.* c. (*sine l.*) Primi et Feliciani.

10. F. 4. De oct. *sem.* c. (*sine l.*) Margaritae Regin. Scotor.

11. F. 5. Oct. Corporis Christi *d.*

12. F. 6. **Cordis Iesu** *d. 1. cl.* (nihil de Ioanne a S. Facundo ac de Basilide et Soc.)

13. S. Antonio a Padua *d.*

✠ 14. D. 3. p. Pent. Basilii *d.* c. Dom.

15. F. 2. Barnabae *d. m.* (*f. 11 hui.*) c. Viti et Soc.

16. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).

17. F. 4. De ea — *vel* Vot. Ioseph.

18. F. 5. Marci et Marcelliani *simp.* — *vel* Vot. Sacramenti, c. Marci et Marcelliani.

19. F. 6. Iulianae de Falcon. *d.* c. Gervasii et Protasii.

20. S. De B. M. V. in Sabb. (*vel* Vot. Imm. Concept.) c. Silverii. — *Pro utent Off. vot.* Vesp. seq. c. praec. et Dom.

✠ 21. D. 4. p. Pent. Aloisii *d.* c. Dom. — In Vesp. c. seq. et Dom. (sed *pro utent Off. vot.* c. Angel., Dom. ac Paulini).

22. F. 2. Paulini *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Paulini.

23. F. 3. Vigil. De ea *simp.* — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) c. Vigil.

✠ 24. F. 4. **Nativ. Ioannis Bapt.** *d. 1. cl. cum oct.*

25. F. 5. Gulielmi *d.* c. oct.

26. F. 6. Ioan. et Pauli *d.* c. oct.

27. S. Vigil. antic. De oct. *sem.* c. Vigil. Miss. Vigil. c. oct. — Vesp. a cap. Dom. c. oct. ac Leonis II.

✠ 28. D. 5. p. Pent. De ea *sem.* c. Leonis II. et oct. — *Inc. lib. II. Reg.*

✠ 29. F. 2. **Petri et Pauli** *d. 1. cl. cum oct.* — *aliq. loc.* c. omn. App.

30. F. 3. Comm. Pauli *d. m.* c. Petri et oct. Nativ. Ioann. Bapt.

IULIUS.

1. F. 4. Oct. Nativ. Ioann. Bapt. *d.* c. oct. App.
2. F. 5. VISITATIONIS B. M. V. *d. 2. cl.* c. (oct. App. *Romae tant.* ac) Processi et Martiniani in Laud. et Miss. priv.
3. F. 6. De oct *sem.*
4. S. De oct. *sem.*—*Romae.* Vesp. seq. c. oct., Cyrilli et Methodii ac Dom.

✠ 5. D. 6. p. Pent. PRETIOS. SANGUINIS DNI *d. 2. cl.* c. Cyrilli et Methodii ac Dom. (*Romae* add. ult. loco c. oct. App.)

6. F. 2. Oct. Petri et Pauli *d.*
7. F. 3. De ea —*vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli).
8. F. 4. Elisabeth Portug. *sem.*
9. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti — *Romae* Prodigior. B. M. V. *d. m.* – *In Stat. Eccl.* Veronicae de Iulianis *d.*
10. F. 6. Sept. Fratr. et Soc. *sem.*
11. S. De B. M. in Sabb. *simp.* (*vel* Vot. Imm. Concept.) c. Pii I. — *Pro utent Off. vot.* Vesp. seq. c. praec. et Dom. — *Romae.* Veronicae de Iulianis *d.* (*ass. ex 9 hui.*) c. Pii I.

✠ 12. D. 7. p. Pent. Io. Gualberti *d.* c. Dom. ac Naboris et Felicis. — *Inc. lib. III. Reg.* — In Vesp. c. seq. et Dom.

13. F. 2. Anacleti *sem.*
14. F. 3. Bonaventurae *d.*
15. F. 4. Henrici *sem.*
16. F. 5. B. M. V. de Monte Carmelo *d. m.*
17. F. 6. Alexii *sem.* (Romae *d.*)
18. S. Camilli *d.* c. Symphorosae et Filior.

✠ 19. D. 8. p. Pent. Vincentii a Paulo *d.* c. Dom.

20. F. 2. Hieronymi Aemiliani *d.* c. Margaritae.
21. F. 3. Praxedis *simp.* — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) c. Praxedis.
22. F. 4. M. Magdalenae *d.*
23. F. 5. Apollinaris *d.* c. Liborii.
24. F. 6. Vigil. De ea *simp.* c. Christinae — *vel* Vot. Passionis, c. Vigil. et Christinae.

† 25. S. IACOBI *d. 2. cl.* c. Christophori in Laud. et Miss. priv.

✠ 26. D. 9. p. Pent. ANNAE *d. 2. cl.* c. Dom. — In Vesp. c. seq. et Dom. (sed *pro utent. Off. vot.* c. Angel., Dom. ac Pantaleonis).

27. F. 2. Pantaleonis *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Pantaleonis. — *Inc. lib. IV. Reg.* ex Dom. praec.
28. F. 3. Nazarii et Soc. *sem.*
29. F. 4. Marthae *sem.* c. Felicis II. et Soc.
30. F. 5. Abdon et Sennen *simp.* — *vel* Vot. Sacramenti, c. Abdon et Sennen.
31. F. 6. Ignatii de Loiola *d.*

AUGUSTUS.

1. S. Petri ad Vinc. *d. m.* c. Pauli et Machab.

✠ 2. D. 10. p. Pent. 1. Aug. Alphonsi *d.* c. Dom. ac Stephani I. — In Vesp. c. seq. et Dom.

3. F. 2. Inventio Stephani *sem.*
4. F. 3. Dominici *d. m.*
5. F. 4. B. M. V. ad Nives *d. m.*
6. F. 5. Transfiguratio Dñi *d. m.* c. Xysti II. et Soc.

7. F. 6. Caietani *d.* c. Donati. — *Inc. Parab. Salom.* ex Dom. praec.

8. S. Vigil. antic. Cyriaci et Soc. *sem.* c. Vigil. — *aliq. loc.* Vesp. de Comm. omn. Pontif. c. praec., Dom. et Romani.

✠ 9. D. 11. p. Pent. 2. Aug. De ea *sem.* c. Romani — *Inc. lib. Ecclesiastes.* — *aliq. loc.* Comm. omn. Pontif. *d.* c. Dom. et Romani.

† 10. F. 2. LAURENTII *d.* 2. *cl. cum oct.*

11. F. 3. De oct. *sem.* c. Tiburtii et Susannae. — *aliq. loc. Inc. lib. Ecclesiastes,* ex Dom. praec.

12. F. 4. Clarae *d.* c. oct.

13. F. 5. De oct. *sem.* c. Hippolyti et Cassiani.

14. F. 6. Vigil. De oct. *sem.* c. Vigil. et Eusebii. Miss. Vigil. c. oct. et Eusebii.

✠ 15. S. **Assumptionis B. M. V.** *d. 1. cl. cum oct.*

✠ 16. D. 12. p. Pent. 3. Aug. IOACHIM *d.* 2. *cl.* c. Hyacinthi et Dom. — *aliq. loc.* c. Rochi et Dom.

17. F. 2. Oct. Laurentii *d.* c. oct. Assumpt. — *Inc. lib. Sapientiae,* ex Dom. praec.

18. F. 3. De oct. *sem.* c. Agapiti — *aliq. loc.* Hyacinthi *d.* (*ass. ex 16 hui.*) c. oct. et Agapiti.

19. F. 4. De oct. *sem.*

20. F. 5. Bernardi *d.* c. oct.

21. F. 6. Ioan. Franc. Fremiot de Chantal. *d.* c. oct.

22. S. Vigil. antic. Oct. Assumpt. *d.* c. Vigil. (*except. Romae*) ac Timothei et Soc.

✠ 23. D. 13. p. Pent. 4. Aug. Philippi Benitii *d.* c. Dom. — *Inc. lib. Ecclesiastici.* — *aliq. loc.* Purissimi Cordis B. M. V. *d. m.* c. Philippi Benitii et Dom. — *Romae. Pro utent. Off. vot.* In Vesp. (*respective*) c. Angel. fit 1. loco.

† 24. F. 2. BARTHOLOMAEI *d. 2. cl.* — *Romae.* Vigil. De ea *simp.* 11. hom. (℟℟. ex 1. Noct. Dom. I. Aug. in iis loc. tant. ubi die 9 hui. peract. est Off. omn. Pontif.) — *vel* Vot. Angel. *Inc. lib. Ecclesiastici* (si heri lect. non fuit) c. Vigil.

25. F. 3. Ludovici *sem.* (*in Gallia d.*) *aliq. loc. Inc. lib. Eccles.* ex Dom. praec. — Romae † BARTHOLOMAEI *d. 2. cl.*

26. F. 4. Zephyrini *simp.* — *vel* Vot. Ioseph, c. Zephyrini. — *Romae.* Ludovici *sem.* (*Inc. lib. Ecclesiastici* si dieb. praec. lect. non fuit c. Zephyrini.

27. F. 5. Ioseph Calasanct. *d.*

28. F. 6. Augustini *d.* c. Hermet.

29. S. Decollat. Ioannis Bapt. *d. m.* c. Sabinae. (Hoc anno omitt. Dom. 5 Aug.).

INCIPIT PARS AUTUMNALIS BREVIARII.

✠ 30. D. 14. p. Pent. 1. Sept. Rosae Lim. *d.* c. Dom. ac Felicis et Adaucti — *Inc. lib. Iob.*

31. F. 2. Raymundi Nonnati *d.*

SEPTEMBER.

1. F. 3. Aegidii *simp.* c. Duodec. Fratr. — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) c. Aegidii et Duodec. Fratr.

2. F. 4. Stephani Reg. *sem.*
3. F. 5. De ea (℟℟. ex 1. Noct. Dom. praec.) — *vel* Vot. Sacramenti.
4. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *In Stat. Eccl.* Rosae a Viterb. *d.*
5. S. Laurentii Iustin. *sem.*
✠ 6. D. 15. p. Pent. 2. Sept. De ea *sem.*
7. F. 2. De ea — *vel* Vot. Angel.
✠ 8. F. 3. NATIVITATIS B. M. V. *d. 2. cl. cum oct.* c. Hadriani in Laud. et Miss. priv.
9. F. 4. De oct. *sem.* c. Gorgonii.
10. F. 5. Nicolai a Tolent. *d.* c. oct.
11. F. 6. De oct. *sem.* c. Proti et Hyacinthi.
12. S. De oct. *sem.*
✠ 13. D. 16. p. Pent. 3. Sept. Nominis B. M. V. *d. m.* c. Dom.
14. F. 2. Exaltatio Crucis *d. m.* c. oct.
15. F. 3. Oct. Nativ. B. M. V. *d.* c. Nicomedis.
16. F. 4. QUAT. TEMP. Cornelii et Cypriani *sem.* c. fer. ac Euphemiae et Soc. — *Inc. lib. Tobiae,* ex Dom. praec.
17. F. 5. Stigmat. Francisci *d.*
18. F. 6. QUAT. TEMP. Ioseph a Cupertino *d.* c. fer.
19. S. QUAT. TEMP. Vigil. antic. Ianuarii et Soc. *d.* c. fer. (In Miss. 3. or. Vigil.) — Vesp. seq. com. praec., Eustachii et Soc. ac Dom.
✠ 20. D. 17. p. Pent. 4. Sept. VII. Dolor. B. M. V. *d. m.* c. Eustachii et Soc. ac Dom.
† 21. F. 2. MATTHAEI *d. 2. cl.*
22. F. 3. Thomae a Villanova *d.* c. Mauritii et Soc. — *Inc. lib. Iudith,* ex Dom. praec.
23. F. 4. Lini *sem.* c. Theclae.
24. F. 5. B. M. V. de Mercede *d. m.*
25. F. 6. De ea (℟℟. ex 1. Noct. Dom. praec.) — *vel* Vot. Passionis.
26. S. De B. M. in Sabb. *simp.* (*vel* Vot. Imm. Concept.) c. Cypriani et Iustinae. — *Pro utent Off. vot.* Vesp. a cap. Dom. c. praec. ac Cosmae et Damiani.
✠ 27. D. 18. p. Pent. 5. Sept. De ea *sem.* c. Cosmae et Damiani. — *Inc. lib. Esther*
28. F. 2. Wenceslai *sem.*
✠ 29. F. 3. DEDIC. MICHAELIS ARCHANG. *d. 2. cl.*
30. F. 4. Hieronymi *d.*

OCTOBER.

1. F. 5. Remigii *sem. ad lib. vel simpl. de praec.* (in Gallia *d.*)
2. F. 6. Angelorum Cust. *d. m.*
3. S. De B. M. V. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept.
✠ 4. D. 19. p. Pent. 1. Oct. ROSARII B. M. V. *d. 2. cl.* c. Dom.
5. F. 2. Francisci *d. m.* (*f. heri*) c. Placidi et Soc. — (*Romae* Gallae *d.* c. Placidi et Soc. — *Inc. lib. I. Machab.,* ex Dom. praec.)
6. F. 3. Brunonis *d.* — *Inc. lib. I. Machab.,* ex Dom. praec. (except. *Romae*).
7. F. 4. Marci *simp.* c. Sergii et Soc. — *vel* Vot. Ioseph, c. Marci ac Sergii et Soc. — *Romae.* Francisci *d. m.* (*f. 4 hui.*) c. Marci ac Sergii et Soc.
8. F. 5. Birgittae *d.*
9. F. 6. Dionysii et Soc. *sem.*

10. S. Francisci Borgia *sem.* — *aliq. loc.* Vesp. de Maternit. B. M. V. c. praec. et Dom.

✠ 11. D. 20. p. Pent. 2. Oct. De ea *sem.* — *aliq. loc.* Maternitatis B. M. V. *d.m.* c. Dom. In Vesp. (*pro utent Off. vot.* c. Angel. et Dom.).

12. F. 2. De ea (*aliq. loc.* ℟℟. ex 1. Noct. Dom. 1. hui.) — *vel* Vot. Angel.

13. F. 3. Eduardi *sem.*

14. F. 4. Callisti I. *d.*

15. F. 5. Teresiae *d.*

16. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis.

17. S. Hedwigis *sem.*

✠ 18. D. 21. p. Pent. 3. Oct. Lucae *d. 2. cl.* c. Dom. (*aliq. loc.* De Puritate B. M. V. nihil hoc anno).

19. F. 2. Petri de Alcantara *d.*

20. F. 3. Ioannis Cantii *d.*

21. F. 4. Hilarionis *simp.* c. Ursulae et Soc. — *vel* Vot. Ioseph c. Hilarionis ac Ursulae et Soc.

22. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti.

23. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis. — *Romae.* SS. Redemptoris *d. m.*

24. S. De B. M. in Sabb. *simp.* — *vel* Vot. Imm. Concept. — *aliq. loc.* Raphaelis Archang. *d. m.*

✠ 25. D. 22. p. Pent. 4. Oct. De ea *sem.* c. Chrysanthi et Dariae — *Inc. lib. II. Machab.*

26. F. 2. Evaristi *simp.* — *vel* Vot. Angel. c. Evaristi.

27. F. 3. Vigil. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) c. Vigil.

† 28. F. 4. Simonis et Iudae *d. 2. cl.*

29. F. 5. De ea — *vel* Vot. Sacramenti. — *Igitur Eleazarus.*

30. F. 6. De ea — *vel* Vot. Passionis — *Mortuo itaque.*

31. S. Vigil. De ea, Ill. hom. — *vel* Vot. Imm. Concept. — *Antiochus autem.* — c. Vigil.

NOVEMBER.

✠ 1. D. 23. p. Pent. 1. Nov. **Omnium Sanctorum** *d. 1. cl. cum oct.* c. Dom.

2. F. 2. De oct. *sem.* Comm. omn. Defunct. *d.* — *Inc. lib. Ezechielis,* ex Dom. praec.

3. F. 3. De oct. *sem.*

4. F. 4. Caroli *d.* c. oct. ac Vitalis et Agricolae.

5. F. 5. De oct. *sem.*

6. F. 6. De oct. *sem.*

7. S. De oct. *sem.* (Hoc anno omitt. Dom. 2. Nov.)

✠ 8. D. 24 p. Pent. 5. p. Epiph. 3. Nov. Oct. omnium Ss. *d.* c. Dom. ac Quatuor Coronat. — *Inc. lib. Danielis.*

9. F. 2. Dedic. Basilic. SS. Salvatoris *d. m.* c. Theodori.

10. F. 3. Andreae Avellini *d.* c. Triphonis et Soc.

11. F. 4. Martini *d.* c. Mennae.

12. F. 5. Martini I. *sem.*

13. F. 6. Didaci *sem.* — *In Italia.* Stanislai Kostka *d.*

14. S. Iosaphat *d.*

✠ 15. D. 25. p. Pent. 6. p. Epiph. 4. Nov. Gertrudis *d.* c. Dom. — *Inc. lib. Osee.* — *Pro utent Off. vot.* In Vesp. c. Angel. et Dom. — *In Italia.* In Vesp. c. seq. et Dom.

16. F. 2. De ea (℟℟. ex 1. Noct. Dom. 1. hui.) — *vel* Vot. An-

gel. — *In Italia.* Didaci *sem.* (*ass. ex 13 hui.*)

17. F. 3. Gregorii Thaum. *sem.* (Romae *d.*) — *Inc. Ioël.*

18. F. 4. Dedic. Basilic. Petri et Pauli *d. m.*

19. F. 5. Elisabeth *d.* c. Pontiani — *Inc. Amos.*

20. F. 6. Felicis de Valois *d.* ll. 1. N. 1. et 2. *Inc. Abdias*, 3. *Inc. Ionas* (ex Sabb. seq.)

21. S. Praesentationis B. M. V. *d. m.*

✠ 22. D. 26. ult. p. Pent. 5. Nov. Caeciliae *d.* c. Dom.

23. F. 2. Clementis I. *d.* c. Felicitatis.

24. F. 3. Ioannis a Cruce *d.* c. Chrysogoni, ll. 1. N. 1. *Inc. Michaeas*, 2. *Nahum*, 3. *Habacuc* (ex Dom. et fer. 2. praec. ac fer. 3. curr.)

25. F. 4. Catharinae *d.* — *Inc. Sophonias.*

26. F. 5. Silvestri *d.* c. Petri Alexandrini. — *Inc. Aggaeus.* (*In Stat. Eccl.* ll. 1. N. ut supra, sed pro non utent. Off. vot. 1. *Inc. Aggaeus*, 2. *Zacharias*, 3. *Malachias*, ex fer. curr. et fer. 6. ac Sabb. seq.)

27. F. 6. De ea — ll. 1. et 2. *Inc. Zacharias*, 3. *Inc. Malachias*, ex Sabb. seq. (*in Italia* ℟℟. ex 1. Noct. Dom. 1. hui.) — *vel* Vot. Passionis — *Inc. Zacharias* tant. — *In Stat. Eccl.* Patrocinii B. M. V. *d. m.* (*f. 8 hui.*)

28. S. Vigil. antic. De ea, ll. hom. (*in Stat. Eccl.* ℟℟. ex 1. Noct. Dom. 1. hui.) — *vel* Vot. Imm. Concept. — *Inc. Malachias* (sed *in Stat. Eccl.* ll. 1. N. 1. *Inc. Zacharias*, ex fer. 6. praec. 2. et 3. *Inc. Malachias*) c. Vigil.

Incipit pars hyemalis breviarii.
Cras clauduntur Nuptiae.

✠ 29. D. I. Adv. *1. cl. sem.* c. Saturnino. « Cessant Suffragia ».

† 30. F. 2. Andreae *d. 2. cl.*

DECEMBER.

1. F. 3. De ea — *vel* Vot. Apost. (*Romae* Vot. Petri et Pauli) — dieb. fer. per tot. Adv. in Off. 9. Lect. fit com. fer.

2. F. 4. Bibianae *sem.*

3. F. 5. Francisci Xaverii *d.*

4. F. 6. Petri Chrysologi *d.* c. Barbarae.

5. S. De eo, c. Sabbae — *vel* Vot. Imm. Concept. c. Sabbae.

✠ 6. D. 2. Adv. *2. cl. sem.* c. Nicolai.

7. F. 2. Vigil. Ambrosii *d.* (In Miss. 3. or. et Ev. Vigil.)

✠ 8. F. 3. **Immac. Concept. B. M. V.** *d. 1. cl. cum oct.*

9. F. 4. De oct. *sem.*

10. F. 5. De oct. *sem.* c. Melchiadis — *aliq. loc.* Translationis Domus Lauret. *d. m.* (in regione Picena *d. 1. cl. cum oct. quae suspendit. usq. ad diem 16, et terminat. ad Non. eiusd. diei*) c. Melchiadis *extra reg. Picen. tant.*

11. F. 6. Damasi I. *sem.* c. oct.

12. S. De oct. *sem.*

✠ 13. D. 3. Adv. *2. cl. sem.* c. Luciae et oct.

14. F. 2. De oct. *sem.*

15. F. 3. Oct. Imm. Concept. B. M. V. *d.*

16. F. 4. QUAT. TEMP. Eusebii *sem.* (In regione Picena c. oct. Translat. Domus Laur. in Laud. et Miss. tant. Hymni usq. ad Non. incl. concl. *Iesu... qui natus*, ad Prim. omitt. prec. et in Miss. dic. Praef. B. M. V. *Et te in festivitate*).
17. F. 5. De ea « Cessant Off. votiv. » *O Sapientia.*
18. F. 6. QUAT. TEMP. De ea — *aliq. loc.* Expectat. Partus B. M. V. *d. m.* — *O Adonai.*
19. S. QUAT. TEMP. Vigil. antic. De eo — In Miss. 2. or. Vigil. — *O Radix.*
✠ 20. D. 4. ADV. *2. cl. sem.* — *O Clavis.*
† 21. F. 2. THOMAE *d. 2. cl.* — *O Oriens.*
22. F. 3. De ea — *O Rex.*
23. F. 4. De ea — *O Emmanuel.*
24. F. 5. Vigil. Nativ. De ea *simp.* Ad Laud. et deinc. *d.*
✠ 25. F. 6. **Nativitatis D. N. I. C.** *d. 1. cl. cum oct. privil.*
† 26. S. STEPHANI *d. 2. cl. cum oct.* c. oct. Nat. — *aliq. loc.* com. omn. Mm. et oct.
✠ 27. D. (*vacat*) IOANNIS *d. 2. cl. cum oct.* c. octavar.
† 28. F. 2. INNOCENTIUM *d. 2. cl. cum oct.* c. octavar.
29. F. 3. Thomae Cantuar. *sem.* (In Stat. Eccl. *d.*) c. octavar.
30. F. 4. De Dom. infr. oct. *sem.* c. octavar. — *Inc. Ep. ad Romanos.*
† 31. F. 5. Silvestri I. *d.* c. octavar.

Hodie et Anno insequenti 1897 litera Martyrologii erit G *magna*

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*Contin. V. n. 3, pag. 134*).

(*Titul. IX, n. 3*).

(120) .... *nisi illud festum fuerit principalis Patroni, vel Tituli aut Dedicationis ipsius Ecclesiae.* Hic locus Rubricarum non indiget expositione, cum eadem verba iam declaraverimus super Titulo IV, n. 1, in notis 68 et 69 ad quas remittimus lectorem. Notandum tamen hic placet, quod hucusque in Rubricis generalibus Breviarii invenimus novies mentionem fieri Patroni et Tituli, videlicet:

I. In titulo I *de officio duplici,* n. 1 in quo dicitur fieri officium duplex..... *in festo Patroni unius vel plurium alicuius loci vel Titularis Ecclesiae.*

II. In titulo IV *de Dominicis,* n. 1 ubi decernitur, transferri duplex in Dominica occurrens:... *nisi illud festum sit de principali Titulo vel Patrono alicuius Ecclesiae vel loci.*

III. In Titulo VII *de Octavis,* n. 1 in quo praecipitur agi octava,... *in festo principalis Patroni et Titularis loci, vel Ecclesiae.*

IV. In eodem titulo n. 3; quando declarat Rubrica, infra octavas Paschatis et Pentecostes non fieri posse de aliquo festo, *etiam principali Patrono vel Titulari Ecclesiae.*

V. Denuo eodem titulo et §, in quo dicitur quod infra octavam Epiphaniae... *fit tantum de Patrono vel Titulari Ecclesiae.*

VI. Item tertio in eodem titolo eodemque §, quando occurrunt simul duae octavae, dicitur.... *vel octava Patroni vel Titularis Ecclesiae cum alia octava.*

VII. Adhuc in ipso titulo VI, n. 4, quum loquitur de lectionibus legendis infra octavas, dicit: *Infra octavam vero Patroni vel Titularis Ecclesiae* etc.

VIII. In titulo hoc IX, ubi leguntur verba quae hic erant exponenda:... *nisi factum fuerit Patroni, vel Tituli vel dedicationis ipsius Ecclesiae.*

IX. Denique iterum in hoc eodem titulo et §, ubi dicitur: de principali festo *fit tantum in eo loco vel Ecclesia ubi est Patronus vel Titulus.*

Deinde tam in generalibus quam in specialibus Breviarii Rubricis adhuc invenimus de Patrono et Titulari mentionem fieri, nempe:

X. In titulo X, n. 1, ubi dicitur non transferri octava:... *nisi Titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat.*

XI. In titulo XXXV n. 1 decernitur inter suffragia, ut adiungatur: *commemoratio de Patrono vel Titulo Ecclesiae.*

XII. In duabus tabellis ex Rubricis generalibus excerptis, recensetur inter duplicia 1 classis *Patronus vel Titulus Ecclesiae.*

XIII. In divisione dominicarum, appellantur dominicae secundae classis, quae non omittuntur, *nisi occurrente Patrono vel Titulari Ecclesiae.*

XIV. In notandis post Tabellam occurrentiae bis invenimus loqui *de Patrono et Titulo* primo, et de *Patrono vel Titulo Ecclesiae* secundo.

XV. In Tabella concurrentiae legitur inter cetera officia, *Patronus seu Titulus Ecclesiae.*

XVI. In speciali Rubrica post festum Epiphaniae, dicitur infra octavam huius solemnitatis transferri festum quodcumque, *nisi fuerit Patroni vel Titularis Ecclesiae.*

Si hae locutiones invicem conferantur, clarissime apparebit, Rubricas loqui voluisse semper de iisdem duobus festis inter se bene distinctis, nempe de *Patrono loci* et de *Titulari Ecclesiae*, de quibus luculentissime erant locutae prima vice cum dixerant: *officium fit duplex.... in festo Patroni loci, vel Titularis Ecclesiae.*

In relatis ergo locis, in quibus Rubricae utuntur particula *vel*, et non ponunt vocem *loci*, post verbum *Patroni*, non sunt intelligendae nisi iuxta sensum supra prima vice clare expressum, scilicet de *Patrono* loci et Titulo Ecclesiae.

Similiter in duobus locis Rubricarum a nobis citatis sub Nu. II et III, licet legatur: *Titulus vel Patronus alicuius Ecclesiae vel loci, et Patronus vel Titularis loci vel Ecclesiae*, omnis ratio suadet, vocem *Patronum* referendam esse ad vocem *Ecclesiae.*

Ita res clarissima apparet, et dubium quodcumque cessat omnino, neque datur quaestioni aut confusioni locus; iuxta enim sensum Rubricarum, et mentem ecclesiae, Patronus respicit locum, super quem patrocinium gerit, Titularis autem respicit ecclesiam cui nomen imponit.

Aliis verbis, quotiescumque Rubrica loquitur de Patrono semper intelligendus est Patronus loci, non ecclesiae; et quotiescumque loquitur de Titulo, vel de Titulari, intelligendus est Titularis ecclesiae, et non aliter

Gavantus doctor liturgicus eximius, qui interfuit Congregationibus sub Clemente VIII et sub Urbano VIII pro corrigendis Rubricis, atque ideo genuinus sensus earum ei non aufugit, numquam confundit Patronum cum Titulari; scilicet, Patronum vocat patronum loci, et nunquam Patronum ecclesiae, et in suo celeberrimo commentario Rubricarum, caput XII Sectionis III intitulat: *de Patrono loci et Titulo Ecclesiae.*

Non sic alii liturgici doctores, alioquin praeclari, Meratus, Guyetus et Cavalerius, ut taceamus de modernis qui illi nimis faciles pedissequi fuerunt. Meratus, in notis ad Gavantum, (*sect. 3, c. 12*), statim confundit Patronum et Titulum; et dum Gavantus docuerat luculentissime: „Patronum esse quem Episcopus cum populo sibi Patronum elegit, Titulum vero a quo denominatur ecclesia „ ipse commentator, suo magistro doctrinam tribuit quam nullibi docuit. Et revera ait Meratus: “ Procedit Gavantus ad assignandum discrimen, quod intervenit inter Patronum loci, et Patronum seu Titularem ecclesiae: „ ecce confusio, de Patrono loci locutus est Gavantus et de Titulo ecclesiae, sed de Patrono ecclesiae nunquam.

Similiter Guyetus in libro I, caput IV inscribit: *de Patrono seu Titulo Ecclesiae;* caput V: *de Patrono seorsim a Titulo;* caput VI: *de Titulo seorsim a Patrono ;* et caput VII: *de Patrono seu Titulo loci.* In quibus uti omnibus apparet, confunditur Patronus cum Titulo, ita ut iuxta Guyetum dantur Patroni loci et ecclesiae, sicut dantur Titulares ecclesiae et loci.

Cavalerius in primo tomo sui operis habet caput II sic inscriptum: *de Patrono vel Titulo Ecclesiae;* et caput III: *de Patrono locorum.* Iuxta enim Cavalerium, vox patroni, usurpatur tam pro locis quam pro ecclesiis, ita ut, iuxta ipsum, recte dicatur S. Petrus Patronus esse Basilicae Vaticanae. Hanc locutionem adhibuerunt alii doctores ut De-Herdt, et A Carpo, ut taceamus de minoribus, sed id certo non sine inutilitate et magna confusione. Id autem ita verum est, ut quando citati auctores, Gavanto excepto, de ecclesiarum Patronis loquuntur, necessario distinguere debeant, inter Sanctos, Angelos, Deiparam, et Deum, dicentes: quando ecclesia dicata est alicui Sancto, Angelo vel Deiparae, tunc hi vocantur *Patroni vel Titulares Ecclesiae,* quando vero ecclesia dicata est SS. Salvatori, Corpori Christi, Spiritui Sancto, SS. Trinitati, tunc hae invocationes dicuntur *Tituli.* Nos vero Rubricis firmius innitentes, et doctrinae Gavanti, non cognoscimus nisi *Patronum loci et Titularem Ecclesiae;* et Patronum ecclesiae, vel Titularem loci, prorsus respuimus: 1° quia inutiles voces, non enim necessarium est ad illas recurrere iure tam facili. 2° Quia confusionem gerunt, et nisi multae explicationes proferantur, res, ex se tam clara, non parum obscura evadit. 3° Quia non habet radicem in Rubricis.

Et sane in locis supra citatis sub Num. IV, V, VI, VII, VIII, IX, XI, XII, XIII, XIV, XV et XVI, in

quibus loquitur Rubrica *de Patrono vel Titulo Ecclesiae*, vel loqui voluit de Patrono loci, et de Titulari ecclesiae, in sensu disiuncto, vel de Patrono et titulo ecclesiae, in sensu explicativo et coniuncto, nempe de Patrono ecclesiae, quasi synonimo de Titulari ecclesiae. Si primum, res perbelle et rectissime currit, et Rubrica iis locis decrevit, uti par est, quid sit agendum tam de Patrono loci, quam de Titulari ecclesiae, et sic nullus datur locus dubio, ac lex perfecte explicatur. Si secundum, nempe si Rubrica iis in locis loqui voluit de *Patrono vel Titulo Ecclesiae* in sensu coniuncto et explicativo, quasi diceret de Patrono ecclesiae seu de Titulo ecclesiae, tunc Rubrica munus suum non explevisset; et cum decernit quid sit agendum de Patrono ecclesiae, nihil dixisset de Patrono loci. Necessario ergo omnibus iis in locis Rubrica loqui voluit de *Patrono* vel *Titulo Ecclesiae*, in sensu disunctivo, scilicet de Patrono loci per antonomasiam dicto, nec non de Titulo ecclesiae, et sic lex integra profertur.

Precandi ergo sunt rei liturgicae scriptores ut deinceps, ad mentem Rubricarum, et eius commentatoris praeclarissimi qui est Gavantus, cum loquuntur de Patrono, iugiter hac voce utantur pro Patroni loci, et numquam pro Titulari ecclesiae, et viceversa. Neque dicas in nonnullis S. R. C. decretis non semel vox Patroni accipi pro Patrono ecclesiae, quia ad hoc respondemus; 1° hac confusione magis usos fuisse in suis quaesitis postulatores, quam S. R. C. 2° Quod si aliquando ipsa S. R. C. tali locutione usa fuit, hoc fecit iuxta petitiones. 3° Denique hanc confusionem si invenimus in decretis saeculi XVIII in fine, et seculi XIX, in praecedentibus quando scilicet doctores

non adhuc confusionem in hac re produxerant, nunquam invenimus.

(241) . . . . *non autem alicuius cappellae vel altaris eiusdem Ecclesiae.* Quibus verbis restringitur privilegium solis Patrono loci, Titulari ecclesiae et dedicationi eiusdem, ut fiat de huiusmodi festis in dominicis secundae classis, cum commemoratione dominicae, et negatur Titulari *Cappellarum* vel *altarium, eiusdem Ecclesiae.* Quia cum tantum Titulares ecclesiarum, in sensu proprio, nempe ecclesiarum quae clerum proprium habent, regularem vel saecularem, aut moniales choro addictas, ritu duplici primae classis colantur, bene hic excluduntur Titulares *Cappellarum.* sive pro cappellis intelligantur iuxta Guyetum (*lib. 1, c. 16, q. 1 et 2)* et Cavalerium (*T. 1, dec. 3, n. 16 et 17*), ecclesiae parvae cum uno tantum altari, seu oratoria privata; sive pro cappellis intelligantur, more romano, aedes illae in Basilicis, quae non tantum habent altare, sed et chorum anteriorem. De huiusmodi enim Titularibus nefas est agi officium, nisi alio titulo iam inveniatur in calendario illius ecclesiae, et multo minus sub ritu primae classis. Si autem agatur de oratorio, seu cappella aut parva ecclesia, apud quam habitat Sacerdos qui in ea beneficium possidet, tunc iuxta citatos auctores, beneficiatus de titulari agere debet festum sicut dicitur pro titularibus ecclesiae.

(242) . . . *et tunc de huiusmodi principali festo fit tantum in eo loco vel Ecclesiae cuius est Patronus et Titulus.* Ecce nova explicatio ad ea quae supra diximus. Hic Rubrica clarissime refert loci Patronum, et ecclesiae Titulum, et non viceversa. In locis ergo ubi habetur patronus, legitime electus modo quo supra n. 6 exposuimus, et in ecclesia cuius Titularis occurrit

in Dominicis quibuscumque, exceptis quae inferius referuntur, fit officium Patroni, aut Tituli, cum commemoratione dominicae.

243) *aut Dedicatio* .... quia Anniversarium dedicationis ecclesiae est duplex 1 classis, et simili privilegio gaudet quo Patronus et Titulus. Sed non tantum Anniversarium dedicationis, bene vero et ipsa dies dedicationis, cum celebretur eodem ritu 1 classis, simili privilegio procul dubio gaudet.

Itaque si Episcopus consecrat ecclesiam aliquam in dominica quacumque etiam secundae classis, officium ab hora tertia et deinceps fit de ipsa die dedicationis cum commemoratione dominicae.

(Continuabitur) Doctor Petrus Piacenza.

SUPER ORDINATIONE PRO MUSICA SACRA

COMMENTARIA

(*Continuat. V. n. 4 pag. 237*).

21. Quibus positis, rei meritum aliquantulum tangere fas sit. Cantum nostrum cum Liturgia enatum ponimus, et utrumque saeculo VI veluti absolutum, uti natura christiani populi tunc ferebat, a magno Gregorio fuisse, neminem profecto fugit. Saeculo XIV ac subsequentibus, cantui unius soni polyphono suffecto, celebritas illius, hunc magis hominibus degustantibus, veluti depressa apparuit. Saeculo autem XVI peculiariter, mensura, quae

pro polyphono exequendo cantu necessitas est iudicata, ipsum liturgicum opprimere visa est. Hinc figurae plurimae, seu notarum coniunctiones, quas cl. Bainius singulas testatus est inter se differre, et quarum executio alia ab alia fuerat, ac mirabiles gignebat effectus, ferme decompositae, ut numero musico inservirent, sensim defloruere, insitamque in iis pulchritudinem amittere visae sunt. Melos itaque liturgici cantus haud parum detrimenti ceperant, quod sive scribarum negligentia, sive imperitorum arbitrio, sive sciolorum audacia inspectis, facile conceditur. Hoc quidem ipsemet Bainius tradit; sed ex eo totum Graduale pessumdatum, et antiphonalem codicem vastatum cum eodem scriptore negandum. Namque ait: « Prorsus integrae erant antiphonae, atque illae maxime, quae ex paucioribus notis constabant, sicut et hymni. Introitibus ordinario nonnisi perpaucae erant notae vel sublatae vel diversae. Offertoria et Communiones magis quam aliae partes aliquantulum male habitae. Sed vero Gradualia ac Tractus cum relativis versibus vix dignoscebantur. Nihilominus eadem Gradualia, Tractus, Offertoria, et Communiones in pluribus intacti permanserant codicibus; quod cantores facta sibi potestate neumata demendi, notarumque excessum, quin codicibus afferrent damnum, maxime reprobandum abusum invexerant, qui et impraesenti cantum firmum Basilicarum Romae profanat (vota bonorum omnium exaudiat caelum, atque admirationis impediendae causa ipsorum acatholicorum penitus extinguat), ex quo cantores quasi melos loquentes super basi seu chorali toni chorda, festinanter ac praepropere sacra

verba proferunt, ut vel desperati, vel perculsi, vel quasi indignati rixas in scena agentes appareant (1). Quod novos attinet Introitus, Gradualia, et Offertoria superaddita, vel antiquis suffecta, haec cum ex Bulla S. Pii V abrogata remanerent, emendatione non indigebant (*Memor. stor. crit. etc. Vol. 2, cap. 3*). » Paulo post relata idem auctor notat, multiplices huiusce cantus figuras proprias obsoletas fuisse (2), iisque paulatim triplam fuisse suffectam, duplam, longam, brevem, semibrevem. Hinc exequendi cantus antiqui rationem tanta existimatione dignam, deperditam conqueritur: quod non tantum de ornamentis asserit, sed et de ipso numero rythmico.

Rebus ita se habentibus magnus Petraloisius grande opus aggreditur, ac melioribus Vaticanae

---

(1) Infelix aetas, de qua auctor, praeteriit. Impraesentiarum mutata res est; et quamvis non iisdem Basilicae Urbis singulae utantur codicibus, nihilominus grave incommodum, quem Bainius plorat, penitus exulavit: vota exaudita fuere.

(2) Absit a nobis, ut tanti viri assertum infirmare velimus sed quinam sit suorum verborum sensus non intelligitur. Indubium est enim, in editione Medicea, uti in Ratisbonensi, quae Romana est, imo in ipsa Venetiana, notarum coniunctiones plurimas passim occurrentes. quae figuras repraesentant, non ex duabus tantum, sed ex tribus, quatuor, quinque et pluribus notis conflatas. Quod si cl. auctor de iis loqui velit signis duobus vel tribus aut pluribus, eodem in spatio, vel eadem linea positis, quae strophicos appellant, quod asserit plane veritati conforme intelligitur. At vix locus tunc esset conquestui, sive quia eiusmodi multiplices notae si tremulam vocem exigunt, simplicis sunt ornamenti, et in multitudine cantorum difficillimae executionis: sive quia, si productionem temporis significant, aut per alia aequivalentia signa ipsis consultum est, aut faciliori alia ratione idem obtineri potest finis.

Basilicae archivi codicibus sibi lucem manumque praebentibus, ad liturgici cantus emendationem manum admovet. Integrum opus in duas divisit partes, quarum prima facilior gravius urgebat, ait pluries laudatus Bainius, videlicet quae pro chorali officio, seu antiphonis, psalmis, hymnisque canenda erat: altera vero quae reliquum officii publici respiciebat difficilior, eiusmodi naturae erat, ut temporis ac laboris plurimum requireret. Etenim de Graduali atque Antiphonario corrigendis agebatur, *ut utrumque codicem in veritatem antiquorum voluminum,* verba sunt Bainii, *restitueret, dempto nihilominus notarum excessu, qui executores impellebat ad cantum ita pro arbitrio contrahendum, ut illum ex integro deturparent* (Loc. sup. cit.). Prima Ioanni Guidetti commissa, Petraloisio tamen duce, alteram partem hic sibi assumpsit; quam nihilominus nec perfecit, Graduale namque *de tempore* in lucem edidit, *de Sanctis* vero morte praeventus, nonnisi manu exaratum satisque imperfectum codicem a seispo repudiatum reliquit. Interim Paulo Pontifice quinto, seu anno 1614, in lucem duo cantus firmi volumina typis mandata fuerunt, Graduale *de Tempore* editionis Mediceae, emendationi Petraloisii apprime conformis, et Graduale *de Sanctis* (1),

---

(1) Quis fuerit, cui Pontifex Paulus V ob novam emendationem Missalis et Breviarii Romani, cantus correctionem, ut illis conformis fieret, commisisset, Bainius ignorat, atque uti incertum auctorem tradit esse potuisse Rogerium Giovannelli in Vaticanae Basilicae magisterio Petraloisii successorem, qui Gregoriani cantus peritissimus habebatur. Haberl vero falsum id asserit, traditque ex authenticis documentis fuisse Felicem Anerium, et Franciscum Sorianum.

quam editionem praefatus Pontifex iussit, et prae ceteris Bainius collaudat.

22. Super relatis, quae historia tradit, nonnulla nobis opportune animadvertenda veniunt. Primum sit, non omnes ergo liturgicas modulationes depravatas (ut verbo utamur Mediceae editionis hostibus accepto, quod tamen an verum an falsum infra videbimus) a Petraloisio fuisse, quae in approbatis editionibus inscribuntur, sed aliquas tantum: quod ceterum, ab auctoritate etiam abstrahentes, ipsum diversorum Voluminum comparatum studium abunde ostendunt. Ratio exigit, ut cupiditati nullum veritas sacrificium offerat. Secundo plures mutationes levioris gravitatis ideo factae sunt, ut pronuntiationis naturae responderet cantus: ne, videlicet, cogerentur cantores legere ex. gr. omnīum pro omnium, libāni, pro libăni, ocūli pro ocŭli, apēris (1) pro apĕris etc. Quicumque enim fuerit antiquitus pronuntiandi modus, impraesenti phonici accentus immutatio, qui in Latii lingua et impulsum fert et simul maiorem aliquam temporis durabilitatem, aures torquet, et cor ipsum quasi dicam indurat. Ceterum nota lex est, cantandas esse syllabas sicuti recitantur, quod sine praefatis mutationibus fieri nequit. Tertio, plura neumata fuere dempta iustis-

---

(1) Nota dignum prae ceteris est Graduale *Oculi omnium* in Missa de solemnitate Corporis Christi in Libro Graduali Dom Pothier, in quo, praeter alia, legimus verbum *aperis*, in cuius secunda syllaba brevi pĕ septem habentur notarum coniunctiones, earumque numerus ad 38 ascendit. Si exteri in his se placent, pax sit illis: adeo auribus nostris, aliorumque omnium forte, ingrata res est, ut tolerari nequeat. Ratio *iubilationis* in contrarium adducitur; sed tanto imparem credimus incommodo explicando.

simis de causis, hoc est: primo, ut cantoribus non fieret libertas modulationis pro libito contrahendi, quod gravissimum est inconveniens: praeterea ne cantus plus aequo protraheretur. Scimus quidem hoc ultimum momentum nihilo minus reputari a dissidentibus; id enim inquiunt, ideo accidit, quod modus neumata exequendi deperditus fuerat: impraesenti vero iterum adinventus. At sane, asserere facillime, demonstrare e contra difficillimi laboris est. Reapse, si in hoc huiusmodi adinventio constituenda sit, ut coniunctionis cuiusque notae leviter aequaliterque percurrantur, nullo ad temporis spatium respectu habito, eodem quinimo spreto, verborumque inde pronuntiatione deturpata, uti passim audire est, haud satis illa felix dicenda. Profecto haec detectio nec significationis perfectioni ineffabili, nec commovendi animi potentiae, nec fluidissimae indoli respondet, quibus dotibus cantus firmi antiqua exequendi ratio, iuxta Bainium aliosque communiter, erat praedita. Proinde, haud obstantibus quae sapienter et Dom Pothier (*Les Mélodies Grégoriennes etc.*), et Kienle (*Théorie et Pratique du Chant Grégorienne etc.*), aliique eosdem secuti disseruerunt, lucis in tenebris adhuc desideratur splendor. Ceterum, hoc quoque dato, alia oritur neumatum contrahendi causa adhuc permanens et permansura, executionis nempe facilitas, quae in cantorum schola vel maximi facienda. Quibus alia gravior addenda ratio emendationis est, nempe ipsa reformatio seu Breviarii, seu Missalis Romani: iuxta quae et Pius V, et Clemens VIII iusserant Missam esse legendam et cantandam, legendum decantandumque pariter Officium. Ne-

cessitas proinde exigebat, ut cantus quoque codices reformarentur ad illorum normam: atque ita singulae modulationes verbis singulis apprime congruerent, prout in ordinatis praescriptisque codicibus inscripta fuerant.

(*Continuabitur*). D. C.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Dioecesi Veronensi.* **De festis Titularis et Ss. Cordis Iesu reponendis.** Festis Titularis et Ss. Cordis Iesu impeditis, cuiusnam e duobus praeferendum in repositione officium?

Resp. Non videmus dubitandi rationem post Decretum **In Catalogo** d. d. 14 Aug. 1894. Hoc enim satis perspicue, anterius Decretum mutans, edicit, *festum Sacratissimi Cordis Iesu, utpote secundarium, omnibus duplicibus primae classis primariis locum cedere, tam in occursu quam in concursu atque in repositione.* Nunc autem dubitari non potest, festum Titularis semper esse, vel *per se,* vel certe ad minus *per accidens,* primarium; ergo indubie in repositione huius officium praeferendum est alteri. Inferes Sabbatum sequens feriam VI post octavam Corporis Christi (quae dies propria pro festo Ss. Cordis) esse diem *tamquam propriam* pro festo Ss. Cordis; at impedita die sua Titulari, non esse magis pro hoc *tamquam propriam,* quam pro illo. Consequenter in Sabbato fiet officium de Titulari, et dies prima sequens simili modo non impedita erit tamquam propria pro officio Ss. Cordis.

Quod autem decretum edicit de festo Ss. Cordis Iesu, extendit etiam ad festum translatum seu ad officium S. Ioseph; ergo in concursu officium S. Ioseph integras dabit Vesperas festo Titularis, licet inferioris dignitatis: in repositione eidem Titularis festo locum cedit, et dies sequenti similiter non impedita celebrabitur. Item alia festa duplicia primae classis, dummodo primaria, etiam illi (officio nempe S. Ioseph) sunt praeferenda: ita praefato disponente Decreto. At dices: Si duplex primae classis primarium sit transferendum, et reponendum sit una cum translato festo S. Ioseph, cuinam praelatio competit? Reponimus, Decretum in casu non distinguere, sed credimus distinguendum necessario esse; sicut enim festum S. Ioseph cuicumque festo praevalere debet, omnium saltem in paritate iurium, ita in eadem iurium paritate omnibus officiis praevaleat necesse est illius officium. Ut proinde si ambo officia sint eiusdem ritus et dignitatis, praevalebit S. Ioseph: si paris sint ritus, inaequalis dignitatis, praevalebit dignius. Quae autem de S. Ioseph dicta sunt, etiam de S. Ioanne Baptista intelligenda, de quo idem Decretum praedicat, quo cumque die sint ambo reponenda. Idem denique dicas quod festum attinet Annuntiationis, super quo Commentaria vulgabimus in seq. numero.

II. *E Scyllaceo in Calabria.* **De Missa Sacratissimi Cordis Iesu** *Egredimini* **retinenda**. Nostrae Dioecesi, uti Venetiarum, Missa *Egredimini* concessa fuit a Pio Pp. VII cum relativo officio, sub duplici maiori ritu: privilegium hoc postea a Leone Pontifice XII confirmatum fuit. Pius Pp. IX Missam *Miserebitur* cum suo officio ad universam

extendens Ecclesiam, privilegium alterius Missae et officii intactum reliquit. Nunc postquam Leo Pp. XIII hoc festum pro universa Ecclesia ad ritum primae classis evexit, aliisque privilegiis ditavit, quaeritur: Quaenam in nostra dioecesi dicenda Missa, et quodnam officium?

Resp. Missa, quae hucusque in dicta Dioecesi dicta est, retinebitur, una cum relativo officio eidem Missae respondens. Namque legitimum fuisse privilegium ab initio a Pio VII concessum, inficiari nemo potest: Leonem XII illud confirmasse uti certum ponitur: indubium est pariter Pium IX eidem derogare noluisse, quamvis aliam Missam recitandam esse, cum suo officio, statuerit in universa Ecclesia. Ergo eadem retinenda Missa, idemque retinendum officium, nisi contrarium aliquid Leo Pp. XIII decreverit. Atqui non hoc constat ex Decreto diei 28 Iun. 1889, imo potius oppositum; ergo Dioecesis Scyllacei, quae Missam *Egredimini* cum respondenti officio ex privilegio hucusque recitavit, eamdem servare potest et debet. Revera Decretum istud de qualitate Missae et officii non facit verbum; edicens tantummodo: « Festum Sacratissimi Cordis Iesu ritu **duplicis primae classis** sine Octava in universa Ecclesia amodo celebretur. » Ergo eadem in conditione, ut antea, relinquuntur Ecclesiae, ritu elevando excepto: ut qui unam, et qui aliam ante recitabant cum officio Missam, eamdem retineant. Quinimo Decretum habet etiam: « Nulla facta immutatione relate ad eos, qui amplioribus ex Apostolicae Sedis Indulto gaudent privilegiis. » Atqui amplius est privilegium specialem cum officio recitandi Missam, potiusquam communem pro tota Eccle-

sia assignatam. Cum ergo Decretum rem immutare noluisse aperte significet, consequens est, ut eiusmodi Missa *Egredimini* atque relativum officium non immutentur, sed sicut antea recitentur. Ceterum omnia Missalia hanc Missam in Appendice, hoc officium omnia Breviaria in supplemento, sicuti ante ita et post praefatum Decretum inscripta habent, ne ipsis quidem editionibus typicis exceptis. Ergo a privilegiatis adhuc dicenda sunt, et revocata dici nequeunt. Hinc in Dioecesi Scyllacei talis Missa et tale officium in festo Ss. Cordis dicenda sunt, et non quae in universali Ecclesia recitantur. Facile inferes, quocumque in casu Missa et officium Ss. Cordis dici debeant, aut possint, eadem semper Missa, idem semper officium recitandum, nisi alia expetantur. Ut proinde etiam in feria VI primae hebdomadae cuiusque mensis, Missa *Miserebitur* in tali Dioecesi dici nequeat.

Nota. In Litaniis Lauretanis Ecclesiastica auctoritas localis nequit permittere ut alii Sancti nominentur; quia ex pluribus constat Decretis, nihil addi illis posse sine Apostolico Indulto. Ceterum, ut quid in merenda crassicae?

III. *E Parisiis.* **De benedictione et processione candelarum et Missa, ubi Sacramentum solemniter est expositum.** Quaeritur 1. Potest ne, Sacramento solemniter exposito, post benedictionem candelarum in alio ab altari expositionis, procedi ad canendam Missam in eodem expositionis altari, si agatur de ultima die pro Oratione 40 horarum? Quaeritur 2. Potest ne et benedictio et processio fieri in crypta Ecclesiae, ita ut processio rediens ante altare Sacramenti, ibi expleat officii cantum?

Resp. 1. Non videtur inconveniens, ut, expleta benedictione, ex iure in alio altari facta, omnes ministri ad altare expositionis procedant pro Missa solemniter canenda. Quae enim necessitas postulat, ut benedictio fiat in alio ab expositionis altari, non requirit ut ibidem etiam Missa canatur. Quinimo, cum de Missa agatur repositionis, expedit ut in altari ipso expositionis fiat, Sacramenti reponendi causa. Itaque Celebrans, benedictione candelarum absoluta, processione omissa, pluviale ibidem deponet, manipulum casulamque induet, et cum ministris ad altare perget, more solito Missam cantaturus.

Verum idem ne agi poterit in Dominica palmarum, uti adm. Rev. consulens quaerit, de quo tamen in dubio referendo nos siluimus? Negative respondendum credimus, ex diversitate rituum hac in Missa occurrentium. Namque in festo Purificationis canitur Missa more solito; sed in Dominica Palmarum necessario Passionis cantus habendus est. Hic autem sive prouti cantus consideretur, sive quod ritus attinet et caeremonias in eo servandas, non potest quin distractionem importet et irreverentiam, uti facile unicuique patet. Cum itaque facile in alio altari habere locum possit, ubi Palmarum facta est benedictio, ibidem Missa celebretur, non vero in altari expositionis.

Resp. 2. Crypta alicuius Ecclesiae, quamvis efficiat quodammodo illius partem; nihilominus ab eadem distinguitur, ut in ea expositum esse Sacramentum non comprobetur. Quod cum ita sit, nihil videtur obstare quominus candelarum benedictio, item et processio ibidem fiat, quae in

superiorem Ecclesiam ante Sacramentum pergendo absolvatur, post quam Missa cantetur. Quod si de Dominica Palmarum sermo sit, recolendum quod supra animadvertimus: adeo ut Missa in eadem crypta cantari debeat.

Nota. Inferior Ecclesia, seu crypta, ut unum omnino locum cum superiori Ecclesia constituat, ipsum pavimentum oportet ut destruatur, sicque pavimentum cryptae evaderet eiusdem Ecclesiae. Porro consecratio Ecclesiae parietes ad modum unius afficit; iis proinde remanentibus, Ecclesia indubie manet consecrata, consequenter et crypta: quae veluti accessorium sequitur naturam principalis. Arroges, parietum consecrationem totos afficere parietes, qui ad cryptam usque perveniunt. Ergo diruto pavimento una manet Ecclesia, et quidem consecrata, uti ante fuisse supponitur. Vix intelligitur autem, quomodo in transformatione debeant loca demoliri, ubi cruces in consecratione fuerunt positae. Quod ceterum si eveniat, modo parietes non destruantur, quamvis loca crucium ex arte demoliantur, adhuc tenenda est consecrata Ecclesia; quia consecratio non opus tantum tectorium parietum afficit, et multo minus illa tantum loca, ubi cum unctionibus cruces fuere peractae, uti ex Decreto *Senien.* constat (*5 Maii 1882*), sed integros et totos parietes, consecrantur enim ad modum unius, et toti seu in omnibus singulisque partibus consecrati fuerunt. Cruces ergo, in casu, iterum apponantur eodem in loco, ubi aliqua demolitio facta est.

IV. *E Dioecesi Uladislaviensi.* **De commemoratione Tituli in suffragiis pro Seminariis.** Quaeritur:

An cuiusvis Seminarii alumni in sacris constituti obligentur in suffragiis ad commemorationem Patroni Seminarii, an Patroni Ecclesiae, ad cuius titulum sunt ordinati?

Resp. 1. Certe constat, alumnos Seminarii cuiuscumque teneri ad commemorationem in Suffragiis addendam Tituli Ecclesiae eiusdem Seminarii, modo haec sit publica, aut, etsi non publica, consecrata: idem dicas de Professoribus in eo degentibus. Decretum namque in *Briocen.* d. d. 21 Iulii 1855 ad 5 quaerebat solutionem sequentis primae quaestionis: « Utrum professores nec non seminaristae, in maioribus constituti Ordinibus, teneantur ad commemorationem festi Corporis Christi (*erat Cappellae maioris Seminarii titulus*) inter suffragia? » Responsum est autem: « Quoad primam quaestionem affirmative. » Cappella, de qua in casu, publica erat: an consecrata, non constat ex Decreto. Ex alio nihilominus, quod est in *Marianopolitana* d. d. 29 Nov. 1878 docemur, alumnos Seminarii teneri ad recolendum festum, proinde officium, tituli Oratorii principalis non publici eiusdem Seminarii sub ritu dup. 1. cl. cum octava; quia consecratum illud erat. Porro titulus Oratorii consecrati, si ius habet ad festum, ac si esset Ecclesiae publicae, a fortiori ius habet ad commemorationem in suffragiis.

Resp. 2. Quod commemorationem attinet patroni Ecclesiae, ad cuius titulum ordinati fuere, sequentia animadvertimus. Indubium est, unumquemque teneri ad officium tituli illius Ecclesiae cui est adscriptus; sed titulus Ordinationis, eiusmodi est naturae, ut ordinatus illi Ecclesiae censeatur adscriptus, in qua titulum possidet, seu

beneficium. Animadvertas vero, aliquos dari posse ordinationis titulos, qui, licet imponant obligationem officii recitandi, beneficium enim datur propter officium; nihilominus non imponunt obligationem officii tituli, eo quod Ecclesia, ad quam pertinet beneficium, ad festum titularis ius non possidet. Eiusmodi sunt Ecclesiae, quae severiori iure tales non sunt, uti illa Oratoria vel cappellae publicae, in quibus aliquae quidem exercentur sacrae functiones etiam solemnes, non tamen iure proprio, sed tantum subsidiario, et sunt omnino alii subiectae. Huiusmodi Ecclesiae, quae vix hoc nomen merentur, habere possunt aliquod beneficium simplex, uti Cappellaniam, quod pro titulo Ordinationis potest inservire; et nihilominus ius non habent ad festum titularis, more Ecclesiarum, quae proprie tales sunt. Quinimo in ipsis veris Ecclesiis haberi possunt tituli Ordinationis, qui officium titularis non important. In Ecclesiis enim fundatae esse possunt aliquae Cappellaniae, quae pro titulo Ordinationis sunt satis, et nihilominus ad recitationem officii titularis non obligant Ordinatum. Itaque de huiusmodi Ordinationis titulis nos non loquimur: ut qui tali titulo sunt ordinati non teneantur ad commemorationem Ecclesiae, in qua beneficium possident. Ni fallimur, hoc sensu intelligendum est Decretum *Neritonen.* d. d. 2 apr. 1667, quo edicitur *Beneficiatos* non teneri ad commemorationem de Sanctis utriusque *beneficii simplicis;* quia Ecclesia ius non habet ut Titularis Ecclesiae, vel proprie vel improprie dictae, festo liturgico recolatur.

Sed ab hoc casu abstrahentes dicimus, alumnos Seminarii teneri etiam, sicut ad officium, ita

etiam ad commemorationem in Suffragiis addendam illius Ecclesiae, cui sunt adscripti, proindeque ad com. Titularis Ecclesiae, ad cuius titulum fuerunt ordinati.

Quid nihilominus, si alumnus officium recitat in Communitate Seminarii, aut in choro suae Ecclesiae? Respondemus in casu teneri; ratione uniformitatis ad unam tantum commemorationem, Tituli nempe Ecclesiae Seminarii, si in hoc: Tituli Ecclesiae exterae, si in choro officium recitat. Si solus tamen recitabit officium, ad utramque obligatur commemorationem; quia duabus Ecclesiis est adscriptus, quae ad illam ius habent.

AD DUBIA
SUPER SACRIS CAEREMONIIS
RESPONSA

I. **De osculanda manu Episcopi a Diacono post benedictionem ad Evangelium.** Utrum Diaconus cantaturus Evangelium in Missa pontificali, accepta benedictione Episcopi, osculari debeat manum illius, vel non, quemadmodum erui videtur ex Caeremoniali Episc. cap. VIII, lib. II, n. 44? Et quatenus negative, utrum idem dicendum sit quando Diaconus in Missa Pontificali non est Canonicus?

Resp. Manus Episcopi in casu, osculanda non est, quia Caeremoniale Episc. (*loc. cit.*) dicit tantum de Episcopo: *Et facit super eum* (Diaconum) *signum crucis.* De Diacono autem, aliisque eum comitantibus, dicit tantum; post benedictionem

acceptam: « *Et statim procedunt ad Evangelium cantandum.* Porro eiusmodi osculum silere Rubrica nulla ratione potuisset, si revera osculari manum Episcopi Diaconus debuisset. Sed sapientissimae legis spiritus inspiciendus, ut luculenter appareat, eiusmodi osculum non habere locum. Namque in num. 42 eiusdem capitis lex praescribit, ut Diaconus, libro Evangeliorum in medio altaris posito, vadat ad Episcopum, *cuius manum reverenter osculatur*. Quare hic manus osculum? Ratio patet, quia postea non posset sine incommodo gradus throni conscendere librum in manibus tenens Diaconus iuxta Rubricam, et ad pedes Episcopi dicere *Iube Domne*, manumque illius deosculari. Hinc quod postea nequit, antea lex praescribit: ut deinde, accepto Evangeliorum libro, ad ultimum inferiorem throni gradum genuflexus Diaconus, et dicat *Munda cor meum*, et benedictionem accipiat ab Episcopo, quin iterum eius osculetur manum, cum iam deosculatus antea fuerit. Haec indubia Rubricae significatio, ut nemo ex peritis alium illi sensum tribuat, uti ex. gr. Castaldus, Bauldry, Martinucci, De Herdt: qui ultimus ad rem animadvertit: « Diaconus **hoc loco** (*ante* Munda cor meum, *et ante benedictionem*) manum osculatur, sicut in alia Missa solemni post receptam benedictionem (*Prax. Pontific. ad loc. cit. n. 99* (*b*) ». Eo quia, quod fieri convenienter potest in Missa solemni, nequit in Pontificali, saltem Episcopi throno utentis. Inferes, sive Diaconus Evangelii sit Dignitas, sive simplex Canonicus, sive simplex Presbyter, eodem modo eiusmodi ritus et caeremonia fieri debet; quia eadem est ratio, et lex semper est eadem.

II. **De reverentia Episcopo a transeuntibus ante illum post elevationem.** Quando Episcopus cum pluviali et mitra vel in cappa Missae solemni interest, transeuntes ante illum a consecratione ad communionem debentne ei facere reverentiam?

Resp. Consultius esse eam omittere, quia ubi maior, minor cessat. S. R. C. in *Asculana* 13 Augusti 1793 edicit, Sacramento publicae venerationi solemniter exposito, *nemini deberi reverentiam*, et in *Aretina* 27 Febr. 1847 ad 6 declarat, Celebrantem ad altare reverentiam Episcopo praesenti, eodem in casu, praestare non debere. Porro maxima est similitudo inter Sacramentum solemniter expositum et Sacramentum super altari tempore Missae. Hinc communiter reverentiae omittuntur in choro post elevationem, et alicubi fit etiam genuflexio, quando facienda occurrat, utroque genu ab introeuntibus vel discedentibus e choro. Hinc cum cl. De Herdt admittimus, iuxta praxim communem salutationes omittendas ab elevatione Missae ad communionem, uti in Missis aliisque divinis officiis, quae coram Sacramento exposito peraguntur. Excipe tamen quae ad invicem fiunt pro pace, vel alias similes quae, uti praefatus auctor advertit, potius ratione ritus fiunt, quam honoris (*Prax. Pontif. Lib. 1. n. 155*).

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1895.

ARCHAEOLOGIA SACRA

II. De Imaginibus B. Mariae Virginis in coemeteriis.

Maio florum mense vertente Virgini Deiparae sacro, quae florem pulcherrimum campi liliumque convallium candore lucis aeternae circumdatum germinavit, peropportunum est de eius imaginibus disserere quae in coemeteriis seu catacumbis, primis ecclesiae saeculis, udo illitis coloribus depictae reperiuntur. Hanc itaque tractationem veluti flosculum, amoris ergo, indignus ei famulus offero.

In parietibus ad coemeteria (1) duobus modis proponere solebat Ecclesia B. Virginem colendam: primo, gestantem unigenitum puerum Iesum, sive in ulnis suis, sive super genua; secundo, brachiis extentis orantem, veluti advocatam et mediatricem generis humani, ac persaepe oculis ad coelum sublevatis. Quamvis hoc posteriori modo ad vivum expressa imago vel martyrem aliquam vel defunctam non raro exhibeat, adeo ut saepius nequeat iudicari quis reapse repraesentetur, deficiente aliquo certo iudicio, tamen Deiparam tuto dignoscimus, cum ipsa divinum puerum gestat, vel cum ea orante adstat puer non orans.

Saepissime ad latus Virginis reges Magi conspiciuntur, pileo phrygio caput tecti orientalique veste succincti, qui ei puerum gestanti et in cathedra seu sella matronali sedenti

---

(1) Hoc verbo potius utimur, quia sic Romae appellantur Christianorum loca in arenariis, ubi cadavera deponebantur conventusque fiebant. Ea vero decursu temporis *catacumbarum* nomine distincta sunt; quamvis hoc postremum vocabulum proprium fuerit cryptarum earum quae subtus ac circum basilicam S. Sebastiani in Via Appia extenduntur.

dona offerunt. Ast cum desunt, mulierem cum nato suo tantummodo adspicientes, certi efficimur de Virginis imagine. Attamen advertendum est Magos Virgini adstare non tantum in picturis cryptarum sacrarum, primis Ecclesiae saeculis, verum etiam in sarcophagis, in aeratis laminibus, in numismatibus, in vasis aliisque veteribus cimeliis cuiuscumque loci.

Ecclesia itaque jam a suo exordio coepit Virginem sanctam una cum Unigenito in sinu effingere ut divinam maternitatem hoc ipso facto profiteretur. Quapropter autumandum non est hunc morem initium sumpsisse occasione haeresis Nestorianae in Concilio Ephesino, anno 431, damnatae, uti censent Protestantes ad Catholicorum doctrinam profligandam et quidam ex scriptoribus nostris bona fide, seu potius christianae artis ignorantia; sed eo temporis magis magisque invaluisse dicendum est; nobisque de hac re argumentum praebet opus musivum, quod Sixtus III, saeculo V, ad confirmandam doctrinam Ephesinae Synodus de divina maternitate iussit elaborari in Basilica Liberiana.

Plures sunt vetustissimae icones in coemeteriis sic ad vivum expressae; nos vero, ut probemus quod Virginis Deiparae cultus eodem tempore ortus in Ecclesia sit quo cultus Salvatoris nostri, eas indicabimus imagines in coemeteriis ipsis, cura et studio praesertim clarissimi viri Ioannis Baptistae De Rossi nobis patefactas, quae ad primam societatis christianae aetatem referuntur.

Icon celebris in coemeterio Priscillae Via Salaria, ad secundum lapidem, depicta udo ceroitur supra loculum; quod coemeterium Priscilla, Pauli Apostoli discipula et uxor Aquilae, suis sumptibus effodi curaverat, jam a tempore quc Petrus et Paulus romanis arcibus Christi fidem ex Asia invexerant. Icon igitur, primaevae artis christianae typum, studiose delineata, primo labenti saeculo vel primordiis secundi a Christo nato certe assignatur. Expressa ita cernitur Virgo: puerum Iesum in ulnis gestat pulcherrimo aspectu; caput eius brevi albo velo tegitur, et tunica induta est ac supra tunicam palla superaddita. Super eam in aere stella resplen-

det; ad dexteram vero, iuvenis adstat imberbis tomum gerens ac tantum pallio nudos humeros circumdatus, qui digito monstrat Virginem, quasi his verbis loquatur: En Virgo a Deo praesignata, quae Iesum parta sidus aeternae lucis, tenebras gentilitatis fugat.

Vir adstans probabiliter Ioseph est sponsus eius, quippe qui et in aliis picturis ac caelaturis sarcophagorum imberbis effingitur, cum non conveniant scriptores circa illius aetatem, quando Virginem in uxorem duxit, cumque Scriptura ipsa de hoc sileat. Veriori tamen ratione vir, philosophorum pallio indutus, Isaiam designat, qui de Virgine Deum hominemque paritura prophetavit, inquiens: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium* etc., deque ipso lumine in Christi nativitate oriundo, cum ait: *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis.*

Imago igitur haec pulcherrima, ex sententia Ioan. Bapt. De Rossi supra memorati, censenda est symbolice depicta mira arte, fere sub oculos Apostolorum, utpote quae in coemeterio reperiatur, ubi eorum discipuli ac senatoris Pudentis familia in pace depositi fuere.

Verum et aliae icones hoc in coemeterio reperiuntur, scilicet Maria ab Angelo salutata, ipsaque puero Iesu lac praebens, aut orans, aut puerum in templo, post triduum, inveniens.

Alteram Virginis insignem imaginem nobis offert coemeterium Domitillae Via Ardeatina, cuius origo est a tempore Domitiani imperatoris, quod nomen sumpsit a Flavia Domitilla martyre, clarissima foemina Flaviorum gente progenita. Virgo in cathedra sedit, quam Graeci thronum dicunt, dextera manu elevata; veste, quae dalmatica dicitur, induta est purpureis vittis ornata, velumque breve e capite pendet. Puer autem in sinu eius, super genua sinistrorsum, parva tunica indutus cernitur, quae ad ora vestimenti inferiora et super scapulas ornamentum praefert quatuor calliculарum (rotelle) ex purpura: etiam ora vestimenti, quod tenella brachia tegit, purpureis fasciolis distincta sunt. Hinc

inde duo adstant Magi dona ferentes, tunica succincti calliculis ornata. Et haec icon supra loculum ceruitur; quatuor vero Magi bini depicti sunt ad symmetriam obtinendam, cum B. Virgo medium locum teneat. In aliis autem picturis, vel sarcophagis, vel operibus musivis insequentis aetatis fere semper tres reperimus, iuxta ecclesiasticam traditionem, uti videre est praesertim in monumentis orientalibus et Romae in opere tessellato Sixtino ad S. Mariam Maiorem. Ob eandem symmetriae rationem aliquando duo tantum Magi ad latus Virginis conspiciuntur, uti in pictura coemeterii Sanctorum Petri et Marcellini, de qua mox dicemus. Imo eadem de causa in vase marmoreo, quod archaeologus Marchi olim in musaeo Kircheriano Urbis deposuerat custodiendum, sex Magos invenimus.

Tertiam imaginem Deiparae udo pariter depictam nobis conspicere datum est in coemeterio Sanctorum Petri et Marcellini ad duas lauros Via Labicana, quae saeculum tertium redolet. In cathedra sedet induitque tunicam purpureis vittis distinctam: puer Iesus, quem sinistro brachio amplectitur, super genua positus est; caput Virginis absque ullo velo: quod quidem non casu factum est, sed eo artificis consilio, ut nobis eius virginitas innotesceret; ex Romanorum enim consuetudine compertum habemus puellas tunc velum sumpturas cum nuberent. Et hic Magos intuemur, unum in utraque parte, dona offerentes. Pulcherrimum hoc picturae opus exquisita arte parieti illitum est.

Hae quas notavi imagines minime aureola seu nimbo, quo martyres sanctosque distinguere solemus, circumdatae sunt. Quod quidem ad rem nostram facit: evidentius enim comprobat illas ad primam Ecclesiae aetatem spectare, cum nonnisi saeculo quarto vertente hoc sanctitatis signo Ecclesia ipsa usa sit.

Etiam in coemeterio divae Agnetis, in via quae Nomentum pergit, conspicere licet imaginem Matris Dei in hypogeo recentius quam supra memoratas depictam ad modum orantis: velo caput tegitur, collum praetioso monili ornatur; supra tunicam palla seu stola matronalis sinuata colore caeruleo

superiecta est. Ante pectus eius pulcherrima effigies Christi Iesu assurgit, aetatis circiter annorum decem: pars vero inferior corporis, sive matris sive filii, ob madidas parietes tempore evanuit. Hic mos Virginem effingendi apud Byzantinos, sequentibus saeculis, multum invaluit, uti constat ex monumentis Graecorum Ecclesiae, ac numismatibus Imperatorum, qui Byzantii dominati sunt, praesertim ex iis Nicephori III, Alexii I, Ioannis II Comneni nuncupati, et Isaac II. Cum in Christianorum monumentis usitatissimus fuerit mos Christi monogramma apponendi, persecutionibus non amplius saevientibus, et praesertim cum Constantinus imperator vexillum, quod Labarum vocant, ad auras explicuit, ideo hanc, de qua loquimur, effigiem monogrammate notatam saeculo IV assignant archaeologi.

Neque id unicum exemplum est quod B. Virginem monilibus ornatam praebeat; ad significandum imperium eius clementissimum, tum in coelo tum in omni terrarum orbe, etiam subsequentibus saeculis eodem modo expressa est; uti olim conspicere datum erat in opere vermiculato oratorii Ioannis VII, in templo veteri Vaticano, quod Vultus Sanctus appellabatur; ubi Deipara apparebat orans manibus extensis, vestibus praetiosis induta, gemmisque ornata, ac monilibus e collo pendentibus, nec non aurea corona lapidibus distincta redimita.

Quaedam in catacumbis icones ad vivum tres personas exprimunt, Virginem scilicet, infantem Iesum ac virum; in quibus, uti recte advertunt Garrucci et De Rossi, sacram Familiam fas est deprehendere, quamvis etiam non raro defunctos illic quiescentes dignoscamus. Picturam huiusmodi insignem de sacra Familia admirari datum est in coemeterio Callixti.

Ex his igitur, quas hucusque descripsimus, B. Virginis imaginibus deducere licet eius cultum iam inde ab initio Catholicae Ecclesiae apud fideles invaluisse, quippe qui a cultu Christi nullatenus poterat separari, cum mater filio nexu arctissimo iungatur.

Quocirca diabolica certe suasione factum est ut tam celebris Deiparae cultus nostrisque cordibus melle dulcior, in

ea tempestate, quam contra Ecclesiam Lutherus et Calvinus aliique Nestorii ac Iconoclastarum vestigia sectantes suscitarunt, penitus deletus sit in germanicis oris insulisque Britanniae, magno cum animarum damno artisque detrimento. Languescit enim ars, ubi desunt praeclara ad opus incitamenta; ideoque apud catholicam gentem ars Virginem effingendi, tum pictoria, tum anaglyptaria, splendidius effloruit, opera praesertim Iotti, Donatelli, B. Angelici, Petri, Perusini nuncupati, Raphaelis aliorumque quamplurium; eo quod Virgo ipsa Dei mater, in qua omnia divinitatis dona elucent, pictoribus nostris atque poetis dulce incitamentum ac lux fuit ad pulcherrima quaeque perficienda.

Inspiciant igitur Protestantes in coemeteriis et ediscant, sanctamque Dei genitricem honore debito prosequantur. Neque quod ipsi obiectant admitti ullo modo potest, scilicet Virginem depictam saepius fuisse ad historiam evangelicam tantummodo illustrandam; ex dictis enim perspeximus Deiparae imaginem primum semper locum in picturis obtinuisse; figuras vero secundum; vel eo magis, quod, uti ex enarratis constat, historicam veritatem, exempli gratia de numero Magorum, neglectam fuisse deprehendimus. Ipsam ergo devotionis et cultus causa veteres christiani depingere persaepe solebant. Quod si doctrina haec antiquissima cum monumentis posterioris aetatis ac scriptis sanctorum Patrum comparetur, hic luculentius confirmabitur de illius veneratione consensus.

Etiam paucis ab hinc annis, ut exemplum extra Romam praebeamus, prope muros Carthaginis, sub ruinis sepulcreti christiani, Virginis imago nobilissimae caelaturae reperta est, saeculi III aut IV, puerum Iesum gestantis, cui angelus ac vir adstant. Sed admodum longus foret catalogus, si omnes Dei Parentis icones priorum trium saeculorum recensere vellemus.

Quapropter, sive coemeteria romanae urbis inspiciamus sive parietes basilicarum quamplurium, temporum iniuria aut hominum nequitia deletarum, nuper effossas, vel caemeteriorum vitros, laminas argenteas aeratasque ac alia cimelia, nec non anaglypta sarcophagorum scrutemur, id unum

luculenter patet Virginem sanctam veneratam iam ab incunabulis Ecclesiae fuisse, eiusque cultum ex Apostolorum ac martyrum fonte manasse, nobisque quasi in haereditatem pergratam ac praetiosissimam transfusum.

IOSEPH. SAC. CASCIOLI.

S. RITUUM CONGREGATIO

I.

MACAONEN.

Rm̃us Dñus Ioachimus de Medeiros, Episcopus Macaonensis, Ditionis Lusitanae apud Sinas, maxime cupiens ut sacri ritus in sua Dioecesi, iuxta ecclesiasticas praescriptiones ab omnibus serventur, insequentium dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humiliter petiit, nimirum:

I. Utrum presbyter qui Missam conventualem de Octava Omnium Sanctorum die 2 Novembris celebrat, possit ex parte uti concessione a Benedicto Papa XIV facta Regno Lusitaniae dicendi *tres* Missas pro defunctis, *alias duas* Missas de Requie celebrando?

II. Utrum occurrente *prima feria sexta* Novembris die quo fit commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, liceat Missam votivam celebrare de Sanctissimo Corde Iesu iuxta decretum Sacrae Rituum Congregationis 28 Iunii 1889?

III. Et quatenus affirmative ad II. utrum eadem die apud Lusitanos liceat celebranti praedictam Missam votivam, duas alias de *Requie* celebrare?

IV. Utrum feria V in Coena Domini in Missa Pontificali Presbyter et Diaconi assistentes, Canonicus baculum sustinens pluviali paratus, et Subdiaconus, si sint Presbyteri stolam assumere debeant priusquam de manu Episcopi communionem accipiant; an potius ad Sacram Synaxim teneantur accedere iisdem tantum modo paramentis, quibus utebantur ab initio Missae?

V. Utrum festum Ss. Cordis Iesu quod inter festa secundaria duplicia Primae classis in Calendario Universali ex Decreto 22 Augusti 1893 a Sacra Rituum Congregatione recensetur, quodque iamdiu apud Lusitanos ut primarium celebratur sub praecepto in utroque foro, addito etiam ieiunio pervigilii, nunc vi laudati Decreti celebrari debeat ut secundarium; an potius ut primarium in Lusitana Ditione retinendum sit?

VI. Utrum consuetudo, qua simplex Sacerdos vel Canonicus Missam solemnem celebrans, concionatorem, qui post Evangelium praedicat, benedicit, servari possit?

VII. Utrum Sacerdos qui festo Nativitatis Domini, vel die secunda Novembris in Lusitania, tres Missas consecutive legit, quin ab altari recedat, teneatur post unamquamque Missam recitare ter *Ave Maria, Salve Regina* et ceteras orationes iussu Sanctissimi Domini Nostri Leonis Papae XIII recitandas post Missam privatam, an potius semel tantum post tertiam Missam?

VIII. Utrum in choro ad Psalmum *Venite exultemus,* recitandum in tertio Nocturno festi Epi-

phaniae Domini teneantur omnes etiam Canonici stare detectis capitibus, dum praedictus Psalmus cum antiphona recitatur?

IX. Utrum occurrente Festo Annuntiationis Beatae Mariae Virginis feria VI in Parasceve vel Sabbato Sancto, in locis ubi hoc festum celebratur sub praecepto audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus, transferri debeat ad feriam secundam post Dominicam in Albis cum praecepto etiam pro populo?

X. Utrum feria VI in Parasceve retineri possit consuetudo in adoratione Crucis, ut ille, qui adorationem peregit, non recedat facta cruci genuflexione unico genu, sed ter genuflexionem faciendo utroque genu?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ac referente subscripto Sacrae Rituum Congregationis Secretario, omnibus accurate perpensis, propositis Dubiis respondere censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative, iuxta Rubricas.

Ad III. Provisum in praecedentibus.

Ad IV. Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.

Ad V. Attento speciali privilegio, Festum Ss. Cordis Iesu in Regno Lusitaniae est *per accidens* primarium.

Ad VI. Affirmative iuxta alia Decreta.

Ad VII. Negative, et preces praescriptae recitentur in fine ultimae Missae.

Ad VIII. Servetur consuetudo.

Ad IX. Detur Decretum generale diei 12 Februarii 1690.

Ad X. Post adorationem et osculum sanctae Crucis celebrans, ministri, clerus et populus surgant, genuflectant unico genu et redeant ad propriam sedem.

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 10 Maii 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. Aloisius Tripepi, *Secret.*

II.

URGELLEN.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Urgellensis, de sui Rm̃i Episcopi mandato, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia enodanda humiliter proposuit, nimirum:

I. Quum in Cathedrali Urgellensi non vigeat consuetudo recitandi Officium defunctorum, diebus a Rubricis designatis, quaeritur: An ibidem adsit obligatio celebrandi Missam pro defunctis ad tramitem Rubricarum Missalis Romani tit. V n. 1?

II. Die prima Octobris celebratur in Hispania festum Sancti Angeli Custodis sub ritu duplici secundae classis. Iamvero in variis codicibus ponitur ad Vesperas et ad Matutinum hymnus « *Tibi Christe* », desumptus ex festo Sancti Raphaelis Archangeli, mutata secunda stropha hoc modo: « Te laudamus venerantes — Omnes coeli principes — Sed praecipue Custodem — Huius regni et populi — Qui, te iubente, a malis — Nos tuetur omnibus »; in aliis autem codicibus notatur hymnus: « *Custodes hominum* ». Item in nonnullis codi-

cibus adsignantur secundae Vesperae Sancti Angeli Regni, sine commemoratione festi sequentis, nempe SS. Angelorum Custodum; in codice autem Ratisbonensi et in aliis ponitur commemoratio sequentis. Itaque ad omne discrimen tollendum quaeritur:

1. An dicendus sit ad Vesperas et Matutinum hymnus: *Tibi Christe,* mutata secunda stropha, ut supra?

2. An in secundis Vesperis, prouti in casu, facienda sit commemoratio sequentis?

Sacra porro Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ac referente subscripto Secretario, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Quoad primam partem: Legendum esse hymnum « *Tibi Christe* », mutata secunda stropha, ut sequitur: « Collaudamus venerantes — Omnes coeli milites — Sed praecipue Custodem — Huius regni et populi, — Qui, Te iubente, a malis — Nos tuetur omnibus ». Quoad secundam partem: Faciendam esse in II Vesperis Commemorationem SS. Angelorum Custodum. — Atque ita rescripsit et servari mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. — Die 10 Maii 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S. ALOISIUS TRIPEPI *Secret.*

SUPER DECRETO GENERALI
« *IN CATALOGO FESTORUM* »

(14 Aug. 1894).

COMMENTARIA

1. Decretum istud disponit: 1.° Festum Sacratissimi Cordis Iesu dup. 1. cl. utpote secundarium, cedere locum cuicumque alii festo primario eiusdem ritus, in occursu, concursu et repositione: 2.° Festum item S. Ioseph translatum, dup. 1. cl., locum eodem ut supra modó cedere alii cuicumque festo primario eiusdem ritus occurrenti: 3.° idem quoque servandum esse quod attinet ad festum translatum Nativitatis S. Ioannis Bapt.: 4.° idem servandum decernitur circa festum translatum, sine tamen feriatione, Annuntiationis Deiparae Virginis: 5.° hoc denique idem festum cum feriatione translatum antiquius privilegium servare, praevalendi scilicet cuicumque alii duplici, etsi primario, etiam occurrenti, primae classis. Cum huiusmodi dispositiones aliquid grave statuant, nec fortasse ab omnibus sacrae Liturgiae cultoribus earum ratio facile intelligatur, opportunum iudicamus nonnulla animadvertere, ex quibus et sapientia S. R. Tribunalis apprime innotescat, et quaedam norma generalis dignoscatur in similibus sequenda.

2. Super prima circa festum Ss. Cordis Iesu dispositione breviter observabimus, eam fuisse legitimum consectarium Generalis Decreti de pri-

mariis et secundariis festis, cuius legem applicare censuit S. R. C. etiam festo Ss. Cordis. Ratio fortasse est, ne statim post latam legem exceptio fieret, quae ceterum non est cur facienda esset. Exceptio enim est quaedam legis vulneratio, quam sapientius duxit vitandam S. Tribunal in casu, ut festum istud legi generali subiiceret. Praeterea per Decretum Generale d. d. 27 Iun. 1893 statutum fuerat, festum Ss. Cordis locum cedere tantum Dedicationi ac Titulo Ecclesiae, locique Patrono, ubi cum feriatione recolerentur. Nunc autem, cum Dedicatio et Titulus ad feriationem ius non habeant, et nihilominus pluribus in locis, ut cum feriatione celebrentur, dominico die peragantur; dubium facile exortum fuisset, utrum eiusmodi feriatio vim habeat, ut festum Ss. Cordis Dedicationi ac Titulo Ecclesiae locum cedat. Proinde, ut lex lata super primariis et secundariis festis exactius executioni mandetur, atque etiam, ni fallimur, ut omnis simul dubitandi locus amputetur, simplicior lex facta est, principium generale integre applicando quoque ad festum Ss. Cordis Iesu, et omnem distinctionem e medio tollendo. Hinc, ad hoc quod attinet, revocatum omnino censeas Decretum Gen. 27 Iun. 1893, adeo ut festum Ss. Cordis cedere semper locum debeat Dedicationi ac Titulo Ecclesiae propriae, sive cum feriatione, sive sine illa celebrentur, sicut alii cuicumque duplici primae classis, dummodo primario; idque sive in occursu, sive in concursu, sive in repositione, uti de aliis secundariis festis statutum est.

3. Quod vero attinet festum S. Ioseph translatum, paulo magis super eo nobis immorandum

est; namque haec est dispositio, de qua specialiter diximus superius, aliquid eam grave continere, quod et de festo translato S. Ioannis Baptistae comprobatur. Reapse Rubrica Gen. Breviarii verba faciens de S. Ioanne Baptista occurrente cum festo Ssm̃i Corporis Christi, nullam distinctionem ponit, sed ait simpliciter: « Si festum S. Ioannis Baptistae venerit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem (*Tit. X, n. 1*). Si ergo lex non distinguit, neque aliis dare videtur distinguendi facultatem: ut consequenter concludendum appareat festum S. Ioannis Baptistae in sequentem diem translatum esse celebrandum, haud obstante alio quocumque festo etsi occurrente, quod iuxta Rubricam transferendum videtur. Atque ita intellecta praedicta Rubrica hactenus fuit: quomodo ergo nunc S. R. C. distinguit inter festum occurrens primarium et festum S. Ioannis Baptistae translatum, disponitque hoc illi locum cedere? Immo, quod de S. Ioanne Baptista disponit, antea quoque statuit esse servandum circa translatum festum S. Ioseph, quod cum illo paris est iuris, seu ad ritum, seu ad solemnitatem quod spectat? En aliquid grave a S. R. Congñe statutum.

Cuius sapientia ut facile dignoscatur, animadvertimus primo adagium de supercitata regula distinctionis non admittendae quando neque admittitur a lege, respicere quidem particulares doctores, qui legem interpretantur, nunquam vero publicam personam legislatoris; legislator autem est in casu ipsamet S. R. C. quae proinde iure sibi proprio agit, legem Rubricarum interpretans. Praeterea, ab hoc quoque abstrahentes, ab re non

erit inquirere utrum, re quoque in se spectata, eodem sensu intelligi possit Rubrica, ut eadem S. R. C. non solum iure auctoritatis, sed et sapienter ita eiusmodi legem interpretata fuerit: quod non inficiandum credimus. Etenim, primo, Rubrica fortasse ita generaliter ac sine ulla addita distinctione locuta fuit, quia dies sequens 25 libera erat in calendario universali, quae postea tamen a Pio Papa VI anno 1785 impleta est cum festo S. Gulielmi.

Sed, quod magis praestat, animadvertendum est, festum quodcumque transferri posse, et quoad *se* et quoad *officium;* inter utrumque enim distinctio necessario facienda est, sicuti alibi in his Ephemeridibus ostendimus. In casu autem certum est festum transferri quoad *officium* tantum, non autem quoad *se,* cum festum in propria die, qua occurrit, recolatur. Non ergo datur occursus inter festum et festum, sed inter festum et officium. Aequum proinde est, ut in paritate ritus festum officio praevaleat. Denique animadvertendum, festum translatum tantum quoad officium nullam, si ritum excipias, ferre secum solemnitatem, quae adnexa est festo et festo die agitur. Licet proinde eumdem retineat ritum, inferioris tamen est conditionis quam festum occurrens, quod cum celebretur et quoad se et quoad officium, tota sibi propria solemnitate recolitur. Hac ergo quoque de causa convenit omnino, ut officium postponatur festo. Nil ergo hac authentica Rubricae interpretatione sapientius, quae statuit, festum translatum quoad officium tantum, non esse praeferendum festo quod occurrit, ob rationes expositas. Hinc quod Athenaeum nostrum Liturgicum hac super re

censuit, videlicet Nativitatem S. Ioannis Baptistae, si transferatur, non praevalere festo eiusdem ritus occurrenti cum feriatione, impraesenti in veritatem convertitur; idemque imo tenendum si absque feriatione duplex primae classis occurrat, et S. Praecursori translato praeferendum *(V. Ephemer. an. 1892 pag. 658).* Hinc qui aliter senserunt, impraesenti amplius non sunt audiendi, uti ex. gr. Cavalerius, qui docet: « In sequenti... die... Nativitas S. Ioannis Baptistae censenda est ut occurrens, adeoque transferri faciet festum quodlibet, licet Dedicationis, aut Titularis, aut Patroni, quod alibi occurreret *(Tom. II, cap. XII, Decr. XVII, n. 1).* » Hoc, inquam, falsum tenendum est, quia festum officio praevalet.

4. Opportune hic alia animadversio locum habet super sede *propria* et *tamquam propria* alicuius festi: quam loquendi rationem passim Decreta adhibent et doctores liturgici; sed fortasse eiusdem vis haud recte ab omnibus intelligitur. Licet enim videantur sedes *propria* et *tamquam propria* idem significare, differunt tamen, ita ut iure omnino pares non sint dicendae. Sedes enim propria significat diem, quo festum quoad *se* cum officio recolendum est, adeo ut haec sedes sit idem ac dies propria, dies festus, dies natalitia, vel quasi-natalitia. Sedes vero *tamquam propria* significat generatim festum translatum quoad *officium,* quod extra diem suam, qua occurrebat, recolitur: adeo ut idem ipsa sit ac dies *non propria,* dies non festus, nec natalitia aut quasi-natalitia, sed translata, quae tamen *tamquam propria* dicitur, quia sedi propriae subrogatur, vel ex occurrentiae legibus vel ex privilegio. Ex legibus

occurrentiae, duplex quodcumque nullam sibi sedem accipere valet nisi liberam ab officio novem lectionum: ex privilegio autem sedem quoque impeditam potest occupare, iuxta eiusdem privilegii extensionem.

Nunc autem sedis *propriae* natura fert, ut festum in ea positum non cedat nisi alii occurrenti potioris ritus, aut primario, aut superioris dignitatis; et hoc quoque ita convenit sedi *tamquam propriae*, ut officium quod in ea positum est, alii officio non cedat, nisi aut superioris sit ritus, aut primario, aut potioris dignitatis. Quando vero occurrunt simul sedes *propria* et *tamquam propria*, cum paris non sint iuris, nunquam vi Rubricarum, privilegio secluso, illa huic cedit locum. Hinc duplex quoque primae classis die propria impeditum eo usque pergere debet in calendario iuxta Rubricas, donec sedem reperiat, etiam a festo vel officio semiduplicis liberam. Quia dictum duplex, propria sede amissa, exturbare non debet festa alia vel officia, quae iam possident. Non debet exturbare festa, quia sunt in sede *propria*, neque exturbare debet officia, quia in sede *tamquam propria* sunt: nisi velis dicere hanc sedem esse *propriam* quod spectat officium, licet sit *tamquam propria* quod festum attinet.

5. Porro Decretum *In Catalogo* tribuit officio S. Ioseph, uti Rubrica officio S. Ioannis Baptistae, privilegium praevalendi festo occurrenti; ergo tantum praevalet, quantum legislatori placet privilegium extendere. Iam nunc S. R. C. declarat, officium S. Ioseph, sicut et Praecursoris, praeferendum esse quidem festo eiusdem ritus occurrenti, sed tunc solum quando hoc secunda-

rium sit, non vero quando sit primarium. Privilegium ergo inter quaedam confinia sapienter coarctatur: adeo ut, si officium festo praeferendum decernitur, respectus nihilominus habeatur ad primarium festum, quod officio praefertur. Atque ita proinde supercitata Rubrica intelligenda est, uti Decretum exponit; non enim convenit, ut officium eodem iure gaudeat atque festum; nec per consequens ut cuicumque festo in die tamquam propria praevaleat, quia cuicumque festo in die propria praevalet; par enim non est ratio. Quibus perpensis, iure nobis concludendum videtur falsum esse, festum aliquod, quod in die propria recolitur, et excipiendis exceptis, aliis omnibus praevalet, eadem de causa praecedere debere alii cuicumque festo, quando recolitur in die tamquam propria.

6. Haec quidem generaliter de festis occurrentibus; sed S. R C. in dicto Decreto ulterius procedit, declarans privilegium praecedentiae S. Ioseph et S. Ioanni Baptistae translatis concessum, non solum pro occurrentia valere, sed etiam pro concurrentia atque repositione (1). Animadverten-

(1) De repositione silemus, cum aliquid nos in Decreto, ad hoc quod attinet verbum, obscuri videamus. Agitur enim, non de occurrente, sed de translato festo S. Ioseph, uti S. Ioannis Baptistae et Annuntiationis Deiparae: quae proinde necessario repositioni subiacent. Quando ergo haec festa translata, seu officia, reponenda sunt, si dies repositionis ipsis iam assignata, a festo duplici primae classis occurrente impediuntur, debere locum cedere facile intellectu est. Item, quando haec eadem festa reposita cum duplici primae classis in die sua propria concurrunt, tunc quoque ea cedere debere locum et hoc comprehenditur. At vultne etiam dicere Decretum, haec eadem festa reponenda debere locum ce-

dum hic credimus, eiusmodi privilegium, quod ad ipsam concurrentiam extenditur, non competere profecto aliis quibuscumque officiis sive per accidens sive perpetuo translatis, repositisque in die prima libera iuxta Rubricas; sed esse proprium istorum officiorum ritus duplicis 1. classis, et primariis, quae translata reponuntur in diebus per se impeditis, ratione privilegii. Cum enim officia translata in die prima libera reponuntur, considerantur eiusdem iuris ac festa, cum quibus concurrere possunt: adeo ut vel dividant vel integras habeant Vesperas, vel solam commemorationem, vel nihil habeant, prout Rubricae praescribunt. At officia S. Ioseph et S. Ioannis Baptistae etiam in concursu cum festo aliquo secundario eiusdem ritus, praelatione quoque gaudent; et per hoc maius eiusmodi privilegium evadit ex ratione primarii quod habent.

Ex superius dictis facile inferas, emendatione indigere auctores omnes etiam recentiores, qui super translatione duorum dictorum festorum scripsere, vel ante huius Decreti evulgationem, vel etiam postea, si ad hoc idem Decretum non potuerunt attendere. Ita ex. gr. iuri praesenti adhaerere non potuit A Carpo, qui plura docet de S. Ioseph translato, quae nunc veritati non re-

---

dere alii festo, quod pariter esset reponendum? Iuvet exemplum: impeditur S. Benedictus pro Ordine relativo monachali, in quo est dup. 1. classis, et impeditur S. Ioseph, ut ambo haec festa sint reponenda. Cedetne locum S. Ioseph S. Benedicto? Hunc non credimus esse posse Decreti sensum, quia hoc in casu praevalere debet necessario dignitas, est enim utrumque festum translatum sed non paris iuris.

spondent (*V. num. 64, art. III, part. quart. Bibliot. Liturg.*). Similiter cl. De Herdt in ipsa ultima editione iuri praesenti non adhaeret, docens eumdem Sanctum praeferendum esse in translatione Dedicationi, et Titulo Ecclesiae, ac loci Patrono, ubi cum feriatione celebrentur (*V. part. 5, n. 91 ad d. 19 Mart.*). Atque ita emendanda quam primus auctor doctrinam exhibet super translato festo S. Ioannis Baptistae (*part. 4, n. 119*), et quam pariter alter tradit super eodem translato festo (*V. loc. cit. n. 98 ad d. 24 Iun.*).

7. Tandem ad translatum festum Deiparae Annuntiationis deveniamus. Duplex super eo statuitur dispositio: primo servandum de eo praescribitur quod pro S. Ioseph et S. Ioanne Baptista superius statutum est, quando sine feriatione transfertur: secundo, quando cum feriatione transfertur, iura antiqua illud servare uti in Decreto *Aquen.* decernitur. De hoc silemus, cum perspicuum sit, festum Annuntiationis, iuxta dictum Decretum, quando cum feriatione transfertur, cuicumque duplici primae classis praevalere. Aliqua tamen super prima dispositione oriri potest difficultas, et de illa aliquid dicemus.

Quinam ergo est sensus verborum Decreti « idem quoque servandum circa festum translatum... Annuntiationis Deiparae » ? Namque primo significare illa possunt, festum Annuntiationis translatum occurrens et concurrens cum festis primae classis in die propria, his locum cedere aut postponi, si sint primaria, praeferri si secundaria fuerint. Cum enim Decretum servandum dicat quod pro festis translatis S. Ioseph et S. Ioannis Baptistae statutum fuerat, videlicet haec

non praeferenda festis duplicibus primae classis occurrentibus primariis, idem dicendum videtur de aliis duplicibus occurrentibus primariis, cum quibus occurrere et concurrere potest translatum Annuntiationis festum. Secundum hanc autem Decreti intelligentiam festum translatum Annuntiationis licet 2. cl. praeferretur omnibus duplicibus primae classis occurrentibus secundariis, non tamen primariis.

Sed alius quoque esse potest dictorum verborum sensus, nempe, festum translatum Annuntiationis dupl. 2. cl. praeferendum esse tantum festis secundariis eiusdem ritus occurrentibus, sed non primariis. Ratio huius sensus est, quia Annuntiatio in Decreto assimilatur S. Ioseph et S. Ioanni, et de illa idem dicitur servandum quod de istis. At illa festa sunt duplicia primae classis, et cum duplicibus eiusdem ritus conferuntur; ergo et istud quod est duplex secundae classis, cum iisdem eiusdem ritus festis esse conferendum videtur. Hinc sicut Decretum dicit festum dupl. 1. cl. S. Ioseph et Praecursoris praeferri secundariis festis eiusdem ritus occurrentibus, sed non primariis; ita et dicere videtur, festum Annuntiationis dupl. 2. cl. praeferendum esse festis secundariis eiusdem 2. cl. ritus, non tamen primamariis. Adeo ut sensus praefatorum verborum esse videatur sequens: Sicut festa translata duplicis 1. cl. S. Ioseph et S. Ioannis Baptistae cedunt festis eiusdem ritus occurrentibus primariis; ita festum translatum Annuntiationis Deiparae Virginis duplex 2. cl. cedit festis occurrentibus primariis eius ritus.

8. Quaenam ergo vera est intelligentia Decreti circa Deiparae Annuntiationis festum? Fluctuamus animo, et quid respondendum omni cum securitate nescimus. Ex una parte enim primus sensus magis conformis apparet contextui, ut eodem modo Annuntiatio praevaleat vel non duplicibus 1. cl. sicut praevalent vel cedunt iisdem S. Ioseph et S. Ioannes Baptista. Sed huic sensui opponitur grave momentum, quod sequens est. Scopus Decreti est, declarare, sicut festa secundaria, ita et festa quoad merum officium translata, inferioris esse conditionis in paritate ritus, quam festa occurrentia. At si sensus Decreti esset quem supponimus, Annuntiationis officium dupl. 2. cl. praevaleret festis occurrentibus ritus duplicis 1. classis, quod videtur exorbitans. Namque in casu officium Annuntiationis non inferioris, sed superioris conditionis evaderet, nec tantum praevaleret festis occurrentibus eiusdem ritus, sed et ritus potioris: quod esset contra finem Decreti. Nec te confugias, ut negotium explices, ad privilegium, quo festum Annuntiationis, etiam sine feriatione translatum, decoratum fuit, praevalendi scilicet duplicibus primae classis; quia hoc verum est de festis translatis, falsum autem de festis occurrentibus, uti Decretum in *Aquen.* praedicat. Non videtur ergo verosimile, ut finis Decreti intendat quodammodo deprimere officium Annuntiationis, sicuti officia S. Ioseph et S. Ioannis Baptistae, dum e contra haec revera deprimeret, illud vero magismagisque privilegiatum redderet.

Alter vero sensus respondet quidem scopo Decreti, sed videtur esse potius interpretatio legis, quam lex, ut illum admittere nemo teneatur.

9. Quidquid sit, non possumus quin huic secundo sensui adhaereamus, primumque relinquamus. Primo, quia Decretum loquitur de duobus festis duplicibus primae classis, qualia sunt S. Ioseph et S. Ioannes Baptista, atque insuper de duplici 2. cl. qualis est Annuntiatio Deiparae. Supponi autem nequit, voluisse duplex 2. classis aeque privilegio donare ac duplicia 1. classis, nisi proportione ritus servata. Hoc autem significat in casu proportionem servari; ut nempe, sicut duplicia 1. cl. translata praeferuntur duplicibus eiusdem ritus occurrentibus secundariis; ita duplex 2. cl. translatum praeferatur duplicibus eiusdem ritus occurrentibus secundariis. Secundo, quia, si alio sensu intelligeretur Decretum, festum translatum Annuntiationis non responderet Decreti scopo, quod non depressum sed magis privilegiatum fieret, et etiam exorbitans est, ut superius animadvertimus. Tertio tandem, quia liturgica non concipitur ratio, ex qua officium ritus inferioris praevalere debeat festo ritus potioris. Ergo toto iure arbitramur, hanc et non aliam esse praefatae dispositionis intelligentiam.

Hisce conscriptis typisque mandatis, notitiam accepimus ab Emo S. R. Congr. Praefecto, Caietano Card. Aloisi-Masella, oraculum iam expetitum a se fuisse Summi Pontificis Leonis Papae XIII, utrum expediret festum tam praecellens, Annuntiationem Deiparae, arcanum includens mysterium Incarnationis, ad ritum duplicem primae classis evehere, uti Commissio liturgica proposuerat Emis Patribus ad novam instaurandam Decretorum Collectionem a Sanctitate Sua destinatis, hi autem unanimi suffragio probaverant. Et Eadem Sanctitas Sua, gravioribus auditis momentis, quibus innitebatur petitio,

respondere dignata est: Affirmative. Hinc, primo, superior animadversio tamquam non facta habeatur, quia Annuntiationis festum paris erit iuris ac festa S. Joseph et S. Joannes Baptistae. Secundo, certum arbitramur, quamprimum hac super nova sapientique dispositione evulgatum iri Generale Decretum. Tertio, controversiis omnibus, hoc eodem super negotio in his Ephemeridibus habitis, quippe quae omnes ritui duplici secundae classis huiusce festi innixae, dicendum vale.

Interim maximopere gaudemus nobis, quod videamus a S. R. Tribunali principium applicatum, pluries in nostris Ephemeridum paginis defensum, nempe diem *propriam* et *non propriam*, seu *festum* et *officium*, non esse paris iuris, nec quid unum idemque esse, sed omnino inter se differre, et festum occurrens, privilegio secluso, non esse praeferendum festo translato, seu officio.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VI.

Rubrica Breviarii Romani Tit. IX, n. 7 iubet de festo duplici minori et semiduplici, potiori festo impeditis, faciendam esse commemorationem in utrisque Vesperis et Laudibus: dummodo festum impediens non sit dup. 1. classis, quo in casu, sicuti duplicis minoris ita semiduplicis impediti, eo anno penitus omittenda est commemoratio.

Huic Rubricae innixus quidam redactor calendarii, festo semiduplici impedito a duplici II clas-

sis trinam semper assignat commemorationem, etsi tertia com. huius semiduplicis impediti facienda occurrat in primis etiam Vesperis sequentis festi duplicis 2. classis. Quod alteri sodali suo nequaquam arridet, quippe qui sustinet esse contra Rubricam alteram eiusdem Breviarii, nempe Tit. IX, n. 6; in quo edicitur, commemorationem semiduplicis iam celebrati, in primis Vesperis sequentis duplicis 2. classis esse omittendam. Hinc quaeritur:

1. *Quasnam vi Rubricarum et paenultimi Notandi post Concurr. tabellam commemorationes admittat dup. 1. classis, quasnam dup. 2. classis, in primis et secundis Vesperis, quasnam respuat, et quibus de causis?*

2. *Quomodo intelligendae et componendae Rubricae circa tertiam commemorationem semiduplicis ad simplicem ritum iam redacti, si Vesperae fiant de sequenti dup. 2. classis?*

3. *Quid de disceptantibus iudicandum, ut in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Caesaris Magliozzi ex alumnis Pontif. Seminarii Pii habita in Ecclesia Congregationis Missionis apud Curiam Innocentianam die 28 Februarii 1894: acta Epitoma a Rmo Dom. Dom. Roberto Marcucci ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris.

I. Praemittere ante omnia iuvet, commemorationem, uti hic sumitur, nil esse aliud, quam exiguam partem officii, atque hoc veluti repraesentantem, seu melius illius vicem ut plurimum facientem, cum ex legibus sive occurrentiae sive

concurrentiae alterum officium dignius seu solemnius peragendum est, alterum autem minus dignum ei cedat oportet. Hisce in rerum adiunctis officium minus dignum cum fieri nequeat, per commemorationem, nisi et eam ritus excludat, tantummodo recolitur. Commemorationes id genus *speciales* appellari possunt, et ab illis discriminantur, quas Rubricae *communes* appellant, de quibus hic non est locus dicendi. Aliquando commemoratio accipitur ad significandum festum integrum, sicque habetur in Breviario Commemoratio S. Pauli Apostoli die 30 Iunii, Commemoratio Passionis D. N. I. C. in aliquibus Ecclesiis, de quibus festis integrum recitatur officium. Sed de his quoque hic silendum nobis est, ac de illis tantum pertractandum, quae stant pro toto officio, illiusque vices supplent, uti iam diximus, docetque cum omnibus Guyetus *(Lib. IV, Sect. 1, cap. 1. quaest. 1)*.

Quaeritur itaque primo, quasnam ex his commemorationes admittant duplicia seu primae seu secundae classis tam in primis quam in secundis Vesperis, quasque proinde respuant, idque vi Rubricarum, et Notandi post Concurrentiae tabellam.

Ordinis ergo dicemus primo de his, quas admittunt duplicia primae classis, inde quas exigunt duplicia secundae classis, inspiciente, uti quaesitum postulat, peculiariter concurrentiam.

Duplicia primae classis, quando cum aliis concurrant in primis Vesperis, admittunt tantum commemorationem praecedentis duplicis primae et secundae classis, ac Dominicae maioris: item diei octavae ad simplicis instar redactae, feriarumque

Adventus et Quadragesimae: item praecedentis diei octavae Epiphaniae, praecedentis Dominicae in Albis, uti diei octavae Ascensionis et Corporis Christi: denique cuiuscumque Dominicae sequentis, dierum infra tres octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae et Corporis Christi: Romae autem etiam Ss. Apostolorum Petri et Pauli. Eapropter duplicia primae classis in suis primis Vesperis respuunt commemorationes praecedentium, de quibus vel actum est officium, vel facta commemoratio tantum in Laudibus: Dominicae cuiuscumque minoris, cuiuscumque duplicis tam minoris etsi ad instar simplicis redacti, quam etiam maioris ritus, et cuiusvis alterius diei octavae, aut etiam infra octavam, praenotatis exceptis. In secundis autem Vesperis dicta duplicia primae classis admittunt commemorationem cuiuscumque duplicis sequentis, sive maius sit sive minus, diei octavae, atque etiam semiduplicis: item commemorationem duplicis aut semiduplicis ad instar simplicium redigendorum, cum eorum commemoratio die sequenti facienda est: item diei octavae, si redacta fuerit ad instar simplicis: similiter admittunt commemorationes Dominicae cuiuscumque, etsi communis, ac feriarum Adventus et Quadragesimae: item dierum infra tres octavas, de quibus supra. Consequenter excluduntur commemorationes dierum infra alias octavas, et simplicium, licet concurrentium.

Duplicia vero secundae classis admittunt in primis Vesperis, praeter eas quae in duplicibus primae classis locum habent, commemorationem etiam cuiuscumque praecedentis duplicis, ex regula saltem generali, et cuiuscumque pariter duplicis (de semiduplici quaestio est) redacti ad instar

simplicis; excludunt vero commemorationes praecedentis Dominicae minoris, semiduplicis, ac diei infra octavam, dummodo non sint de tribus superius exceptis, de quibus facienda est, et a potiori commemorationem simplicis.

In secundis Vesperis, praeter illas pariter, quas admittunt duplicia primae classis, exigunt commemorationes cuiuscumque Dominicae, festique sequentis, licet simplicis, uti et cuiuscumque diei infra octavam, de quo fieri debeat officium: secus huius commemoratio omittenda.

Praedictas autem commemorationes faciendas vel omittendas in duplicibus seu primae seu secundae classis, aperte praescribunt Rubricae Generales *(Tit. IX De Commemorat.)*, numeris 5 et 6 peculiariter inspectis, collatisque cum aliis, seu praecedentibus seu subsequentibus numeris. Apertius autem clariusque de nonnullis exceptionibus loquuntur Notanda post Concurrentiae tabellam, uti de diebus octavis Ascensionis et Corporis Christi commemorandis in secundis Vesperis duplicis primae classis praecedentis: de diebus octavis Epiphaniae, Paschae etc. pariter commemorandis in primis Vesperis sequentis duplicis primae aut etiam secundae classis etc.

Quaedam tamen oritur obscuritas in collatione Tituli IX Rubricae Generalis, numero 7 inspecto, cum paenultimo Notando post Concurrentiae Tabellam, quod commemorationem spectat semiduplicis ad instar simplicis redacti in primis Vesperis duplicis secundae classis; sed de hoc in responsione ad alterum quaesitum. Interim ut primo faciamus satis, aliquid disserendum de causis, ex quibus duplicia primae aut secundae classis,

quasdam patiuntur, et quasdam alias respuunt commemorationes. Itaque imprimis ratio praefati discriminis ex ipso commemorationis nomine subministratur; quatenus indicat, officium aliquod celebrari vel in toto vel in parte non posse, quod impeditum, hinc commemorationem de eo fieri. Cum autem ex festis, quorum omittendum est officium, alia aliis ritu aut dignitate praestent, alia in tempus incidant privilegiatum, puta in Dominicas Adventus et Quadragesimae, alia in ordinarium anni cursum; hinc accidit, ut quandoque sola commemoratio fiat de illis festis, de quibus fieri officium nequit, secundum quod, aut ritus aut dignitatis ratio, aut vetitum translationis requirunt. Id autem oritur ex gradu solemnitatis, aut recolendi festi, aut officii omittendi: quae duo velut inversa ratione se habent, ut quo officium omittendum minori, et potiori festum celebrandum solemnitate gaudet, eo facilius primi commemoratio omittatur; sicuti ex opposito, quo solemnius est officium cedens, et minus solemne quod recolitur (non quidem ad primum relatione habita, sed ad alia, quae solemniora ipso esse queunt), eo difficilius illius commemoratio omittitur. Ita ex. gr. si festum duplex primae classis sit celebrandum, minores sunt numero quae fiunt commemorationes, quam si duplex secundae classis recolatur; ut eadem commemoratio, quae in hoc festo locum habere posset, in illo posset omitti. Atque ita ex altera causa, si ponas festum 2. classis concurrere cum festo duplici primae classis, illius erit agenda commemoratio; at si agatur de duplici minori, vel etiam maiori toto anni decursu non habente pro translatione locum, utriusque

commemoratio in duplici primae classis erit omittenda. Maiori namque solemnitate pollet festum 2. classis quam duplex minus, etsi Doctoris Ecclesiae, aut etiam duplex maius; horum proinde in casu omittenda, illius vero agenda est commemoratio.

Hoc autem sapienter Rubricae statuerunt, ut solemniora festa solemnius etiam celebrarentur, et quo solemniora essent ea, quorum omittendum est officium, eo difficilius saltem commemorationem amitterent.

II. Alterum ex quaesitis sciscitatur, quomodo interpretandae et conciliandae Rubricae, loquentes de tertia commemoratione semiduplicis redacti ad instar simplicis in primis Vesperis festi duplicis secundae classis.

Ratio petitionis ex ipsis Rubricis derivat, sicuti ex paenultimo Notando post Concurrentiae tabellam; quae enim in diversis locis dicuntur, inter se cohaerere non videntur. Revera prima ex Rubricis ad rem facientibus est quae Titulo IX n. 6 legitur, dicitque: « In festis autem secundi ordinis (*in duplicibus nempe secundae classis*), videlicet Circumcisionis, Sanctissimi Nominis Iesu etc. in primis Vesperis... de festis semiduplicibus non fit commemoratio, eo modo, quo nec in festo solemni alicuius loci ».

Altera est quae eodem in Titulo legitur n. 7, quae sic se habet: « De festis duplicibus et semiduplicibus, quoties.... reduci debent ad modum simplicis, fit pariter commemoratio, ad instar diei octavae et Dominicae, in utrisque Vesperis et Laudibus, praeterquam in omnibus Duplicibus primae classis ».

Notandum denique post Concurrentiae tabellam sic se exprimit: « In duplicibus tamen II classis de dictis festis (*duplicibus nempe et semiduplicibus ad modum simplicis redactis*) fit commemoratio in utrisque Vesperis, ad instar Octavae et Dominicae ».

Si ergo praefatae Rubricae singulae uti sonant accipiantur, habemus iuxta primam non esse agendam commemorationem semiduplicis in primis Vesperis duplicis II classis: iuxta alteram et tertiam, eamdem commemorationem agendam in iisdem primis Vesperis duplicis II classis, quia ambae praedicant, semiduplicia ad modum simplicium redacta esse commemoranda in utrisque Vesperis. Quod ergo in illa aperte negatur, in his manifeste asseritur, ut contrariae inter se videantur. Nihilominus, re penitius inspecta, inter se Rubricae concordant, ut contradictio nonnisi apparens dici possit et debeat.

Namque lex generalis per duas posteriores Rubricas decernitur, ex qua semiduplex ad simplicis instar redactum ius habet ad trinam commemorationem, nempe in primis, in secundis Vesperis et Laudibus, quemadmodum duplex minus dies octava, et Dominica ad eumdem ritum simplicem redacta. Haec lex generalis, quam nihilominus alia peculiaris lex de commemoratione semiduplicis in primis Vesperis duplicis II classis omittenda limitat, neque ex eo altera alteri Rubricae dicenda est opposita. Namque certum est, de duplici ad simplicis instar redacto extare legem de trina pariter commemoratione in utrisque Vesperis et Laudibus; at si post duas primas commemorationes sequatur duplex I classis, tertia com-

memoratio indubie omittenda est, ob rationem istius ritus qui illam excludit. Ita a pari, regula generalis est, ut semiduplex simplex factus trina gaudeat commemoratione; at si sequatur duplex II classis, tertia omittenda erit, utpote ab hoc ritu exclusa.

At obiicies, negari posse paritatem, quia si tertia commemoratio duplicis facti simplicis in primis Vesperis I classis omittitur, id accidit vi Rubricae, quae in tali casu illam excludit; sed nulla Rubrica tertiam semiduplicis simplicis instar redacti commemorationem prohibet in primis Vesperis II classis, imo eam Rubrica exigit, ut superius visum est. Respondemus, primam ex citatis Rubricis commemorationem semiduplicis vere et perspicue prohibet in primis Vesperis duplicis II classis, uti legenti patet. Neque interest, si agat de semiduplici simpliciter, non de redacto ad ritum simplicem; quia semiduplex concurrens magis est quam semiduplex instar simplicis redactum: ut si de illo fieri in casu non debeat, neque de isto facienda sit.

Quod si altera et tertia ex citatis Rubricis exigunt tres commemorationes semiduplicis ad instar simplicis redacti, dicunt etiam easdem commemorationes esse faciendas uti pro die octava et Dominica. Atqui tertia commemoratio Dominicae ad ritum simplicem redactae in primis Vesperis II classis est omittenda; ergo a fortiori omittenda est commemoratio semiduplicis, quod ad eumdem simplicem ritum redactum est. Itaque Rubrica iubens, ut in duplici II classis de duplicibus et semiduplicibus ad modum simplicium redactis trina commemoratio fiat *ad instar diei*

octavae et Dominicae, manifesto duplicia assimilat diebus octavis, et semiduplicia Dominicis. Nunc autem de diebus octavis in casu tres fiunt commemorationes, sed de Dominicis nonnisi duo, et tertia omittitur; ergo in duplici II classis tres faciendae sunt commemorationes de duplicibus, et duae tantum de semiduplicibus, ad ritum simplicem redactis. Consequenter, supervenientibus primis Vesperis duplicis II classis, tertia commemoratio dicti semiduplicis fieri ex Rubrica non debet. Ceterum quomodo supponi potest, voluisse Rubricam semiduplex Sancti maiori privilegio ditare, quam semiduplex Dominicae? Hoc ipsis Rubricis omnino repugnat. Ita ergo et non aliter credimus Rubricas relatas esse intelligendas et componendas, utcumque se exprimant.

III. Denique ultima petitio inquirit, quid sit de disceptantibus iudicandum.

Facilis post hucusque dicta responsio. Uti legere est, habetur semiduplex in ritum simplicem redactum, quod invenitur in concurrentia duorum festorum, quae duplicia sunt II classis. De illo duae iam factae sunt commemorationes, et tertia facienda maneret dum primae agendae supponuntur Vesperae de alio duplici II classis, concurrente cum primo. Tres autem hypotheses fieri queunt, non ritus aequalitate, sed dignitate festorum concurrentium inspecta: aut integrae Vesperae faciendae sunt de sequenti, aut dimidiandae, aut integrae de praecedenti cum commemoratione sequentis. In prima hypothesi, iuxta superius exposita, omitti debet tertia commemoratio semiduplicis, ut probatum est; et errasset Calendarii redactor, qui eam faciendam notavit. In altera

hypothesi idem dicendum arbitramur, quia aguntur, licet a Capitulo, eaedem primae Vesperae de duplici II classis, quae tertiam semiduplicis commemorationem excludunt. In ultima autem hypothesi, cum primae Vesperae non fiant de dicto duplici II classis, semiduplicis commemoratio potius agenda videretur; sed nihilominus etiam excludendam iudicamus. Ratio est, quia quamvis Vesperae de sequenti fieri nequeant, ius tamen ad illas possident, quia concurrunt, proindeque et commemorationem semiduplicis excludunt.. Ad rem cl. De Herdt de festo simplici verba faciens, quae ad propositum nostrum apprime quadrant: « In festo duplici 2. classis eius *(simplicis)* commemoratio non fit in primis Vesperis, etiam in casu, quo Vesperae fiunt de praecedente digniori dup. 2. cl.; quia quamvis duplex 2. cl. in suis secundis Vesperis admittat commemorationem simplicis concurrentis, hic tamen omitti debet ob sequens dup. 2. cl., quod excludit commemorationem simplicis in suis primis Vesperis; et quamvis Vesperae de eodem non fiunt, habet tamen ius ad illas, et consequenter ius excludendi commemorationem simplicis (1). Hoc declaravit S. R. C. (2) quoad commemorationem Dominicae in eodem casu, et idem igitur magis de simplice dicendum est *(Pars 4, num. 254)*. » Ubi notandum, agi de semiduplici dominicali ad simplicem ritum redacto; ergo a fortiori idem dicendum de semiduplici Sanctorum, redacto in eumdem simplicem

(1) Gavantus, Sect. 3, cap. 11, n. 15: et Merati ibid.
(2) 27 Mart. 1824, n. 4454-4604, 1.

ritum. Quod, praeter alia, etiam in Calendario Lateranensis Ecclesiae servatum vidimus; die enim 20 Maii occurrit Festum Ss. Trinitatis dup. II classis, eiusdemque ritus festum translatum Inventionis S. Crucis die 21. Cumque praefata die 20 occurrat S. Bernardinus Senensis semiduplex, huius tertia commemoratio in secundis Vesperis Ss. Trinitatis omissa est, quia concurrebat Inventio S. Crucis, de qua sola commemoratio notata est iuxta Rubricas, ad Vesperas tamen ius possidebat. Hinc iure merito censendum recte iudicasse alterum, ut fert casus noster, ex Calendarii redactoribus, qui dictam tertiam commemorationem omittendam esse tenuit.

DUBIUM

Ad quem spectet solemnes functiones in cathedrali Ecclesia peragere, quae a locorum Ordinariis celebrari solent, his impeditis vel absentibus?

Primis Ecclesiae saeculis, die Dominica tantum, quae tunc temporis solis dies a gentilibus, prima Sabbati a Christianis nominabatur, sacrosanctum missae sacrificium celebrari solebat, ut docet S. Iustinus martyr in apologia secunda, ubi de Christianorum conventibus agens solius huius diei meminit, *solis ut dicitur die fit conventus*, quamvis tamen, si Epiphanio credendum sit, Apostoli tres in hebdomada dies ad id muneris statuerint, Dominicam scilicet et quartam sextamque

feriam. Et quemadmodum non quavis die, sic etiam non a quovis sacerdote pro suo lubito sacra mysteria peragebantur, nam etsi aliquando et presbyteris annuente Episcopo celebrare fas erat, plerumque tamen in fidelium conventibus, Episcopus ad populum concionem habebat et deinde Eucharistiam conficiebat, simul cum eo consecrantibus omnibus qui aderant presbyteris.

Crescente vero fidelium numero, haec disciplina in Ecclesia praesertim Occidentali, immutata fuit, et presbyteri frequentius celebrare inceperunt, sed tamen ex innumeris Ecclesiae monumentis patet, Episcopos in publico solemnioribus diebus semper divina mysteria confecisse. « Sane, si Romanos antiquos Ordines consulamus, ait Catalanus, vel ipsi Pontifices maximi frequenter divina officia, quae per annum occurrunt, Pontificali ritu et summa cum solemnitate celebrabant. Diligentissimi in ea disciplina servanda fuerunt quoque et olim Episcopi; sed quum sequioribus saeculis segniores facti essent, huic abusui occurrens Rubrica Caeremonialis, aliquos enumerat dies, in quibus solemne est ut Episcopus pontificaliter celebret in sua Cathedrali Ecclesia. Immo duae sunt festivitates, in quibus idem Caeremoniale Episcopis gravem obligationem facit agendi Pontificalia, ut animadvertit Gardellini ad Decret. 4565, Nativitatem nempe Domini in qua tertiam missam « omnino cantabit Episcopus » l. 2, c. 14, et Pascham Resurrectionis in qua « Episcopus nisi aliquo legitimo impedimento fuerit praepeditus, Missam solemnem omnino cantare debet » l. 2, c. 29, n. 1.

Sed quum aliquando Episcopus impeditus sit quin illas functiones ipse peragat, magna oritur

quaestio, cuinam nempe eo in casu competat illarum functionum celebratio. Multa, ne innumera dicam, circa hanc materiam edita fuerunt decreta, nec mirandum sane; agitur enim de materia quae saltem aliquando humanae vanitati ansam praebere potest, de materia quae in Canonicorum Capitulis saepe agitari solet, unde controversiae multae, ad quas dirimendas Eminentissimi Patres purpurati, Sacris Ritibus tuendis praepositi, laborem et operam impendere saepissime debuerunt. Aliquando Dignitates, aliquando Hebdomadarii, aliquando Vicarii generales praedictas functiones ad se pertinere contenderunt: Sacra autem Rituum Congregatio semper tenuit, ut iam declaraverat anno 1606 die 25 Feb. in *Neritonen.*, Missas solemnes, Processiones, Officia divina et alias similes functiones, quas faceret Episcopus si praesens esset, et quae ad ipsum pertinent, Episcopo absente vel impedito, non ad Vicarium, non ad Hebdomadarium, sed ad Dignitates (dummodo sint in Sacerdotio constitutae), et Canonicos pertinere successive et non alternatim, id est: si Episcopus praesens non erit, prima Dignitas celebrabit, vel Officium faciet quod ad Episcopum praesentem pertineret, et ea impedita vel absente succedet secunda Dignitas: et secunda impedita, tertia; et omnibus Dignitatibus impeditis vel absentibus, primus Canonicus succedet et sic per ordinem successive faciendum est. Nec Episcopus et multo minus prima Dignitas possunt pro suo arbitrio praefata munia alteri demandare, quam digniori ordine successivo (1013 ad 2). Praecedenti dispositioni non obstat quod Dignitates non sint de Capitulo, id est Canonicatum non habeant (1561): non obstat quod Vi-

carius Generalis pro se habeat contrariam consuetudinem (1177), quae nihil aliud est nisi abusus (1972 ad 1): vel favore Vicarii contraria dispositio facta fuerit in Synodo (1013 et 1972), vel illius favore Episcopus ediderit Decretum (611). Nec officit primae Dignitati pactum contrarium inter partes conventum et ab Episcopo adprobatum (2513).

Nihilominus Sacra Congregatio consuetudinem contrariam legitime probatam favore hebdomadarii admittit; (2520) hoc etiam sensu, iuxta Decretum in una *Mediolanen.* (1448 ad 2) quod videlicet servanda si tconsuetudo, si adsit, ut prima Dignitate impedita, ceterae Dignitates vel Canonici vel hebdomadarius per vices seu turnos Officia de quibus agitur celebrent.

Posito autem generali principio quod functiones quas Episcopus si praesens esset ipse celebraret, illo absente Primae Dignitati committendae sunt, nunc ad casus particulares est deveniendum, inquirere scilicet praestat quaenam sint taxative illae functiones. Reapse si decreta S. R. C. perlegamus, quam maxima contradictio primo intuitu sese nobis offert. Inter Functiones quae ad Primam Dignitatem, impedito Episcopo, pertinent, Decretum in *Andrien.* (2603) recenset Commemorationem Omnium Defunctorum, distributionem Candelarum, Cinerum, Palmarum, et Officium feriae VI in Parasceve; et Decretum in S. Miniati delationem SS. Sacramenti in Processione Corporis Christi. Alia vero extant decreta, ut illud in *Nicoteren.* et *Tropien.* (5308) quae declarant Primae Dignitati competere solas functiones descriptas in libro 2, c. 1, et 34 Caeremonialis Episcoporum.

Sed si intimius perscrutemur S. R. C. doctrinam, omnis evanescit contradictio. Decretum enim in *Nicoteren.* et *Tropien.* quod excludit omnes functiones non descriptas in Caeremoniali lib. 2, c. 1, et 34 sic se habet: « Dub. I. An praecisa consuetudine inter Functiones Pontificales quae absente vel impedito Episcopo spectant ad Primam Dignitatem, sint etiam accensenda Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, et Officium Feriae VI in Parasceve? Dubium II. An Functiones Pontificales praememoratae sint illae tantum, quae recensentur Cap. 1, et 34. Libri II Caeremonialis Episcoporum, prout ex declarationibus ipsius S. R. Congregationis diei 7 Aprilis 1696 et 22 Iunii 1697 in *Abellinen.* et die 7 Decembris in *Hydruntina* Praeeminentiarum n. 9 clarissime eruitur; vel potius illae omnes quae in una *Andrien.* diei 3 Decembris 1672 nominatim designantur? — Sacra vero Rituum Congregatio...., omnibus mature perpensis rescribendum censuit. Ad I. Negative. Ad II. Affirmative ad primam partem: Negative, ad secundam ». Quo in decreto sedulo notanda sunt verba « seclusa consuetudine », ex quibus verbis aliqua via panditur ad apparentes contradictiones solvendas, ex quibus verbis fundamentum praebetur ad aliquam distinctionem instituendam.

Distinguendum est igitur inter Functiones quae in omnibus dioecesibus, sive adsit consuetudo sive non, primae Dignitati competunt, et Functiones quae illi non competunt, nisi in dioecesi talis vigeat consuetudo, in Functiones scilicet quarum celebratio primae Dignitati ipso iure tribuitur, et in Functiones quarum celebratio primae Dignitati tribuitur, primario quidem a consuetudine, secun-

dario vero a iure, seu ut clarius loquar a consuetudine iure sancita.

Priores sunt illae tantum quae in Caeremoniali Episcoporum l. II, c. 1 et 34, descriptae inveniuntur.

Posteriores sunt aliae omnes quae passim in Decretis S. R. C. reperiuntur.

Priores sunt:

1.° Missa solemnis in die Nativitatis Domini, in festo Epiphaniae, feria quinta in Coena Domini. in Dominica Resurrectionis, in die Ascensionis, in Dominica Pentecostes, in Festivitatibus Immaculatae Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis B. Mariae Virginis, in festo S. Ioseph, in festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, in festo omnium Sanctorum, in festo Sancti Titularis Ecclesiae, et Patroni, in die Anniversario Dedicationis Cathedralis Ecclesiae.

2.° Vesperae solemnes in vigilia praedictarum festivitatum exceptis feria IV maioris Hebdomadae et Sabbato Sancto, exceptis quoque vigilia Annuntiationis et vigilia S. Ioseph si venerint in Quadragesima, nisi occurrant illae festivitates feria secunda.

3.° Vesperae solemnes in festivitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Resurrectionis, Sancti Titularis et Patroni, et in festivitatibus Annuntiationis et S. Ioseph si venerint in Quadragesima die feriato, dummodo tamen primae Vesperae illarum festivitatum, dato casu quod occurrant feria secunda, solemniter celebratae non fuerint in Dominica praecedenti.

Inter posteriores Functiones sunt accensendae Processio SS. Sacramenti sive in solemnitate Cor-

poris Christi, vel in octava, sive in Oratione XL Horarum (dummodo ipsa Dignitas Missam solemnem celebraverit); Benedictiones candelarum, cinerum, palmarum, et Fontis (dummodo eadem Dignitas postea solemnem agat Missam, nam Missam non celebrare et palmas, candelas, cineres et Fontem non benedicere unice competit Episcopis ordinariis, ut S. R. Congregatio declaravit in una *Liburnen.* 5140). Ablutio pedum Feria V in Coena Domini, Absolutio super Defunctis in Commemoratione omnium Defunctorum.

Ad dubium igitur propositum sic respondendum est: Functiones quas Episcopus, si praesens esset nec impeditus, celebraret, eo absente, impepedito aut defuncto, competunt primae Dignitati aliisque successive, et non alternatim, dummodo sint aut ex descriptis in Cap. 1, et 34 Libri II Caeremonialis Episcoporum, aut ex illis, quas relativa Ecclesiarum consuetudo invexit. Quando nihilominus prima Dignitas est impedita, servetur locorum consuetudo: adeo ut, vel ab aliis Dignitatibus successive, vel alternatim, vel a Canonicis per turnos, vel a Canonico Hebdomadario celebrentur.

Iniucundum forte lectori non erit hic reperire indicata praecipua decreta, quae circa hanc materiam in Gardelliniana Collectione extant, et ex quibus certam, quantum videmus, responsionem exhibitam hausimus.

110,	187,	262,	275,	292,	335,	348,	366,
421,	440,	482,	483,	485,	591,	597,	604,
611,	656,	687,	692,	695,	702,	736,	739,
759,	820,	924,	930,	938,	975,	998,	1013,
1015,	1073,	1082,	1148,	1173,	1174,	1177,	1185,

1226, 1253, 1273, 1276, 1283, 1300, 1356, 1414, 1448, 1480, 1539, 1561, 1668, 1673, 1972, 1979, 2299, 2513, 2520, 2527, 2603, 2683, 2710, 2997, 3373, 3384, 3429, 3612, 3619, 3665, 3719, 3855, 3900, 3942, 3962, 4358, 4423, 4479, 4481, 5140, 5308.

MANUALE NOVISSIMUM

PRO VISITANDIS ECCLESIIS A VICARIIS EPISCOPALIBUS ET FORANEIS

(Contin. v. n. 4. pag. 238).

110. Loricae septum vulgo Balaustrata. Presbyterium convenit omnino ut clausum maneat a loricae septis, ex marmore, aere, lignove, sive cancellis quantum fieri potest elaboratis, cum sanctior sit locus ac veneratione dignior totius Ecclesiae, ad quem solis Sacerdotibus, sacrisque ministris aliisque de clero accessus patet pro sacris officiis peragendis.

De clathris cappellarum et cancellis sic praescribit S. Carolus (*ib. c. 15*). " Ab anteriori uniuscuiusque Cappellae etiam maioris parte, unde ingressus fit, clathra ferrea cubitis tribus alta (*met. 1.25*) in summo gradu Cappellae figantur: nec vero tamen aliquando altiora prohibentur, ubi praesertim hoc septo tutiora et munitiora esse oportet. Eaque omnia, ubi per facultates potest, parvulis pilis aut vasculis ad

aliquam speciem decore confectis, in parte tum ima, tum media, tum summa exornari debebunt „.

" Si vero Cappella, ut aliquanto maior sit, octanguli sexangulive formam exhibet; clathra itidem in eius summo gradu figantur, quae ei formae respondeant „.

" Ab ima vero parte per altitudinem circiter cubiti (*cent. 44*) opere aliquo artificioso ferreo illa inter se dense instructa sint, ut canibus ingressus nullus sit. In clathrorum medio ianua clathrali etiam opere decenter constituatur, quae valvis utriusque et pessulo ac sera claudatur „.

" Ubi vero vis et copia ferri, quo ad Cappellarum instruendarum usum clathra conflentur, haberi minus potest, si ibi lapides solidi, marmorave apparari queant, e marmore aliove solido lapide columellae opere (quod vocant *balustrio*) addita coronice fieri poterunt, aliquanto clathris ferreis humiliores, quibus Cappellarum pars anterior septa ornetur atque instruatur „.

" Quibus autem in Ecclesiis, Cappellis, altaribusve prae tenuitate facultatum, nec clathra ferrea, neque marmoreas lapideasve eiusmodi columellas, ad saepiendi, ornandique usum comparari posse Episcopus iudicaret; in iis id opere ligneo polito ac tornatili praestari eiusdem concessu poterit. Cancelli autem lignei depressiores itidem ac humiliores, quam clathra ferrea aliquanto esse debebunt, in quorum summa parte ad ornatum coronix apponatur „.

Itaque solemnitatum tempore Sodalibus quacumque veste indutis intra presbyterium ingredi non licet, etiam consentiente Parocho (*Urbis S. Ioannis in Ayno, 28 Iul. 1789*). Praeterea nemo ex laicis, quacumque auctoritate praeditis, secundum S. R. Congregationis Decreta plura, ius habet scamna aut se-

dilia in presbyterio habendi dum divina officia in Ecclesia peraguntur; nec licet magistratibus aut iudicibus laicis proprias dignitatum sedes in choro praedicto aut presbyterio occupare, etiamsi aliquando id eis permissum fuerit. Nec laicis tantum, sed ipsis ecclesiasticis, aut amicis et familiaribus Episcopi, habitu ordinario et nigro indutis S. R. C. prohibet sedere aut stare in eodem choro. Familiares Episcopi admitti solum possunt, eo functionem peragente, in loco ubi credentia collocatur. Item laicis de iure non licet chorum et presbyterium ascendere ad Missas audiendas vel conciones, nec non ad interessendum divinis officiis et benedictionibus Ss. Sacramenti; idque Episcopus sub poenis eius arbitrio imponendis exequi faciat. Haec itaque in mente recolat Visitator; et quantum fieri possit, curet, ut laici locum ecclesiasticorum proprium sibi non arrogent; et si quid anteacto tempore factum fuisse noverit in contrarium, prudenter provideat, ne scandala quoque exoriantur aut dicteriae in populo.

107. Scamnum pro sacris ministris. Pro altari principe, ubi Missa cani frequentius solet, Caeremoniale Episc. (*Lib. 1, cap. 13, n. 22*) scamnum peculiare praescribit, a parte epistolae collocandum, in quo Celebrans sedeat, ac sacri ministri. Illicitum namque iis est sedibus cameralibus uti, sed scamnum oblongum requiritur panno coopertum. Siquidem S. R. C. suo decreto generali (*17 Septembris 1822*) a Pio VII adprobato reprobavit atque damnavit *usum adhibendi pro celebrante loco scamni, sedes Camerales vulgo* POLTRONE. Huiusmodi scamnum si apud gradus altaris sit, gradus habere non debet, neque suppedaneum elevatum, sed tantum dorsuale fulcrum, seu *postergale* (*Burgi S. Sepulchri, 4 Apr. 1699 ad 2*). Si vero apud

parietem collocatum sit, nihil prohibet gradum habere, sicut videtur in Ecclesiis quoque diligentius directis. Hinc cl. Martinucci haec ad rem docet: " In cornu epistolae statuetur scamnum cum modico dorsuali seu postergali, quo Celebrans cum ministris consedebit: scamnum instruetur aulaeo laneo, quod conveniat solemnitati: oportet ut scamnum sit aequale, sine fulcris, sine prominentiis, aut discrepantia ulla pro Celebrante: nullus, ne Celebranti quidem, supponatur pulvinus; licebit tamen uti exiguo suppedaneo ligneo, quod exiguo quoque contegetur tapeto viridis coloris „. Nihilominus Gardellinius (*Not. ad Decr. Tiburtina 27 Martii 1824 ad 3*) animadvertit: " Caeremoniale nec formam praescribit nec ornatum, quae duo accidentalia sunt, et varia esse possunt iuxta diversas Ecclesiarum consuetudines, dummodo certos intra fines coerceantur. Scamni nomen genericum est, et aeque potest intelligi tam de scabello oblongo, quam de lignea pariter oblonga sede cum suo postergali: excludit vero sedes camerales. „ Decretum vero mox citatum in *Tiburtina* declarat permissum idem postergale etiam *serico damasceno rubro coopertum*, uti etiam mos viget in pluribus quoque Ecclesiis observantioribus Urbis. Ex varietate autem opinionum patet, colorem postergalis vel rubrum esse posse, vel album, vel violaceum, lege tacente, dummodo tempori et solemnitati respondeat, melius tamen semper viridem.

108. Abacus. Parva quoque mensa, iuxta Caeremoniale Episc. (*Lib. 1 cap. 12, n. 19, 22*) adesse debet, quam abacum seu credentiam vocant, a parte epistolae, prope altare, maxime princeps. Eius finis est, ut contineat pro Missa solemni candelabra, calicem paratum, ampullas, campanulam etc. Nullus in ea ornatus requiritur, esse debet in plano, sine cruce, re-

liquiis aut alio aliquo, et panno simplici albi coloris circumdata. Eadem, vel quid aliud pro credentia, convenit quoque ut sit in singulis altaribus, ut ampullae et campanula, aliaque ad Missam pertinentia desuper collocentur. De his singulis edoceatur Visitator, et de quibuscumque, quae ad maiorem Missae decorem inserviunt, accurate disponat atque decernat.

113. Chorus. Cum ut plurimum in ecclesiis inveniatur chorus a posteriori altaris parte situs, videat et hunc locum Visitator, num scilicet sedilia decenter serventur, et utrum aditus ad chorum commode fiat quin accedentes transeant per presbyterium.

In ecclesiis presertim ruralibus in choro accedunt laici ut adiuvent parochum in cantu, hoc non est improbandum cum Episcopi id videntes non vetent, imo explicite permittant. In aliquibus tamen dioecesibus laici in choro admittuntur tantum quando aliquo habitu confraternitatis sint induti, omnino autem et ubique a choro reiiciuntur foeminae, etiam puellae. Quid dicendum sit de usu audiendi sacrum a laicis viris in choro, nullo habito confraternitatis indutis? Usus generalis videtur in villis et montanis regionibus, Parochi in hoc, et Visitatores tolerantes esse suadet ratio, imo et necessitas.

114. Lectorile. In choro non desit lectorile maioris vel minoris amplitudinis pro nobilitate et praestantia ecclesiae, de quo audiatur S. Carolus in suis Instructionibus Fabbr. Eccl. *lib. 2.* " Lectorilium genera duo; alterum fit, posita columella lignea, aut aliquo alio apto fulcimento cum basi congruente et decora, aut etiam armario extructo pro recondendis libris ad usum Chori: supra quod fulcimentum tabula lata et longa, quantum satis sit ad capiendum apertos libros declivi positura collocatur. Aut vero

fit tamquam duplicis faciei, ut ab utraque, tabulae quae superne in culmen coeant, duobus libris imponendis locum praebeant, e nuceo ligno erit artificiose exculto, et alio etiam praesertim picto aut inaurato „.

115. Libri chorales. Hi quoque libri diligenter invisendi sunt a Visitatore; videat ergo si nullus liber desit, pro functionibus in ecclesia peragendis iuxta dignitatem ipsius ecclesiae. In Collegiatis enim non tantum *Graduale* sed et *Antiphonarium* integrum haberi debent, ita et *Hymnarium*, ac *Breviarium Romanum*, in minoribus vero sufficit Compendium Gradualis et Antiphonarii, dummodo cantus in eis existat, adhibendus pro officiis, quae in ecclesiis ipsis celebrantur.

In casu autem quod libri chorales, vel nimis detriti sint, vel deficientes, suadeat Visitator, iuxta decretum Leonis XIII die 10 Aprilis 1883, ut novi libri provideantur novissime editi, cum S. R. C. adprobatione, Ratisbonae a pontificio Typographo Fr. Pustet.

In quacumque autem Ecclesia parochiali, *Antiphonarium* et *Graduale*, saltem in compendio a praedicto Tipographo edita, et quae tam parvi venduntur, omnino deficere non deberent. Cum enim S. R. C. diebus 14 Aprilis 1753 *in una Coimbricensi* ad 2, 7 Augusti 1875 in *Clodiensi* ad 7, et 29 Decembris 1884 in *Lucionensi* ad 11, decreverit, non esse omittendum, in missis solemnibus, etiam sine ministris, cantum *Introiti*, *Gradualis*, *Offertorii* etc.; cumque alio suo decreto die 21 Aprilis 1873 in uno de *Guadalaxara* declaraverit corruptelam extirpandam esse, in divinis officiis cantandi cantilenam traditionalem nullibi adnotatam ad arbitrium variabilem, atque adhibendas esse pro libris choralibus editiones ab ipsa S. R. C. approbatas, necessario omnes ecclesiae hisce libris cho-

ralibus authenticis praeditae sint oportet. In hoc ergo videat, urgeat, et insistat Visitator, maxime post ordinationem nuperrimam pro musica sacra, quam vulgavit S. R. C. die 6 Iulii 1894.

Quoniam vero passim in ecclesiarum choris inveniuntur libri manuscripti Missas, scilicet *Kyrie*, *Gloria* et *Credo* etc. sive hymnos aut sequentias, in cantu fracto uti vocant, referentes, de his Visitator videat et inquirat, utrum cantus in eis descriptus adprobatus fuerit ab Episcopo iuxta normas in citata ordinatione promulgatas; et hoc advertendum est, non tantum pro libris noviter inductis, sed etiam pro illis qui a longo tempore in ecclesiis inveniuntur. Non enim licitum est cantilenas sacras ex novo, nulla arte exaratas, conficere, sed oportet omnino ut cantus adhibeatur iuxta codices rite adprobatos. Confer S. R. C. decretum 21 Aprilis 1873.

P. Vicarius Foraneus S. Florentii.

(*Continuabitur*).

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Septentrionalibus*. **De magistro caeremoniarum in sacris non constituto.** Quaeritur: utrum consuetudo, ex qua magister caeremoniarum, in sacris non constitutus, quandoque ne tonsuratus quidem, sacras functiones dirigat, servari possit.

Resp. Aut iuri liturgico severe inhaerendum, aut non. Si primum, respondendum omni cum certitudine: Negative. Sane aperta est Caeremonialis Episc. dispositio, exigens ut Episcopo cura sit

duos providendi Ecclesiae suae caeremoniarum magistros: *quorum primus,* praeter alias eximias dotes, quibus exornatus esse debet, *vigesimum quintum saltem attingat annum,* **sitque in presbyterali ordine constitutus** *(Lib. I, cap. V, n. 1).* Ratio patet ex ipsa lege, docente: « Is erit in primis sollicitus circa personam Episcopi, aliarumque personarum dignitate aut nobilitate praestantium *(Loc. cit.).* » Indecens enim prorsus unusquisque facile intelligit, ut clericus non Sacerdos dirigat Episcopum, aliosque digniores Canonicos in sacris actibus, doceat, moneat, ac quodammodo imperet; hi enim parere illi tenentur, uti satis notum ponimus. De secundo autem idem Caeremoniale praescribit: « Alter vero iunior, qui saltem in sacro Ordine sit constitutus, praecipuam curam gerat circa personam Celebrantis ac ministrorum illius *(Loc. cit. n. III).* » Ad hunc quoque alterum caeremoniarum magistrum applica quadam cum proportione quae circa primum dicta sunt, habebisque pariter sapientem rationem legis. Hinc Catalanus opportune notat, egisse olim in Ecclesia Romana primum caeremoniarum magistrum, ipsum Archidiaconum: « *quippe qui ordinabat ipse processiones, discurrebatque manu ferulam tenens in muneris sui signum, uti liquet ex Ordine Romano XII, auctore Cencio cap. III, n. VII, et cap. XXXIX, n. LXIII.* » Primus autem Subdiaconorum eius erat minister, seu adiutor illius, et caeremoniarum magister secundus *(Comment. in loc. cit. n. IV).*

Equidem Caeremoniale in specie loquitur de Cathedrali Ecclesia, et ad summum de Collegiatis; at ratio supercitata abunde probat, caeremoniarum magistrum saltem in sacro Subdiaconatus

Ordine constitutum esse debere in aliis quoque Ecclesiis. Etenim semper indecens est, ac sacerdotali Ordini indecorum, ut laicus licet more ecclesiastico vestitus, aut etiam simplex clericus huiusmodi naturae functiones agat in actibus liturgicis, maxime in Missa et Vesperis solemnibus.

Si alterum, nempe si lex benigne sit interpretanda, tunc saltem distinguendum credimus inter functionem et functionem, inter casum et casum. Namque, cum Episcopus functionem aliquam peragit, Caeremoniali omnino inhaerendum est ad eum saltem quod pertinet magistrum, qui dirigere Episcopum debet suosque superiores ministros. Praeter enim legem, seu dignitas personarum id postulat, seu functionum solemnitas. Si vero agatur de functionibus a Canonicis vel aliis Sacerdotibus peragendis, tunc, penuria Presbyterorum aut in Sacris Ordinatorum inspecta, credimus non esse saltem contra spiritum legis, si clericus magistro caeremoniarum munere fungatur. Lex enim non potest quin principaliter eo tendat, ut functiones cum decore persolvantur, quod etiam per magistrum caeremoniarum clericum optime obtineri potest. Si vero addas et defectum superiorum ministrorum, facile concludes, excusari etiam posse a littera legis adimplenda. Quod si denique admittas, eiusmodi clericos satis melius et perfectius, uti crebro solet in ecclesiasticis Collegiis evenire, sacras moderari functiones, quam sacri ministri, quia in ritibus et caeremoniis magis versati, tunc foret omnino concludendum, consultius esse ut illi potiusquam isti in eiusmodi officio adhibeantur.

Dices quidem id non verti Sacerdotum honori, qui instructi esse deberent; sed facile reponitur

eos excusari posse, vel ratione aetatis tali explendo muneri minus aptae, vel aliorum munerum, quibus adimplendis destinantur, vel ex eo quod cum sint perpauci, difficile invenitur qui praesto sit pro caeremoniarum magistri persolvendo officio. Hinc iunioribus, etsi in sacris non constitutis relinquitur, quibus abunde tempus suppetit, ut peritiores fiant, sicque maiori cum decore sacrae functiones procedant. His perpensis et distinctis, nullo negotio inferes, utrum consuetudo, de qua in dubio, probanda vel toleranda sit. Quod si res eo usque pergeret, ut lex nonnisi gravi cum incommodo servari posset, tunc certo regula iuris applicanda foret, *quod non licet in lege licitum facit necessitas.*

Nota. In choris Ecclesiarum, ad Seminaria vel ecclesiastica collegia pertinentium, id usuvenit, ut primi ordinis subsellia tamquam Canonicorum considerentur, reliqua vero inferiorum ordinum, tamquam Beneficiatorum vel clericorum. Licet enim prima a solis quandoque alumnis clericis occupentur, saepe quoque tenentur ab aliquibus sacerdotibus, uti a Superioribus Seminarii, aliisque illius directioni addictis, vel etiam ab alumnis presbyteris, aut in sacris constitutis. Hinc consuetudo, etiam Romae vigens in aliquibus saltem Ecclesiis etiam observantioribus, ut in singulis relativis actibus clerici, qui primi ordinis subsellia tenent, tamquam Canonici habeantur, ad quorum instar incensantur, ad *Incarnatus* in Missa sedeant discooperti et non genuflectant, ad benedictionem celebrantis stantes maneant, etc. Eiusmodi autem consuetudo omnino laudabilis est, ac tenenda; quia secus vel Diaconus thus adhibens, vel ipsi clerici

tenerentur observare, an in dictis subselliis sint, an non sint Sacerdotes, quippe qui ratione indumentorum a clericis non distinguuntur: quod admitti prorsus nequit. Ea propter fictione iuris digniores censentur, sicuti sunt eiusmodi subsellia, ita et personae eadem occupantes.

Quo posito, necessario sequitur, dictos clericos tamquam digniores, vel re si Sacerdotes sint, vel fictione iuris si tales non sint, duplici ductu esse thurificandos, pacem iis recipiendam a Subdiacono etc. secus accideret, ut Subdiaconus quandoque pacem dare dicta subsellia tenentibus deberet, quandoque non, quod inconveniens est et sustineri non potest, ut de thurificatione diximus. Ex eo proinde quod nullus sit in primo ordine Sacerdos nil sequitur, sed eodem modo, sive Diaconus thurificans sive Subdiaconus dans pacem se gerat semper.

II. *Ex Indiis orientalibus.* **De inclinatione capitis ad cantum « Gloria Patri » in solemniori Missa ex parte Celebrantis et ministrorum.** Celebrans et ministri superiores debent ne ad Missam inclinare caput dum canitur *Gloria Patri?*

Resp. Distinctione opus est; aut enim *Gloria* canitur dum Celebrans et ministri nihil agunt, aut dum aliquid faciunt. Primus casus comprobatur quando actum aliquem expleverunt, in eoque sunt ut alium incipiunt: ex. gr. si expleto a Celebrante *Aufer a nobis,* Thuriferarius accederet ad altare, vel thure immisso in thuribulum et benedicto, thurificationem altaris esset incepturus. Tum nihil revera Celebrans ac ministri agerent, et conveniret omnino ut toto se conformarent choro, inclinando caput ad dictam Trinitatis laudem. Idem

dicas de *Adoramus te,* si canatur dum Celebrans et ministri, expleto *Gloria in excelsis,* in eo sunt ut ad sedile pergant. Ratio est, quia ad praefata verba *per se* inclinandum est caput ab omnibus, qui illa in choro audiunt, uti patet; si ergo nihil impedit, quominus Celebrans et ministri id faciant, et ipsi caput inclinare debent. Quando vero aliquid agunt, puta altari thus adolent, vel aliquam orationem aut laudem recitant, tunc actum abrumpere pro inclinando capite non debent, quia actu, alio licet modo, in adoratione sunt. Ceterum advertere ad quod agunt ipsi debent, uti patet, ne duobus intenti, utrumque imperfecte expleant. Haec ratio est, ob quam Caeremoniale Episcoporum de inclinatione Celebrantis ad *Gloria Patri* silet omnino, quia illum supponit in suis actibus Missae solemnis propriis occupatum. Hinc male se gerit etiam Diaconus, quando thus choro adolens, actum abrumpit incensationis, et versus ad altare inclinat caput quia audit canentem Celebrantem *Gratias agamus Domino* **Deo nostro.** Eadem de ratione opposita laudandus non foret, si dicta expleta thurificatione, praefata audiret verba, et non inclinaret caput.

III. *E Curenna.* **De quadam inter duo festa occurrentia.** In Dominica post octavam Ss. Apostolorum Petri et Pauli recolitur Commemoratio Omnium Ss. Rom. Pontificum sub ritu dup. II classis. Sed hac eadem Dominica praesenti anno occurrit festum pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. eiusdem ritus et classis. Cum autem ambo sint secundaria, quaeritur quale ex iis celebrandum dicta Dominica et quale transferendum?

Resp. Facile negotium; namque in paritate ritus, dignitas personalis praevaleat oportet. Porro ex duobus praefatis festis nulla inest dignitas liturgica personalis in Com. Rom. Pontificum, cum ea e contra indubie gaudeat festum pretiosissimi Sanguinis. Ergo hoc festum illo est potius et praeferendum. Ratio enim ob quam Decretum *Iamdudum* festa primaria praeferenda decernit, si ritu paria, secundariis, consistit in solemnitate, qua prae istis illa gaudent, quatenus primaria; ac proinde, quia primaria et consequenter solemniora, in aliis cum quibus occurrunt negligitur dignitas cum sint secundaria proindeque minus solemnia. Atqui in casu haec ratio omnino deficit, quia ambo sunt secundaria; ergo altera manet ratio solemnitatis, praeter ritum quo sunt aequalia, et est personalis dignitas. Ergo Dominica prima post octavam Ss. Apostolorum fiet de pretiosissimo Sanguine, et alibi transferenda erit Com. Roman. Pontificum. Inferes Calendarium, quod hac ratione ordinatur, recte procedere: quod oppositum disponit, emendandum.

IV. *Ex eod. loco.* **De iterando « Tantum ergo » post Vesperas de octava Corporis Christi.** In decursu octavae Corporis Christi Vesperae concinuntur de eadem, et ad ultimum psalmum officium faciens induit pluviale, inde fit expositio: postea dicitur Capitulum, et Vesperae absolvuntur. Nunc quaeritur: Iterari ne debet *Tantum ergo* post Vesperas, cum in his decantatum iam fuerit ad *Pange lingua?*

Resp. Contenti pro nunc proposito Dubio facere satis, aliquid postea animadversuri circa ordinem praefatae functionis, reponimus: Affirma-

tive. In more enim universali est, post Vesperas benedictionem dari, quam *Tantum ergo* cum sua Oratione praecedit. Ratio repetitionis in totius huiusce functionis adiunctis parere difficultatem non debet; quia in honorem almi Sacramenti fieri etiam consuevit processio, de qua Caeremoniale Episcoporum (*Lib. II, cap. XXX, n. 34*), in qua pluries, si occurrat, iterari possunt alii versus hymni *Pange lingua:* eadem autem de causa, post totum hymnum in Vesperis, *Tantum ergo* repetitur ad benedictionem. Praeterea *Tantum ergo* aliam constituit functionem a Vesperis, quarum hymnus illud habet tamquam partem; sed haec ipsa pars quid totum constituit, licet Vesperas sequatur, in benedictione. Denique repetitio ex eadem praefata causa vel alia simili, Liturgiae non opponitur, uti patet ex litaniis, quae repeti possunt, si longior via exigat, in processione Rogationum, et ex aliis orationibus vel liturgicis formulis, quae pluries ex praescripto Rubricarum iterantur. Ceterum et in Romanis omnibus Ecclesiis collegialibus haec eadem consuetudo viget.

Nunc autem animadvertimus, usum de exponendo Sacramento post ultimum Vesperarum psalmum, post quod Capitulum dicitur, et Vesperae cum expositione absolvuntur, vix laudabilem credimus. Caeremoniale enim Episc. admittit potius, Vesperas cani integras coram Eucharistia discooperta, et venerationi super altari solemniter exposita (*Loc. cit. n. 33*); ut quid ergo psalmorum expectare finem ut Sacramentum exponatur? Insuper quis induit pluviale? Officium faciens? Ritus novus quodammodo esset, cui nescimus utrum simile habeatur exemplum; et pro expositione Ve-

sperarum psalmi quodammodo abrumpuntur, ut earumdem reliquum coram Sacramento absolvantur. Longe proinde melius foret Sacramentum exponere antea, totasque Vesperas coram eodem canere, uti solet in Urbe servari, et postea, dicto *Tantum ergo* et Oratione, functionem cum benedictione more solito absolvere.

Inquiri hac occasione potest, an finalis antiphona post dictas Vesperas et ante benedictionem, dici debeat, an omitti. Reponimus, benedictionem in casu non esse ex placito facientis officium, sed veluti consectarium expositionis, quae cum benedictione absolvitur. Expositio autem in casu ex Rubricis est, non quatenus praescribitur, quia praeceptum ex illis non resultat, sed quatenus ex consuetudine oritur quam Rubricae approbant. Hinc iure merito admitti potest, totam benedictionis functionem esse terminum, licet a Vesperarum functione distinctam, earumdem Vesperarum, cum quo hae optime absolvuntur. Huiusmodi benedictio, in casu, assimilari potest Missae conventuali post Tertiam, vel alteri etiam non conventuali post aliam ex Horis canonicis. Porro hisce in casibus antiphona finalis omittenda est iuxta Rubricas; ergo omittenda est pariter in superiori casu, quia in utroque alius actus liturgicus illico sequens antiphonae finalis vices supplet.

V. *E Cuneo.* **De concursu inter diem octavam et duplex minus.** Die 11 Maii hic fit de octava S. Sindonis, et die 10 occurrit S. Antoninus E. C. Quaeritur quomodo hac die 10 ordinandae sint Vesperae; in calendariis pedemontanis maxima est discordia, cum alia notent *Vesp. de seq. cum com. praec.* alia vero *Vesp. a cap. de seq. cum com.*

praec. alia denique *In Vesp. com. seq.* Equidem, si trahit sua quemque voluptas, unusquisque satis habet.

Resp. Cum cl. consulente, cui gratulamur rei liturgicae peritiam, notandum imprimis, Calendariorum redactores singulos, non inconsiderate se gessisse, sed ratiocinio suffultos. Primi enim tenuerunt, octavos dies festorum Domini integras sibi vindicare Vesperas iuxta Rubricas; et insuper eiusmodi Vesperarum ordinem Decreto confirmarunt S. R. Congñis, quod est 7 Sept. 1832 (1). Alteri ritum prae oculis habuerunt, et diviserunt Vesperas. Ultimi tandem recentiori Decreto innixi super primariis et secundariis festis, S. Antonino festo primario integras dederunt Vesperas prae die octava S. Sindonis, festi indubie secundarii. Sed ex illis quis acu rem tetigit?

Itaque respondemus primo *certi* erroris praefata calendaria, vel potius eorum redactores incusandos esse definiri adhuc non potest. Etenim, licet *Ephemerides* nostrae sustinuerint, diem octavam esse festum, atque uti tale esse considerandum; nihilominus id certo non constat, cum pro his diebus concurrentibus cum duplicibus minoribus uti cum maioribus, speciales normas Rubricae statuerint. Praeterea, cum Rubricae ali-

---

(1) Mensis probabilius mendosus est; quia, ait cl. consulens, non reperitur in Collectione authentica ad rem faciens citatum Decretum. At muta mensem Sept. in Aprilem, et habebis seu inscriptum diem, seu annum, seu materiam Decreti, perfecte concordantia. Nam Decretum 7 Apr. 1832, n. 4535-4684, tribuit diei octavae SS. Redemptoris et S. Crucis, quae secundaria festa *per se* sunt, integras Vesperas in concursu cum duplici minori.

quibus explicite, et implicite omnibus diebus octavis festorum Domini, et Deiparae primariorum aliquod privilegium tribuant, et S. R. Congr. idem extenderit privilegium ad aliquos alios octavos dies festorum, etsi secundaria sint, seu Domini seu Deiparae; quis affirmare cum securitate poterit, eiusmodi extensionem privilegii per recens de primariis et secundariis festis Decretum esse sublatam? Ex prima animadversione sequitur, divisionem Vesperarum in casu damnari absolute non posse, quia ita Rubricae exigunt (*Tit. XI, n. 7*) esse faciendum. Ex altera sequitur, nec iure posse redargui qui integras assignarunt Vesperas diei octavae S. Sindonis; quia Decreta quae festa secundaria Domini privilegio donarunt, non satis constat utrum revocata censenda sint. Multo autem minus censura notari possunt qui Decreto de primariis et secundariis festis innixi integras tribuerunt Vesperas S. Antonino; quia id praefatum Decretum palam praedicare videtur. Hoc unum proinde certum est, quomodo revera Vesperae in casu debeant ordinari incertum esse, donec S. R. Tribunal hoc implicatissimum negotium declaret.

Respondemus secundo, iuxta sententiam nostram minus recte se gessisse primos, qui dederunt integras Vesperas diei octavae S. Sindonis, sicut et alteros qui Vesperas diviserunt. Ratio est, quia Decretum *Iamdudum* cui impraesenti standum est, voluit omnino attenuare gravitatem festorum, quae sunt secundaria, ad quodcumque subiectum pertineant: hoc certum est, et nulli discussioni obnoxium. At aeque certum et ineluctabile est, octavam veluti accessorium naturam sequi principalis, quod est festum. Quomodo ergo

fieri potest, ut gravitate imminuta festi, octavam diem, quae illius est perfectio, ex intentione legislatoris legisque proposito, in tota sua gravitate permaneat? *Qui potest capere, capiat.* Ergo quod Rubricae praedicant de diebus octavis festorum Domini et Deiparae, nonnisi ad illos referendum necessario est, qui ad festa primaria pertinent, non autem ad secundaria. Hinc sequitur, Decreta quaecumque hoc eodem sensu intelligi debere, si possit; secus abrogata dicenda esse, quemadmodum Decretum *Iamdudum* aperte declarat. Igitur, dato concursu inter diem octavam festi secundarii Domini aut Deiparae et aliud duplex minus primarium, Vesperae esse debent de duplici primario, et dies octava utpote secundaria, quippe quae ad festum secundarium pertinet, sola commemoratione gaudebit. An autem octava dies festum sit, seu ad festum pertineat, an non, vide *Ephem.* vertentis anni n. 3, pag. 157 et 158, II. Ergo, quantum videmus, ii tantum recte Calendarium, quod nostram quaestionem spectat, ordinarunt, qui integras tribuerunt Vesperas S. Antonino, et solam commemorationem diei octavae S. Sindonis. Occasionem hanc nacti, Ven. lectores nostros monemus, controversiam huiusmodi aliasque adnexas, brevi S. R. Tribunal esse auctoritate sua dirempturum.

VI. *E Monte Cassino.* **De nomine defuncti exprimendo in Oratione « Inclina » ad Absolutionem.** Apud nos antiquissima viget consuetudo exprimendi ad literam N. in Oratione *Inclina,* pro Absolutione, nomen defuncti. Quaeritur: Utrum haec consuetudo servari possit et debeat.

Resp. Affirmative. Indubium est, optime posse ac debere recitari Orationem prout in Rituali habetur: consequenter si praefata Oratio in illo inscriptam habeat litteram N., nomen defuncti non solum potest, sed et exprimi debet. Atqui ita revera res se habet, seu litteram N. Rituale habet; ergo, si eiusmodi Oratio *Inclina* dicatur a Celebrante Absolutionem faciente, nomen defuncti exprimere ipse et potest et debet.

At obiicies: Decretum fertur S. R. Congñis, quod in authentica Collectione prostat, d. d. 7 Apr. 1832, n. 4687, edicens Orationem praefatam sine nomine esse legendam, *uti iacet in Breviario et in Missali Romano;* ergo. Respondemus, hocce Decretum aliquam praeseferre obscuritatem, quia veritati conforme est, Missale Romanum litteram N. in dicta Oratione non habere; sed in eadem, quae in Rituali, etiam typico, legitur, Oratione, dicta littera evidens est. Ergo qui in dicta Oratione nomen defuncti exprimit ad Absolutionem, eam recitat uti iacet in Rituali Romano iuxta Decretum. Praeterea Missale tres habet Orationes pro Missa sibi respondentes, quarum prima est *Inclina,* et ante Epistolam dicenda si occurrat: altera est *Annue nobis,* quae secreta est et ante Praefationem dicitur: tertia, quae dicitur Postcommunio, est *Absolve;* ex his autem nulla habet litteram N. Fieri ergo potest, ut omissa in prima fuerit, quia non inscribitur in aliis duabus; namque uti in singulis videre est, aut omnes tres dictam litteram de more habent, aut earum nulla. Sed tres Missalis Orationes pro Missa inserviunt, in casu autem de Absolutione agimus, pro qua optime Rituale adhibetur, in quo littera N. inscri-

bitur. Cum ergo Oratio *Inclina* uti iacet in Rituali Romano dicenda sit, iure in ea defuncti nomen ad litteram N. exprimitur. Unde sequitur, uti patet, idem exprimi posse toto iure nomen, si in Absolutione Celebrans Missali utatur; quia Rituale, quo potest uti, eiusmodi facultatem tribuit. Ceterum cum Decreta examen in praesenti subeant, haud nimis in illis insistendum, e quibus sperandum omnem ambiguitatem eliminatam fore. Omnibus perpensis concludimus, consuetudinem de nomine exprimendo ab Absolutionem in Oratione *Inclina* optime servari, non solum posse, sed et debere.

VII. *E Senogallia.* **Super Missa de festo transferendo.** Quaeritur: Utrum ubi adsit extraordinarius populi concursus ad celebrandum festum occurrens die dicato Ss. Cordi Iesu, et ideo vel transferendum vel omittendum, uti hoc anno fit de S. Aloisio Gonzaga, cani prohibeatur Missa solemnis de eodem festo iuxta Decretum S. R. Congñis (*16 Apr. 1853, n. 5183*)? Et quatenus affirmative, utrum saltem in Seminariis vel Collegiis, ubi S. Aloisius recolitur uti iuventutis Patronus, cani valeat Missa propria eiusdem Sancti die 21 Iun. vertentis anni?

Resp. 1. Missa solemnis de S. Aloisio Gonzaga incidens in feriam VI post octavam Corporis Christi, in qua agendum est de SSño Iesu Corde, non est prohibita, uti in exposito Dubio supponitur. Namque huiusce vetiti fundamentum consisteret in Rubrica Gen. Missalis (*Tit. VI*), in qua nihilominus comprehendi alienum a veritate est. Revera hic Titulus ait: « In Ecclesiis... ubi Titulus est Ecclesiae, vel concursus populi ad celebran-

dum festum (*occurrens*), quod transferri debet, possunt cantari duae Missae, una de die, alia de festo: excepta Dominica prima Adventus, feria IV Cinerum, Dom. prima Quadragesimae, Dom. Palmarum cum tota Hebdomada maiori, Dom. Resurrectionis, et Dom. Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, die Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, et Festo Corporis Christi. » Atqui festum SS̃mi Cordis Iesu inter dies exceptos non comprehenditur; ergo etc. Tu vero oppones, Decretum in Dubio citatum extendit dies exceptos ad alia festa duplicia primae classis, nempe: *Assumptionis B. M. Virginis, Omnium Sanctorum, Titularis, S. Ioannis Baptistae, et Dedicationis propriae Ecclesiae.* Respondemus id esse verum, sed sequentem exhibemus animadversionem in oppositum. Non intelligimus qua de causa haec festa solemniora in Rubrica supercitata, cum satis sint antiqua, inscripta non fuerint inter dies exceptos, si excipienda sint. Praeterea si servandum esset praefatum Decretum, adhuc dubium maneret super aliis duobus duplicibus primae classis, Imm. nempe Conceptionis et S. Ioseph: quae neque a Rubrica recenter reformata, neque a Decretis inter dies exceptos computantur. Insuper ipsa Rubrica, quae excipit Dom. primam Adventus et Quadragesimae, non excipit Dominicam Passionis, eiusdem iuris ac illas. Ex quo certo inferimus haud nimis insistendum esse in Decreto, sed omnino Rubricae inhaerendum, cui aliquos dies ob specialem rationem placuit excipere, non vero omnes, qui iisdem atque illi iuribus gaudent. Ceterum, dato et non concesso, dies exceptos esse ad omnia duplicia primae classis extendendos,

neque ista comprehenderet festum Ss. Cordis Iesu. Ratio certa et evidens est, quia eiusmodi duplicia nonnisi illa sunt, quae solemniora appellantur, inter quae, maxime post recentiora Decreta, nulla ratione computari potest dictum festum Ss. Cordis, quippe nullum ius ad feriationem habet, et secundarium est. Ergo in festo Ss. Cordis optime cani potest, praefata saltem causa inspecta non impediente, Missa solemnis de S. Aloisio Gonzaga, iuxta Rubricas et Decreta.

Resp. 2. Dubium suboriri potest ex hoc, quod festum S. Aloisii in casu, cum dup. minus supponatur, transferri non debet, quod Rubrica citata (*Tit. VI*) exigit, ut Missa de eo cantetur. Nihilominus Decretum in *Angelopolitana* d. d. 13 Iun. 1671 ad 2 permittit, ut in Dominica possit ratione confluentiae cantari Missa de festo simplici solemnis. « Quod, ait cl. De Herdt, quia eadem est ratio, ad alios Sanctos, ad quos populus concurrit, et quorum neque commemoratio in officio habetur, extendi posse videtur, modo fiat in die festivitatis horum Sanctorum (*Pars I, n. 6*[c]). » Cui sententiae adhaereri optimo iure potest, et adhaeremus; ergo ex hac quoque causa in festo Ss. Cordis Iesu non prohibetur Missa divi Aloisii.

Resp. 3. Quod attinet Missam propriam eiusdem Sancti, arbitramur nonnisi illam posse dici, quae omnibus concessa est, et in corpore Missalis habetur, haec autem propria est in pluribus. Nescimus autem utrum alia magis propria extet: quae tamen, cum neque in corpore neque in appendice Missalis habeatur, secluso privilegio, in aliis Ecclesiis recitari non posset, nisi in quibus permissa foret. Quidquid vero de hoc sit, indu-

bium est in omnibus Ecclesiis, etiam cuiusvis Seminarii aut Collegii solemnem Missam de S. Aloisio eo die cantari posse, haud obstante occurrente festo dup. primae classis Ss. Cordis Iesu. Difficultas fortasse oritur eo quod in his Ecclesiis vel Oratoriis duae Missae, una de die, alia de festo, uti Rubrica dicit, cantari non possent. Sed respondemus, sufficere Missam de festo iuxta Decreta plura, quae De Herdt citat (*loc. cit.*), et de quibus, aut de eorum recta interpretatione dubitare non licet, et a quibus referendis, ne inutile negotium agamus, abstinemus.

SACRA UNIVERSALIS INQUISITIO

S. Rom. et Univ. Inquisitionis Tribunal Decretum edidit (Fer. V, 3 Apr. 1895), cuius textum in seq. num. referemus. Summa est: 1. Querela S. Tribunalis de praescripta non observata norma colendi B. V. Mariam sub titulo *Dominae Nostrae a Sacro Corde Jesu* de illiusque Imaginibus a Sodalitate Religiosorum Issodunensium. 2. De duobus editis libellis, qui nonnullas pias precationes approbatas ab Ecclesia in aliam veluti faciem et figuram transformant. 3. S. Tribunal praefata improbat et proscribit, et a quovis usu publico removenda iubet.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1895.

NUNTIUM

Quamprimum duo evulgabit Generalia Decreta S. R. Tribunal, quae compendifacientes interim referimus, ne Ven. Consociati ulterius expectare cogantur.

Primo elevatur Annuntiatio Deiparae ad ritum duplicem I. cl. sine octava: qua ratione celebranda erit sive die 25 Martii, sive in feria II. post Dominicam in Albis, quando alia die impeditur.

Altero lux electrica prohibetur in Ecclesiis quoad cultum: quoad vero tenebras depellendas Ecclesiasque illuminandas permittitur, iure Episcopis facto vigilandi quoad modum.

AENEUM SIMULACRUM DIVI PETRI APOSTOLI

IN TEMPLO VATICANO.

ARCHAEOLOGIA SACRA

III. De aeneo Simulacro divi Petri Apostoli in templo Vaticano.

Meminit haec Cicero contra Verrem de Herculis simulacro in Sicilia (1): *Herculis templum est apud Agrigentinos non longe a foro sane sanctum apud illos et religiosum. Ibi est ex aere simulacrum ipsius Herculis quo non facile quidquam dixerim me vidisse pulcrius (tametsi non tam multum in istis rebus intelligo, quam multa vidi) usque eo, iudices, ut rictum eius ac mentum paulo sit attritius, quod in precibus et gratulationibus non solum id venerari, verum etiam osculari solent.* Quod caeca gentilitas erga numen fortitudine, ut aiebant, praeditum gessit, id veriori obsequio in Principem Apostolorum egerunt Christifideles, iam inde a saeculo tertio post Christum natum, qui reapse divina repletus virtute romanae gentilitatis colossum deiecit, ac Ecclesiam sanctam supra simulacrorum fana putra in petra firmissima fundavit. Plebs enim Dei, ac praesertim Romani, quibus fides a Petro Apostolo est feliciter invecta, devotius quam Agrigentini, sic usu quotidiano aenei simulacri ad Vaticanum non os, sed humillime pedem dexterum deosculati sunt ut eum valde tritum inspiciamus.

Cum Petrus, ut verbis loquar Gregorii II, veluti terrestris Deus habeatur, cumque statua haec non solum antiquissimi monumenti celebritate nota sit, verum etiam prototypum referat verae eius imaginis, prouti ex priorum traditione ac scriptis veterum cognoscimus, ideo ipsa, toto catholico orbe perinsignis, maxima religione colitur.

(1) Actio II, Lib. IV, 43.

Audiamus, inter alia testimonia, illud Nicephori Callixti (1): *Petrus equidem non crassa corporis statura fuit, sed mediocri et quae aliquanto esset erectior, facie subpallida et alba admodum, capilli et capitis et barbae crispi et densi, sed non admodum prominentes fuere; oculi quasi sanguine respersi et nigri, supercilia sublata, nasus autem longior ille quidem, non tamen in acumen desinens, sed pressus simusque magis.* De divo Paulo vero haec refert: *Corpore erat parvo et contracto atque paululum inflexo, facie candida, annosque plures prae se ferente et capite calvo: oculisque multa intrat gratia: supercilia deorsum versum vergebant: nasus pulcre inflexus, idemque longior; barba densior et satis prolissa, eaque non minus quam capitis coma, canis etiam respersa erat.*

Quae notae de divo Petro adamussim aeneo simulacro conveniunt, quod reapse tum barba, ac capillo denso, brevi et crispo, tum corporis non crassa statura praeclare factum exhibetur: caeterae autem notae, quae vultus colorem aut oculorum naturam respiciunt, in aenea statua exprimi nullatenus possunt; ideo in ea conspicere datum non est. Caetera vero intuemur quae Nicephorus aliique scriptores de Petri persona referunt.

Simulacrum hoc ad dexteram introeuntis in templum Vaticanum positum est quo media navis desinit ac prope magnam pilam, quae maximum tholum sustentat: locus baldachino pernobili ac opere vermiculato, nec non basi marmorea ad instar throni condecoratur. In summitate effigies cernitur Pii IX Pont. Max. musivo depicta, eo quod annos Petri in pontificatu romano unus aequaverit ac superaverit. Petrus vero in cathedra sedet e pario marmore, sinistra signum supremae potestatis, seu claves retinet (2),

---

(1) Lib. II, 37.

(2) Qui plura exoptat ediscere de clavibus B. Petro attributis conferat Ioann. Ciampinum — *Vet. Monum.* Pars. I, 28; Nicolaum Alemannum — *De Lateran. Pariet* c. IX; Franc. Fogginum — *De romano divi Petri itinere* p. 471 ac Mabillon. *Annal. Benedict.* Lib. XVI, 91.

dextera, tribus digitis, more Romanorum Pontificum, benedicit, ac tunica indutus est pallioque sinuato: opus mirae artis ac pulchritudinis!

Antequam de historia quae simulacrum respicit aliquid disseramus, reiicienda eorum est opinio qui illud fuisse Iovis signum autumant, aut ex aere Iovis signi conflatum, inter quos Torrigius (1) Febeus, Bonannius adnumerantur. Qui vero asserunt conflatum fuisse iussu Leonis Magni Papae, ob Romam ab Attilae furore liberatam, pariter errant; nam eo temporis artes quae declinaverant, nequaquam poterant. tam pulcram statuam exegere. Cui ergo aetati praeclarum opus assignandum?

Aliqua igitur de illius origine dicamus, quae clarior patefiet, si comparationem instituerimus inter Principis Apostolorum simulacrum aeneum et statuam e marmore S. Hippolyti Episcopi Portuensis, quae modo in musaeo christiano ad Lateranum visitur. Haec ex sententia virorum in arte ac historia illustrium aetati Philippi Imperatoris assignatur, qui, uti asserunt non pauci e scriptoribus ecclesiasticis, christianam fidem profitebatur. Uxor vero eius Marcia Severa Octacilia, quamvis mimine Christum coleret, ea tamen erat animi propensione ut ad veritatem amplectendam facile proclivis existimaretur.

Ei interea sanctus Episcopus Portuensis ut christianam fidem amplecteretur suasit robore sermonis sui, eamque Christo lucrifecit. Extant fragmenta de *Exhortatione* quam Hippolytus Augustae Severae nuncupavit. Unde factum est ut christiana respublica quieverit, Principibus Philippo et Severa (2). Igitur grati animi ergo ac venerationis studio in

---

(1) Ipse haec asserit: Riccardus Oliverius *curavit fieri simulacrum aeneum S. Petri Principis Apostolorum, destructa Iovis Capitolini statua et collocari in ipsa basilica Vaticana.* De cryptis Vatic. p. 126.

(2) Philippus ab exercitu Decii, quem legiones in imperatorem salutaverant, prope Veronam devictus, occisus est, et a Praetorianis

sanctum Episcopum Severa Augusta in aedibus suis statuam ei erigendam curavit sedentem in cathedra pallioque more philosophorum indutam, nec non thomum Evangeliorum manu gerentem. Hanc impraesentiarum conspicere datum est, uti innuimus, in musaeo Lateranensi.

Hac vero statua Episcopum Hippolytum designari eruimus ex inscriptione quam ipsamet Augusta iussit graeca lingua incidi in basi marmorea: illa enim catalogum referebat operum quae ille pro fide asserenda exaraverat, cyclum pro celebratione Paschae ab eo compositum, nec non cohortationem ad Severinam, sicuti in graecis numismatibus appellatur, seu ad Severam — Προτρεπτικὸς πρὸς Σεβηρεῖναν. — Quae postrema inscriptio nobis magis suadet auctorem tum statuae tum inscriptionis Severam extitisse.

Aetate igitur, qua statua confecta est, his argumentis definita, statua ipsa aeneo divi Petri signo comparetur: ex gestu, sinuato pallio, positura pedum ac operis stilo id unum luculenter patet, utrumque simulacrum ab eodem artifice eademque aetate elaboratum fuisse, nempe temporibus Philippi et Severae; idque ex eo magis comprobatur quod Principis Apostolorum signum praeclare fuerit conflatum. Quapropter neque Constantini Magni aetati, qua artes iam declinaverant, prouti conspicere datum est in arcu eius triumphali prope amphitheatrum Flavium Romae, neque insequentibus saeculis quibus in deterius ruerant, poterit assignari. Idcirco ad mediam circiter saeculi tertii aetatem opus videtur pertinere (1).

Quam ob rem, quum grati animi ergo ac devotionis sensu Severa Augusta statuam Hippolyti in aedibus suis

---

deinde necatus est etiam filius duodecim annorum, item Philippus nomine, quem pater in imperium uti collegam adsciverat. Et hic christianus censetur.

(1) Dominicus Card. Bartolinius, paucis ab hinc annis e vivis sublatus, dissertationem edidit pro definienda praesertim aetate erectionis huius simulacri, quam temporibus Severae assignat: illius igitur sententiam amplectar.

iusserit erigendam, etiam eadem de causa divi Petri signum poni decrevit, ut ibi religiose servaretur ac coleretur: ipse enim erat petra ac fundamentum fidei, praesertim Romanorum, quam usque ad sanguinem confirmavit; et Severae aetate viva adhuc memoria laborum B. Petri vigebat; quid igitur mirum, si ad Christum conversa, exoptaverit eius effigiem domi intueri? Quod quidem concors erat moribus Romanorum illustrium, qui in suis laribus eorum imagines servaverunt quibus grati animi vel amoris vinculo adstringerentur.

Quod si agendi ratio B. Hippolyti inspiciatur, demonstrandi scilicet cathecumenis quis fuerit Petrus, quae suprema illius dignitas, atque auctoritas, quae merita erga ecclesiam Dei, argumentum aliud sumimus ad confirmandum quod iam demonstravimus. Ipsis enim aiebat, prouti eruitur ex fragmentis operum Episcopi quae adhuc extant (1): « *Per hunc Spiritum Petrus beatam illam vocem effatus est: Tu es Christus filius Dei vivi. Per hunc Spiritum firmata est Ecclesiae petra: accede igitur, o homo, regenerare in adoptionem filiorum Dei* ». Sensus autem horum verborum, quamvis alio tenore, insculptus graecis litteris fuit in antiqua basi statuae aeneae ad significandam personam Petri, sicut in basi statuae B. Hippolyti eius operum notitiam vidimus exaratam. Haec autem inscriptio erat elegans graeci sermonis lepore, quae sic sonat latine reddita:

DEVM VERBVM INTVEMINI
AVRO DIVINITVS SCVLPTAM PETRAM
IN QVA STABILITVS NON CONCVTIOR (2).

Haec verba, Petri ore proferuntur, quasi ipsemet sic fideles alloquatur: Ne me intueamini, sed Deum Verbum, Christum, seu petram angularem divinitus sculptam ac auro

(1) Homil. in Theophan. c. IX.

(2) Basis vetus huius simulacri probabiliter aurata fuit ex ipsa verborum significatione. Mabillon, omnium primus, hanc inscri-

pretiosiorem, supra quam positus ego, Christi promissione, non concutior unquam, quamvis diabolicae tempestatis undae irruant validissime.

Patet effatum supra notatum ac basi insculptum per symbola expressum fuisse; ac proinde tertium saeculum redolere quo multa a christianis sub symbolis exprimebantur, ne pagani divina mysteria detegentes eis irriderent. Huic simile est illud a Suida relatum, quod tunc temporis per ora Christianorum ferebatur, nempe: « *Petrae* (idest Christo) *insidens spem bonam habeto* ».

Videamus nunc quae nos doceat historia circa simulacrum aeneum divi Petri. Scimus iam ab antiquissimo tempore illud fuisse cultum in templo Vaticano non solum a Romanis maxime; verum etiam a peregrinis toto terrarum orbe Romam confluentibus. Sed permagna exorta tempestate contra sacras icones, anno a Christo nato 726, opera Leonis III, Isaurici nuncupati e regione qua ortum habuit, etiam Petri signum in Vaticano Imperator odio prosequutus est. Suasu cuiusdam Iudaei, uti referunt historici, sacris imaginibus in Oriente bellum indixit, ac contra earum cultores omni tormentorum vi, exilii mortisque poena saeviit: permultas sacras icones iconoclastarum furore aut flammis datas aut confractas fuisse compertum est; sanctorum vero reliquias exustas et dissipatas. Edictum quod in Oriente contra venerabiles icones ediderat etiam in Occidente publicari iussit; ast occidentales invicto animo tantae impietati restiterunt (1).

Ecclesiam tunc Gregorius II. regebat, qui cum peramanter Leonem admonisset ut a persecutione et sanguine

---

ptionem retulit (Veter. Analec. IV) quam excerpsit ex antiquissimo Codice Einsiediense. in quo et alia multa urbis Romae ac catacumbarum epithaphia leguntur. Scriptor huius codicis cum Romam peregrinatus esset ad Sanctuaria visenda, tempore Caroli Magni, allata verba veteri basi exscripsit.

(1) Confer Goldastum: *Imperial. decreta de cultu Imag. in utroque imperio promulg.* Francofort. 1688.

cessaret, cumque omnia nequicquam expertus esset, illum ab Ecclesiae communione seiunxit; quod et Gregorius III, successor, anno 732 confirmavit, Romae coacta Episcoporum synodo. Ira exarsit Imperator, re cognita, iussitque ut Ravennatis Exarca (Italia enim eo temporis Byzantino imperio parebat) per vim aut dolum caperet Gregorium II, ac Romam cum suis copiis proficiscens, statuam S. Petri confringeret.

Pontifici vero litteras minitantes misit christianus imperator, sed paganis ipsis crudelior, quibus ei ac Romanis calamitati fore se denunciabat, nisi imperatis obtemperarent. Aiebat ille: *Romam mittam et* ICONA S. PETRI *confringam.*

Huiusmodi litteris Gregorius respondens affirmabat se nihili minas eius pendere, neque copiarum arma, quia, subiungebat, *universus occidens ad humilitatem nostram convertit oculos.* Circa vero simulacrum S. Petri, haec respondit: *Illi tamen* (Occidentales) *magnopere nobis confidunt et in eum cuius denuncias te Imaginem eversurum atque deliturum, Sancti scilicet Petri, quem omnia occidentis regna veluti Deum terrestrem habent. Quod si haec velis experiri, plane parati sunt Occidentales ulcisci etiam Orientales quos iniuriis affecisti.... Quod si ad evertendam* ICONA S. PETRI — ΕΙΚΟΝΟΣ τοῦ ἁγίου Πέτρου — *quospiam miseris, vide; protestamur tibi; innocentes sumus a sanguine quem fusuri sunt; verum in cervices tuas et in caput tuum ista recident* (1).

Mira sancti Pontificis verba circa maximam simulacri aenei divi Petri apud omnes occidentales, ac praesertim Romanos, venerationem! Exarca vero cum nefarii imperatoris mandata exequeretur, necatus est, eiusque milites partim caesi, partim fugati; classis autem magna, quam Leo colle-

---

(1) Ex epist. I. Gregor. II. ad Leonem Isaur. ap. Baron. an: 726: Mansi *Concil. Collect.* Tom. XII; Arduin. Tom. III. et IV. Litteras Gregorii Patres Nicaenae Synodi protulerunt veluti testimonium ut dogma de imaginum veneratione comprobarent.

V. etiam Maimbourg. *Histoire de l'hérésie des Iconoclastes.* Paris 1679; et Héfélé *Histoire des Conc.* Paris 1869.

gerat ut vindictam sumeret de Romano Pontifice, seu de Gregorio III, qui anno 731 successerat, in Hadriatico mari fluctibus, exorta tempestate valida, misere absorpta est, Dei dextera malorum vindice.

Referunt quidam, quod ob Leonis impietatem ac scelera Pontifex Gregorius II *Italiae populos sacramenti quo se illi* (Leoni) *obligaverant religione exsolverit, et ne ei aut tributum darent aut alia ratione obedirent, indixerit* (1). Utcumque res se habuerit illud tamen certum est, tunc temporis, populos Italiae cepisse a Byzantinorum potestate ac imperio se subtrahere ac Pontificis, uti divi Petri successoris, se submittere dominio: vel eo magis quod contra barbarorum copias, ac praesertim Longobardorum, nonnisi in Romano Pontifice praesidium et tutamen rebus in asperis invenire poterant. Ex historia autem perspicuum est Romam saepius ac funditus deletam fore ac populos Italiae omnino barbarorum ac alienigenarum iugo subiectos, nisi Pontifices Romani communem libertatem asseruissent. Idcirco, cum id iam a saeculo octavo pateret, Itali se in fidem ac clientelam divi Petri libenti animo contulerunt. Unde liquet dominium, quod vocant temporale Apostolicae Sedis, initium sumpsisse a cultu religiosissime praestito statuae aeneae Principis Apostolorum, cum Itali ipsi iugum scelestissimi imperatoris excussissent.

Quod ut evidentius comprobetur, audiamus quid Anasthasius Bibliothecarius referat in vita Stephani II. Cum Pippinus Francorum rex e potestate Longobardorum *Pentapolim* abstulisset, Constantinus Copronymus, ipso nomine sordidus, et aeque ac pater impius, legatos misit, qui ei dona offerentes peterent ut sibi civitates ipsae restituerentur. Sed Georgius *Protoasecreta*, unus ex imperialibus missis « *nequaquam valuit firmissimum iam factis christianissimi atque benignissimi regis Pippini, fidelis Dei et amatoris B. Petri, inclinare cor ut easdem civitates vel loca imperiali tribueret ditioni,*

(1) Sigonius. *De regno Italiae*. Lib. III. ad ann. 726.

asserens iisdem Dei cultor mitissimus rex se nulla penitus ratione pati easdem civitates A POTESTATE B. PETRI *et iure Ecclesiae Romanae vel Pontificum Apostolicae Sedis quoquomodo alienari; affirmabat enim sub iuramento quod per nullius hominis favorem sese certamini saepius dedisset, nisi pro amore B. Petri* ». Unde scimus loca, castella, civitates Romanae Ecclesiae ditioni subiectas patrimonium B. Petri appellatas fuisse.

His ex historia praelibatis quae ad simulacrum attinent, nunc ad celebritatem archetypi eiusdem demonstrandam transeamus. Ea est sanae criticae lex quod si quis alicuius magni viri veram effigiem velit dignoscere, illam cum aliis imaginibus comparet, quae eandem personam respiciunt, sive picturarum, sive numismatum. Et revera tum in antiquis picturis ad catacumbas et basilicas, tum in caelaturis, in laminibus argenteis vel aeratis, in numismatibus, in sacris vasis ac operibus tessellatis, nec non aliis christianae artis monumentis, quae Romae intuemur, imagines Principis Apostolorum (quas saepissime una cum effigie divi Pauli conspicimus) similes omnino sunt celeberrimo simulacro ad Vaticanum (1); adeo ut recte dici possit cultores artis christianae iconem hanc ob oculos sibi posuisse, antequam Apostolum Petrum effingerent, utpote conflatam circa primordia saeculi tertii, quum apud Romanos viva adhuc eius memoria perseveraret. Exemplum aliquod offeramus: eamdem archetypi formam, plus minus accurate delineatam, conspicimus in numismate pulcherrimo aeneo (saec. III), quod in coemeterio Domitillae ad viam Ardeatinam inventum a Boldetto modo in musaeo christiano Bibliothecae Vaticanae asservatur; in fragmento vitreo quod clarissimus vir Io: Baptista de Rossi in coemeterio Callixti detexit ac illustravit (2); in argenteo

(1) Aliquando etiam eorum nomina picturis inscripta leguntur, scilicet: *Petrus et Paulus*, tam latina quam graeca lingua, ac persaepe singulis litteris in altitudinem dispositis.

(2) Bollett. d'Archeol. cristian. Novem. 1864 N.° 11. In eo remanet tantum pars capitis Petri cum nominibus Apostolorum: *Petrus — Paulus.*

folio (graffito) ab Henrico Stevenson reperto in arenario Thrasonis ad Sanctum Saturninum via Salaria quod ad saeculum IV attinet; in numismate probabiliter cuso circa tempora Iustiniani Imperatoris, de quo loquitur Vittorellius in additamentis ad Ciaconium in vita Petri, nec non in fragmento aeneo saeculi IV eiusdem Vaticanae bibliothecae.

Quod si extra Romam exemplum quoddam querere velimus, imagines Petri et Pauli, iuxta notam *protome*, quorum in medio adstat Salvator noster, paucis ab hinc annis repertae sunt in coemeterio Syracusarum, quae hypogeum Marciae cuiusdam ornabant, litteris graece inscriptis — ΠЄΤΡΟϹ — Cum vero capita Apostolorum nymbo sint circumdata, ad saeculum quartum aut quintum picturae opus pertinet.

Etiam insequentibus saeculis ad haec usque tempora iuxta romanos archetypos, imagines Apostolorum effictas intueri datum est, non tantum Romae, sed etiam alibi. In templo Vaticano religiose asservatur tabula depicta cum imaginibus Petri et Pauli litteris rubris ruthenis notata, quae idcirco nonum saeculum redolet, uti etiam confirmavit eruditus vir Iohannes Kukuljevic Sakcinscki. Quapropter haec tabula minime oblata est a S. Silvestro Constantino Imperatori, quum fidem christianam amplexus est, prouti a plerisque olim putabatur (1). Alia imago cernitur parieti depicta initio

---

(1) In relatione visitationis apostolicae ab Alexandro VII, anno 1656, in templo Vaticano peractae legimus: « *Vidit pariter iconem SS. Apostolorum Petri et Pauli a SSmo Silvestro Papa Constantino Imper. dono datam* ». Ex Cod. Barberiniano XXXIII. 144. — Hoc idem legimus in catalogo sacrarum reliquiarum a Iacobo Grimaldi confecto. N.° 48. *Tabula SS. Imaginum Apost. Petri et Pauli quae apparuerunt Constantino Imperatori.* Et Franciscus Cancellieri addit: *Est tabula in qua sunt depictae imagines SS. Apostolorum Petri et Pauli in quorum medio etiam est sanctissima effigies Salvatoris quae apparuerunt in quiete Constantino Imperatori, quando ostensis sibi dictis imaginibus a B. Silvestro Papa e Soracte monte a se accersito, agnovit.*

saeculi XI (1) in ecclesia S. Urbani (alla Caffarella) prope viam Appiam, quae olim fuerat templum Anniae Regillae Herodis Attici uxoris. Etiam in porta aenea Basilicae, Vaticanae, quam Eugenius IV condi curavit, ac in signo, quod est in summitate columnae ad Forum Traianum, eandem formam cernimus. Caeterum longus foret catalogus imaginum Apostolorum archetypo valde similium. Eorum igitur *protome* constanter Ecclesia Romana servavit, quam praesertim in aeneo simulacro, ut dictum est, recognoscimus. Unde Petrus Antiochensis, saeculo XI, ad Michaelem Cerularium scribens, affirmat se Constantinopoli sacras imagines Apostolorum Romam allatas observasse, quae cum ipsorum authographis optime congruebant (2). Et Bonarrotius opportune inquit: *Specialmente la Chiesa Romana ebbe particolar mira di mantenere le vere immagini di tutti e due i Principi degli Apostoli, e ce ne dànno una certa riprova le antiche pitture ed i mosaici nella maggior parte de' quali si vedono tempo per tempo fedelmente osservate le loro stesse fisonomie* (3). Et clarissimus vir Ioan. Baptista de Rossi haec de Petri imagine affirmat: *Egli è certo l'effigie di lui più usisata nella Chiesa Romana non essere una convenzione degli artisti del secolo IV, ma effetto dei tipi che costoro avevano sott' occhio trasmessi dai secoli primi.* (Boll. d'Arch. 1864. N.º 11).

Sed ut redeamus ad venerabile aeneum simulacrum, dicendum est illud fuisse ablatum ex aedibus imperialibus Severae post necem Philippi, ne Decii tyranni satellites eriperent ac delerent, ac probabiliter abditum in cryptis vaticanis, seu arenariis ad Circum Neronis, ubi depositus

---

(1) Ex inscriptione patet picturarum ipsius Ecclesiae; scilicet — BONIZZO FRT A . XPI . MXI.

(2) *Eccles. Graecae Monum.* apud Cotelerium Tom. II. p. 159.

(3) *Osserv. a' vetri cimiter.* p. 75. — De divi Petri imagine plura tradunt Eusebius. *Hist. Eccles.* lib. VII. c. 19. — Iohannes Bottarius. *Osserv. alle scult. della Roma sotterr.* Tom. I. — Aloysius Polidorius — Franciscus Fogginus — Bonarrotius aliique.

fuerat corpus B. Petri (1); e quibus, pace tandem Ecclesiae reddita, initio saeculi quarti, ac templo Vaticano magnifice excitato, illuc inlatum. Scimus revera inibi magnopere cultum non a Romanis tantum, sed a populis Romam devotionis causa confluentibus. Et sane Maphaeus Vegius, olim Basilicae Vaticanae canonicus, haec ait: *Erat sane Oratorium ipsum* (idest S. Martini) *summae apud omnes devotionis, maxime quod esset posita in eo Imago aenea Sancti Petri, neque in tota Basilica post altare maius ullus locus erat ad quem maior pro devotione fieret concursus populorum.*

Ex Oratorio S. Martini, quod erat in loco *Ferrata* dicto ac Basilicae coniunctum, simulacrum translatum est ad oratorium SS. Processi et Martiniani quod Paschalis I, magnus martyrum cultor, in Vaticano templo suis sumptibus fabricaverat. Qua de re oratorii ipsius *altare Sancti Petri de bronzo sive Ss. Processi et Martiniani* appellatum est (2). Etiam, saeculo XVI, ara vulgariter *Sancti Petri de bronzo* dicta est. Cum sub Paulo III vetus templum deiicieretur, Pontifex statuam alium in locum transtulit, ut refert Alpharanus, seu ad sinistrum latus Basilicae ad aquilonem. Tandem novo templo excitato, Paulus V, Burghesius, iussit ut ea illic poneretur ubi impraesentiarum colitur.

Antequam huic narrationi finem faciam memoria dignum putamus miraculum, quod tactu percelebris simulacri operatum est pro Iohanne Kowalschi Polono milite, iamdiu paralytico, qui illico sanus effectus est, uti olim claudus ad speciosam portam templi Hierosolymitani a Petro sanitatem recepit, iuxta narrationem Actuum Apostolorum. Huius sanationis prae caeteris testis est oculatus Prosper Lambertinius, Basilicae Vaticanae Canonicus, postea Benedictus XIV, qui, anno 1723, confluentibus peregrinis ad

---

(1) Bartolinius putat statuam Hippolyti abditam fuisse in coemeterio Generosae ad sextum Philippi Via Portuensi. — V. etiam De Magistris. *Acta Martyr. ad Ostia Tiberina.*

(2) Ex particula Instrum. anni 1189 a Bartolinio relata.

Vaticanum, prodigium admiratus est, quod dein apostolico diplomate confirmavit, iubens ut, inscripto lapide, memoria in cryptis Vaticanis servaretur.

Ex his igitur quae hucusque descripsimus patet simulacrum aeneum divi Petri, summa atque antiquissima praeditum religione, ac singulari opere artificioque perfectum, merito, a Romanis praesertim, ut Palladium intueri ac venerari; quidquid enim gloriae, quidquid boni, quidquid auxilii Urbs aeterna excepit, id a Petro praecipue acceptum fatetur (1). Qua de re, sacra redeunte anniversaria solemnitate martyrii eius, maximus fit ex urbe tota ad templum Vaticanum Romanorum concursus, ubi Signum Principis Apostolorum mitra, auro gemmisque ornata decoratur, quam vulgo vocant *triregno*, nec non annulo ad digitum pretioso, ac pluviali ornamentis contexto et mirifice elaborato induitur.

Ave nunc, Princeps Apostolorum! Tuum venerabile simulacrum salus sit ac praesidium Populi Romani totiusque Ecclesiae Christi. Sine, ut humilis ovis Te Pastorem ac Coapostolum Paulum verbis celebret quibus Venantius Fortunatus vestras olim laudes cecinit:

Coelorum portae, lati duo lumina mundi;
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.

---

(1) Hac de causa solemnitatem Apostolorum Romani magna cum laetitia celebrabant, ac praesertim conviviis quae etiam in porticu Vaticanae Basilicae parabantur, quibus fruebantur et pauperes. Testis est, inter alios, divus Hieronymus, qui scribens ad Eustochium (Ep. XXXI) ait: *Festus est dies et natalis B. Petri.... unde nobis sollicitius providendum est ut solemnem diem non tam ciborum abundantia quam spiritus exultatione celebremus.* De hac festivitate id statuit Hadrianus I: *Fecit et pharum maiorem in eadem B. Petri Ecclesia in typum crucis qui pendet ante presbyterium, habentem candelas mille trecentas et septuaginta; et constituit ut quatuor vicibus in anno accendatur, idest in Nativitate Domini, in Pascha, in Natali Apostolorum et Natali Pontificis.* — Anastasius in eius vita.

Inter Apostolicas radianti luce coronas,
Doctior hic monitor, celsior ille gradu.
Corda per hunc hominum reserantur, et astra per illum,
Quos docet ipse stylo suscipit ille polo.
Pandit iter coelis hic dogmate, clavibus alter;
Est via cui Paulus, ianua fide Petrus.
Hic petra firma manens, ille architectus habetur,
Surgit in his templum quo placet ara Deo.
A facie hostili duo propugnacula praesunt,
Quos fidei turres urbs caput orbis habet.
Hi radiant ovili precioso in corpore Christi
Lumine qui proprio caetera membra regunt.

IOSEPH SAC. CASCIOLI.

S. RITUUM CONGREGATIO

VELITERNEN.

Cathedralis Basilicae Veliternae Caeremoniarum Praefectus, qui iuxta Constitutiones Capitulares curare debet, ut omnia quae ad Caeremonias attinent rite ac recte ab omnibus peragantur, Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna declaratione humillime exposuit, nimirum: « In choro diebus festis adsunt praeter Canonicos, Beneficiati et Ven. Seminarii Alumni. In Missa solemni, ad *Credo,* omnes Symbolum recitant cum Celebrante, simulque ad verba « Et incarnatus est... » genuflectunt. Absoluta recitatione, omnes sedent. Cum deinde cantatur praedictus versiculus « Et incarnatus est » Beneficiati et Seminarii

Alumni sedentes non faciunt ad eadem verba alteram genuflexionem. Et haec praxis duobus abhinc annis obtinet, vi resolutionis sumptae in Collatione Casuum moralium et liturgicorum, habita die 20 mensis Iulii anni 1893, praeside Rmo Dño Episcopo Suffraganeo et Vicario Generali, adstantibus Canonicis, Beneficiatis et Seminarii Alumnis, qui disciplinis Theologicis vacant. Inde postulavit:

« An servari possit huiusmodi praxis non genuflectendi prout in casu? »

E Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus attente consideratis, rescribendum censuit: *Affirmative*, iuxta Decreta in *Neapolitana* 15 Februarii 1659, et *Maioricensi* 13 Februarii 1677 et praxim Basilicarum Urbis. Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 15 Iunii 1895

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. Aloisius Tripepi *Secret.*

EXPLANATIO

In Ecclesia Veliternensi, quidquid sit de praeterito, impraesenti ad verba, quae canuntur in choro « Et incarnatus est », dum symbolum in Missa solemni habetur, omnes de choro sedentes, quicumque ii sint, sive Canonici, sive Beneficiati, sive clerici, non genuflectunt, sed tantum inclinant discooperti caput. De hac se gerendi ratione S. R. C. expetita, respondit, eam servari posse.

Nota autem, hic non agi de consuetudine, quae cum a duobus annis inceperit, vix considerationem meret; imo contraria potius consuetudo viget, quia duorum usus annorum toto iure negligi potest, et concludi, in casu semper chorales, exceptis canonicis, flexisse genua ad verba *Et incarnatus est.* Arroges, canonicorum Collegium genuflexioni favisse, et contra sessionem stetisse: quod certa scientia scimus, licet de hoc Dubii expositio sileat. Hisce haud obstantibus, S. Tribunal Rituum perspicue respondet, praxim sedendi et non genuflectendi servari posse. Quid ergo? Ni fallimur, ex duobus unum: aut lex Caeremonialis Episc. non ita clara est, uti apparere fortasse potest, aut iusta de causa S. Tribunal legem mutare, vel ei derogare intendit: quod et indubie posset. Quodnam ex duobus assertis verum?

Hoc ultimum reiicere malumus; quia S. R. C. legi alicuius approbati codicis derogare non praesumitur, nisi id explicite declaret: secus magna oriretur confusio inter legem Codicis et legem Decretorum, quatenus ab alterutra lege servanda impediri nulla potest Ecclesia, imo nec impediri possunt, per se saltem, iidem Ecclesiastici in eadem Ecclesia. Ex quo difformitates, dicteria, lites oriri summa facilitate posse nemo non videt: eoque magis, quod resolutio praesens Rubricam indubie praeceptivam respicit; ut Decretum particulare generali aequivaleat, et universas Ecclesias afficiat. Primum ergo omnino admittendum videtur, super quo paulisper immorandum. En textus legis: « Quo finito (*symbolo recitato, in quo genuflectendum statuerat ad verba* **Et incarnatus**), sedet Episcopus cum mitra simplici, et **omnes etiam sedent**; et cum praedictus versiculus cantatur a choro, pariter Canonici **sedentes**, capite detecto, et Episcopus cum mitra, profunde **inclinant caput** versus altare, **alii genuflectunt** donec perficiatur dictus versiculus (*Lib. II, cap. VIII, n. 53*) ». Uti legenti patet, magis obvia et simplicior verborum intelligentia fert inclinationem pro canonicis ad praedicta verba cantata, et genuflexionem pro aliis. Huic legis intelligentiae favet Decretum *Rhedonen.* d. d. 21 Iul. 1855 ad 2, in quo petitur: Utrum in casu (*dum canitur* **Et incarnatus**) ab om-

nibus qui sunt in choro sedendum, etiam si non sint canonici, sed simplices sacerdotes superpelliceo et cotta induti? » Responsio autem est: « Ab iis qui non sunt canonici, negative, nisi adsit contraria consuetudo ». Favet et plurium Ecclesiarum praxis, uti et ipsa Veliternensis, de qua agimus. Favet et dignitas canonicorum, aliorum, qui canonici non sunt, dignitate potior: ut pluries videamus etiam in aliis casibus, canonicos inclinare caput, alios vero genuflectere.

Nihilo tamen minus sustineri quoque potest oppositae interpretationi subiacere posse textum relatae legis, allatasque rationes aliis contrariis momentis, ni fallimur, infirmari. Namque, textus nominat canonicos **sedentes**, qui **caput inclinant**, tacet de reliquis inferioribus, qui etiam sedent, ut superius dixerat. Inde praedicat: **alii genuflectunt**; at inquiri potest, an isti sint alii **omnes**, qui sicut canonici sedent, et de quibus ante siluit, an alii **tantum** qui non sedent. Facile enim legi erat, postquam dixerat esse canonicis caput inclinandum, uti et Episcopo, addere: alii **omnes**; vel clarius: aliis **omnes sedentes** *genuflectunt*. Tu vero obiicies, id non fuisse necessarium, quia iam antea textus scripserat: **omnes sedent**. Sed reponi potest: quare ergo iterum textus nominat canonicos **sedentes?** Nonne iis sedendum iam antea praedicaverat? Et nihilominus iterum advertit. Quare ergo sicut iterum nominat canonicis *sedentibus* esse inclinandum caput, non etiam nominat alios *sedentes*, quibus genua flectenda sunt? Hoc profecto haud apparet perspicuum. Hinc to *sedentes* videtur dicere potius relationem ad *non sedentes:* adeo ut cum lex dicit **alii genuflectunt**, ad *non sedentes* videatur alludere, non ad eos qui sicut canonici sedent. Consequenter sensus legis esse videtur sequens: Canonici *sedentes* caput inclinant, alii *non sedentes* genuflectunt. Inter *non sedentes* autem recenseri possunt Beneficiati, aliique clerici, qui olim cantorum scholam efformabant, et, aut actu canebant verba *Et incarnatus*, aut stabant; cantus enim alternus erat. Disciplina successu temporis mutata, fieri potuit, ut tam Beneficiati quam clerici more canonicorum in casu sederent. At cum more canonicorum sedeant, id quod de iisdem ca-

nonicis lex praedicat, mirum esse non debet, si S. R. C ad beneficiatos clericosque applicet.

Quod revera est; si enim Decretum unum pro genuflexione eorum, qui non sunt Canonici attulimus (quod fortasse expungendum erit, nisi expunctum e Collectione iam fuerit), plura allegare possumus pro eorumdem sessione. Ita Decretum *Angelopolitana* d. d. 13 Iun. 1671 ad 4 praedicat. « Ii tantum de choro, **qui stant**, tenentur ad genuflexionem ». Iterum in Decreto *Maioricen.* declaratur generaliter: « Stantes genuflectere debent ad versum *Incarnatus est*, sedentes vero inclinare caput (*13 Iun. 1676 ad 2*). Clarius in Decreto eiusdem originis d. d. 13 Febr. 1677 ad 2 docemur: « Ad versum *Et incarnatus est* etc..... indiscriminatim sedentes omnes, nemine excepto, teneri caput detectum inclinare ». Die autem 22 Iul. 1848 vulgatum quoque fuit Decretum *Adiacen.* praedicans: « Ab omnibus qui sunt in choro sedendum, praeterquam in diebus Nativitatis Domini, et Annuntiationis B. M. Virginis, in quibus ab omnibus est genuflectendum ».

Quod autem spectat Decretum *Rhedonen.* de quo superius, nota, ibi admitti etiam consuetudinem sedendi. Porro, si lex genuflectendi pro choralibus non canonicis certa esset, consuetudinem sedendi nunquam approbasset S. R. Tribunal, saltem nisi derogare se dixisset Caeremoniali Episcoporum, quod universas Ecclesias afficit.

Ex his concludimus, legem dicti codicis non esse perspicuam, et S. R. Congregationem authentice interpretatam fuisse pro sessione omnium indiscriminatim, qui in choro sedent; ergo eiusmodi interpretatio legis vera est, et Caeremoniale ita, uti diximus, non aliter intelligendum est.

Quod pertinet autem ad praxim Ecclesiarum, reponimus, hanc partim favere genuflexioni, partim sessioni. Ecclesia ex. gr. Congregationis Missionis, quae profecto iure se effert de exacta, ne scrupulosam dicamus, caeremoniarum rituumque sacrorum observantia, genuflexioni favet. Sed aliae plures in Urbe, uti Basilica S. Petri, Ecclesia S. Apollinaris, aliaeque multae, sessioni favent. Discrepantia autem ex legis obscuritate exorta nihil pro aut contra probare valet.

Quod denique spectat dignitatem canonicorum, respondemus, eam non semper probare posse, genuflectendum esse aliis, dum ipsi sedent, uti patet; quia in pluribus casibus genuflectere aut sedere commune est omnibus et singulis de choro. In casu vero nostro consultius fortasse est, saltem ubi contraria non vigeat consuetudo, quae ab iis quorum interest servanda praecipiatur, ut omnes sedeant, caputque discooperiant et profunde inclinent; quia tunc maior splendet in actibus liturgicis conformitas.

Inferes, oppositam thesim, quam Ephemerides alibi (*1890, pag. 51 et seq.*) sustinuerunt, quidquid sit de praeterito, impraesenti, saltem post Decretum in *Veliternen.* quod satis Legislatoris intentionem significat, Decretaque praeterita sancit, et confirmat etiam praxi Basilicarum Urbis, defendi non posse. Quae proinde ibi exposuimus tamquam non dicta habeas.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VII.

Cum transacto anno 1892 locus non superfuerit Dominicae sextae post Epiphaniam ob Septuagesimam, in diem 14 mensis Februarii incidentem, duo in re liturgica viri satis versati gravem instituerunt quaestionem: utrum nempe eidem Dominicae, quae in praecedenti Sabbato ad instar ferialis officii recolenda erat, assignari necne posset officium votivum ad libitum. Namque a Leone Papa XIII an. 1883 ita eiusmodi votiva officia indulta fuere, *ut loco officiorum ferialium, quocumque*

anni tempore persolvi possent, quibusdam tantum temporum adiunctis exceptis. Nunc autem officium illud Dominicae, quod anticipari quandoque debet, ad instar ferialis est, ut non videatur exceptum. Quod nihilominus nihil probare videtur aliis, qui oppositum sustinent; aiunt enim, huiusmodi officium non esse feriale, licet ad instar ferialis, nec ad feriam simpliciter pertinere, sed ad Dominicam. Quaeritur:

1. *Quando et quibus de causis inceperint officia votiva, ad quorum similitudinem votiva ad libitum indulsit officia per annum Leo Papa XIII?*

2. *Utrum erui possint ex Rubricis Breviarii Romani, vel ex Decretis a S. R. Congregatione emanatis, normae aliquae huiusmodi officia, vel permittentes, vel prohibentes in feria, in qua Dominicae officium anticipandum est?*

3. *Cui ex contrarie opinantibus, omnibus bene perpensis, veritas faveat?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Caroli Respighi almi Collegii Capranicensis alumni, habita in Ecclesia Congregationis Missionis apud Curiam Innocentianam die II Apr. 1894: acta Epitoma a Rmo Dom. Dom. Ioanne Baptista Menghini ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris.

I. Quaeritur primo quo tempore quibusque de causis votiva inceperint officia, ad quorum similitudinem officia votiva per annum ad libitum Leo Papa XIII indulsit.

Cum petitio nostra quamdam innuat similitudinis relationem inter officia votiva ante Leo-

nem Pontificem XIII extantia, et ea quae Hic permisit; operae pretium iudicamus aliquid de eorumdem officiorum natura praemittere.

Exploratum imprimis ponimus, officium votivum, inspecta forma, idem omnino esse atque alia festiva, seu quibus liturgica festa recoluntur. Quod ritum pariter attinet, idem esse quoque praeterimus, uti notum, quo saepe pro festis utimur, nempe semiduplicem: quamvis aliquod non desit exemplum etiam de officio votivo sub duplici ritu concesso. Totum proinde negotium praesens super *votivi* significatione versatur, ob quam illud a *festivo* officio discriminetur, namque hic *votivum* et *festivum* correlativa sibi sunt. Dicimus itaque officium votivum a festivo differre in hoc, quod illud sit *liberum*, istud vero *obligans*. Quod nihilominus *liberum* aut *obligans* diximus, *per se* intelligas; cum ceteroquin illud *per accidens* evadere praeceptivum possit, istud verum liberum. Ita ex. gr. officium votivum de Ss. Angelis, feria II ab officio novem lectionum libera, nulla obligatione imponitur; at si agatur de Canonicorum Collegiis, quae eadem acceptarunt, obligationem parit ex uniformitatis ratione in recitatione officii, ad quam Canonici tenentur. Similiter, Missa officio conformis obligat; at si ponas ritum officii semiduplicem vel simplicem, obligatio cessat, cum huiusmodi ritus Missam officio non convenientem permittat. Cum autem diximus Missam officio conformem, intelleximus loqui de conformitate Missae, non solum cum officio recitato, sed etiam cum alio quocumque, de quo facta commemoratio fuerit, vel facienda *per se* fuisset. Adeo ut Missam iudicemus non votivam sed festivam illam, quae,

licet ratione potioris ritus possit esse prohibita, nihilominus officio diei conformis est, quod sola commemoratione gaudet, vel ad eam iure gaudebat. Ita ex. gr. Missam de Sancto Simplici occurrente festivam indicamus, non votivam, sive in semiduplici occurrat sive in duplici, imo etiam si occurrat in aliquo festo classico: licet ea permittatur in semiduplici ritu, prohibeatur generaliter in ritu superiori. Hac de causa, ni fallimur, in duplicibus II vel etiam I classis, solemnioribus exceptis, Missa permittitur de festo simplici occurrente, et de festo quod est transferendum, quia ea die occurrit.

Praeterea obiter hic praenotamus, officia *votiva* et officia *ad libitum*, inter se quidem differre; at in pluribus quoque conveniunt. Et primo, votivum saepe feriae alicui affigi solet: quod est ad libitum vero, diei mensis. Illud insuper si fieri non possit, nullum ius habet ad commemorationem, hoc vero ad eam quandoque ius habet, uti de S. Remigio comprobatur, quod semiduplicis est ritus, si de eo fiat officium, secus commemorationem exigit, cum sit tunc ritus simplicis de praecepto. Tertio, die pro officio ad libitum assignata liberum est reponere officium festivum per accidens impeditum, dummodo alia suppetat dies pro officio translato celebrando: officium vero votivum numquam habere locum potest, quando officium quodcumque praeceptivum, excepto simplici, celebrandum est. Quarto, diei pro officio ad libitum assignatae affigi nequit officium festivum perpetuo translatum, ne possibilitas illud agendi cesset: quod de officio votivo comprobari non potest, uti animadvertenti facile patet.

In hoc autem conveniunt, quod tam officium ad libitum quam votivum recitandi libertas *per se* est, secus votivi aut ad libitum cessaret ratio. Praeterea neutrum potest infra octavas, licet non privilegiatas, recoli. Tertio, si alterutrum impediatur ab alio quocumque officio praeceptivo, reponi alia die non potest, sed omittendum. Hic autem notandum, officia, de quibus nobis peculiaris erit sermo, quae nempe Leo Papa XIII indulsit, *votiva ad libitum* vocari, ut consequenter eorum naturae prorsus conforme sit, ea iuxta votum et placitum esse recitantis. Quod abunde etiam patet ex verbis Indulti dicentis: « Quoad privatam vero recitationem, ad libitum singulorum de clero (*Decr. Urb. et Orb. 5 Iul. 1893*) ».

Postremo animadvertere iuvat, votiva officia ante Leonem XIII concessa, tempore inspecto, quo recitari possunt, minus late patere quam quae hic Pontifex indulsit; sed opportunius de hac re in sequentibus.

His praelibatis, de origine inquiramus horum officiorum, quam ex privata recitantium devotione esse derivatam non est inficiandam. Cavalerius notat, ab antiquiori aevo non defuisse Ecclesias, quibus consuetudo erat aliquod recitandi per hebdomadam officium de Patrono, uti Bituricensis recitare consuevit de S. Stephano, Ambianensis de S. Fermino etc. Idem docet de Religionibus quod earum attinet Fundatorem, imo et filios ipsos, quos felix caelo parturiit. Laudabilis, addit, eiusmodi usus ad alia loca pertransiit; hinc Ducatum tunc temporis existentem Mantuanum nominat, qui de pretiosssimo Christi sanguine officium recitabat, Pedemontanum de

Sacratissima Sindone, et alibi de SSm̃a Eucharistia semel in hebdomada institutum (*Lib. II, cap. XXIV, n. 1*). Ipsamet autem Ecclesia pro Sabbatis non impeditis officium votivum instituit in honorem Deiparae, uti ex Brev. Rom. constat. Equidem, si de Missis ageretur, ipsum Sacramentarium Gelasianum adduci posset, quod argumenta suppeditat, pluries Dei memoriam honore fuisse habitam in peculiaribus rerum temporumve adiunctis, extra consuetas Ecclesiae solemnitates. Sed cum de officiis loquamur, ad tantam nequimus antiquitatem ascendere. Ex annalibus Ordinis S. Benedicti quorumdam haurimus notitiam officiorum in honorem Deiparae, Crucis Sanctorumque, quae, praeter ordinaria, a IX usque saeculo monachi quotidie recitare consueverunt. Haec, ni fallimur, vetustiora officia, quae votivis similia aliis quae severiori sensu talia sunt, dederunt originem. Progressu temporis ac paulatim, qui semel vel pluries in hebdomada Missam de Patrono vel Institutore votivam agebant, eidem officium conformare ceperunt. Hinc Rodulphus Tungrensis saeculo XIV notabat: « Quamvis in septimanis vacantibus servari possit Missa de Patrono, tamen eiusmodi Laudatio extendi non debet ad Horas principales, ne officio feriali praeiudicium nimium generetur, nec scripturam nec exemplum habemus, hoc licite fieri (*Prop. 20*) ». Ipsemet Cavalerius non dissimulat, potiorem officiorum votivorum rationem, non tam in devotione constitisse, quam in eorumdem prae aliis de tempore brevitate. Quidquid sit nihilominus, Ecclesia mitius, ad haec quod attinet officia votiva, posteriori aetate se gessit, quamvis cum feriarum detrimento, inter

quas tamen praecipuas, uti Adventus et Quadragesimae, ad nostra usque tempora servatas voluit. Praeterea, cum ex iussu S. Pii V Pontificis et ex Rubricis nova celebrare festa aut officia ex privata devotione prohibitum fuerit, recitantium libertas ita coarctata manet, ut ea solum peragere officia sit permissum, quae aut Breviario inscribuntur, aut ex privilegio indulgentur.

Itaque ad votivorum, de quibus diximus, officiorum similitudinem Leo Papa XIII alia concessit per Decretum, de quo nuper mentionem fecimus, et quae non solum *votiva* appellavit, sed etiam *ad libitum,* saltem pro singulis de Clero. His autem propriae speciales Rubricae sunt, quae ante ea praemittuntur; et 1. ritu semiduplici sunt recitanda: 2. loco officiorum ferialium recitantur toto anni tempore, feria IV Cinerum, toto Passionis tempore, et a die 17 ad 24 Dec. inclusive: 3. commemorationes admittunt feriae et Simplicis occurrentis, et IX lectionem alterutrius, si habeatur, sicuti commemorationes communes, illa excepta, de qua fit officium. 4. In concursu ad normam Rubricarum ordinantur.

II. Cum, sicuti mox vidimus, haec votiva ad libitum officia toto tempore permittantur loco officiorum ferialium, sola feria IV Cinerum excepta, Passionis tempore, et Adventus a 17 ad 24 inclusam diem; hinc altero loco quaeritur, utrum illa in feria, qua officium Dominicae anticipandum praescribitur, de aliquo votivo officio possit fieri.

Praemittere iuvet, lex esse liturgicam, quam Rubricae exhibent, ut si aliqua ex Dominicis post Epiphaniam (excipe 2^{am} de qua non loquimur) vel 23^{a} post Pentecostem celebrari nequeat propria

die, non sit omittenda, sed aut in Sabbato praecedenti, aut in proximiori feria ab officio novem lectionum libera, anticipari debeat. Quod si nulla sic libera dies reperiatur per totam hebdomadam in calendario, eo in casu dicatur in Sabbato IX[a] lectio Dominicae eiusque commemoratio ad Laudes, more Dominicae quae impeditur.

His praemissis, ut aequam petitioni exhibeamus responsionem, perpensis breviter primum fine et spiritu Indulti, rem in seipsa considerabimus, legisque positivae dispositione complebimus. Finis indulti videtur fuisse quaedam necessitas ex parte cleri, spiritualibus curis onerati, sacrisque ministeriis addicti. Huius proinde levamen in mente habuit sapiens legislator, seu, ut se Indultum exprimit, cleri commodum, ob quod indulgere censuit, ut ferialium officiorum loco votiva ille recitare posset. Inde facile Indulti quoque spiritus arguitur, clerum videlicet eumdem a ferialium officiorum recitatione eximere, nobiliorum licet, uti quae tempore Adventus et maxime Quadragesimae occurrunt recitanda. Hinc conclusum a nonnullis fuit, in indulto ipsum comprehendi dominicale officium, quando anticipari debeat. Dies enim ille, quo eiusmodi officium reponi iuxta Rubricas debet, feria est, officiumque ipsum feriale; ergo et loco illius reponi ac recitari potest votivum officium ex iis, quae SS. Dominus noster indulsit.

At conclusionem haud esse legitimam sequentia demonstrabunt. Primo enim, non obstantibus Indulti fine et spiritu, de quibus dictum est, indubie exceptiones aliquas illud posuit, ut nonnullas explicite reservaret ferias nobilissimas, quales

sunt, praeter IV Cinerum, illae quae a 17 ad 24 Decembris, ac toto Passionis tempore decurrunt. Ergo ex praefata ratione inferri, cum certitudine saltem, nequit, Indultum voluisse quoque officium Dominicae anticipandum includere. Equidem explicite hoc officium, seu eiusmodi feria non fuit excepta; sed Rubricae quae omnia exigunt recitari Dominicalia officia, etsi die propria fieri de iis non possit, ostendere videntur, eadem officia non posse aliis ferialibus comparari: adeo ut, quia in his indulgentem se lex exhibuit, pariter indulgens in illis fuerit. Ea propter magis legitime concludi possit, Indultum noluisse derogare Rubricis contra huiusmodi officium: ut quod explicite non reservavit, implicite reliquerit exceptum.

Secundo. Officium Dominicae anticipandae si severius loquamur, feriale appellari non potest, licet ad instar ferialis sit; sed ad Dominicam indubie pertinet, et meliori iure nuncupatur Dominicale. Et sane, eius indolem et naturam perpendere iuvet. Rubrica praedicat, huiusmodi officium ex psalmis relativae feriae constitui, tres legendas esse lectiones de Homilia Dominicae, *omissis lectionibus Scripturae illius feriae,* et in Laudibus dicendam esse antiphonam ad *Benedictus* et Orationem Dominicae (*Tit. IV, n. 4*). Quid ergo habetur de feria in hoc officio? Nonnisi psalmi, reliqua de Dominica sunt, At animadvertas, psalmorum ferialium recitationem cum antiquissima necti consuetudine Ecclesiae sic distribuendi psalterium per hebdomadam, ut integra eius recitatio in illa absolvatur, sed in diversis feriis nunquam iteretur. Psalmi itaque propriis diebus sunt affixi, non officio: ut si officium Dominicale trans-

ferri debeat in aliquam ex feriis, in hanc transferendi non sint, sed illi in ea recitandi, qui eidem sunt affixi. Intima ratio est, quia officium Dominicale essentialiter a feriali non differt, sed sicut feriale constituitur, cum utrumque eumdem habeat finem, seu Domini sit. Praecipua discrimina, quae haec inter septem officia intercedunt de die, consistunt in lectionibus, in antiphona ad *Benedictus* et Oratione, quae partes vere propriae sunt, per quas distinguuntur, specialique natura atque indole decorantur: haud vero in psalmis, qui uniuscuiusque feriae ordinem sequuntur, eidemque sunt adnexi. Differt Dominicalis ritus officii a ferialis, cum sit magis solemne propriumque officium diei Domino peculiariter consecrati, hinc Dominica dicitur *dies Domini, dies Dominica;* et est aliarum feriarum principium, sicut Dominicale officium ferialium, cum eoque psalterium incipit maiori psalmorum numero, qui tamen diei sunt magis quam officii. Cum itaque Dominicae officium in feriam transferendum sit, cuius officium eiusdem indolis est ac naturae, sufficit ut quae propriae sunt partes transferantur, lectiones nempe, antiphona ad *Benedictus* et Oratio; sed inutiliter psalmi transferrentur, ut propterea nec Rubrica id doceat, imo contrarium iubeat. Similis aliquid accidit in Sabbatis, in quibus nec de duplici nec de semiduplici factum est, et sequenti die de Dominica agendum; tunc namque Dominica integras habet Vesperas, quarum tamen psalmi sumuntur e Sabbato, sed ad Dominicam pertinent. Quae lex vim quoque habet in Sabbato ante Dominicam in Albis, quae cum duplicis sit

ritus, proprios deberet psalmos habere, et nihilominus suos psalmos Sabbati facit.

Neque obiicias, tres esse tantum lectiones in officio Dominicae anticipatae, dum in Dominica novem possidet; has enim minor psalmorum numerus non capit, quae tamen propriae et solemniores de Dominica sunt, et lectionibus feriae omittendis sufficiuntur. Arroges, etiam responsoria esse transferenda si propria habeantur, atque recitantur in feria, non tamen si sint communia. Quod superius dicta confirmat de natura dominicalis officii translati.

Quod si opponas, hymnum *Te Deum* in feria omitti, sicut et Symbolum, quae tamen in Dominica dicuntur, id non obstare reponimus. Hae enim partes non tam officii sunt quam diei, quippe quae in Ss. Trinitatis laudem recitantur: ut licet non detur Dominica sine *Credo*, dari nihilominus possit sine Credo Missa dominicalis. Praedicant enim Rubricae, *Credo* dicendum esse in omnibus Dominicis, etsi fiat non de Dominica sed de festo, *in quo alias non diceretur*, *imo etsi Dominica vacet* (Rubr. Gen. Miss. Tit. XI, n. 1). Ergo Simbolum diei est proprium, potiusquam officii, ut optime detur Missa Dominicalis sine illo, quando alia die celebratur. Quod etiam, de hymno *Te Deum* iudicandum, maxime quia plura dominicalia officia illum ratione temporis excludunt. Ceterum non inficiamur feriale a Dominicali officio differre, haud obstantibus expositis, sicut et eius terminatione ad Horam Nonam; sed dicta abunde demonstrant, officium Dominicae anticipatae non posse uti omnino feriale çenseri, sed partes, quae propriores sunt officii dominicalis ita suas fa-

cere, ut iure appellari possit et debeat, non ferialis sed ad instar ferialis, et dominicale. Hoc autem satis est, ut Indultum officia ferialia nominans, quorum loco votiva ad libitum recitari possint, nullo pacto intelligere potuerit officium dominicale anticipandum in illis inclusum.

Tertium argumentum desumi potest ex dignitate Dominicae, quae feriis etiam maioribus indubie excellit: haec autem, licet imminuatur, non tamen omnino deperditur in anticipatione. Haec ratio est intima, ob quam Ecclesia singulari profecto atque unico privilegio Dominicas ditavit, vi cuius possent earum officia impedita anticipari, nunquam vero omitti. Hinc Dominicae anticipatae, ait Cavalerius, utpote feriis maioribus nobiliori, plus reverentiae a Rubricis exhibetur, et praeferenda est officiis votivis: quidni et votivis officiis ad libitum, de quibus agitur?

Quarto. Si antiquitus permissa votiva officia in illa non poterant feria recoli, in qua Dominicae officium erat reponendum, quare impraesenti poterit? Quia, respondebis, antiqua Decreta vetitum ferebant, praesens non fert Indultum. At reponimus, Indultum de hac feria silet, quae tamen unum et idem non est cum aliis, etsi maioribus, sive Adventus, sive Quadragesimae, sive Quatuor Temporum, sive secunda Rogationum, quae omnes simplices sunt. Etenim Dominicae anticipatae officium, non est, uti vidimus, simpliciter feriale, sed essentialiter, licet in aliquibus differat, dominicale. Indultum autem silet quidem de hac feria, in qua officium Dominicae anticipandum est; sed inficiandum non est, illud verba tantum facere de officiis ferialibus, et pro fine

habere *ut non augeatur onus officiorum ferialium*, haud vero *onus officiorum Dominicalium*.

Quinto denique et ultimo, statim ac feria aliqua libera sit ab officio novem lectionum, et Dominica impediatur, haec iure suo clamat ut in illa libera feria anticipetur. Ius autem istud ei Rubricae tribuunt, quod pro Calendariorum redactoribus in praeceptum convertitur. Ergo dicta feria pro votivo officio amplius non est libera; eoque magis, quod illud praeceptivum intelligi nequit quomodo ab hoc permissivo impediri valeat. Ergo, omnibus perpensis, haec ad propositum Dubium alterum responsio, sive antiquiora Decreta, sive Rubricae expendantur, optime eruitur, non posse officium votivum fieri in feria, in qua officium Dominicae anticipatae reponendum est.

Haec quidem notatis ab initio dissertationis die et anno in Academia fuerunt exposita; sed posterius, id est die 5 Febr. vertentis anni 1895, Decretum in *Romana* vulgatum est, ex quo controversia definita fuit, et opinio conversa in veritatem. Ad litteram illud referre iuvat, quod attinet primum Dubium, quod ad rem nostram facit.

« Dubium I. S. R. C. per Decretum *Lycien.* 4 Aprilis 1705 ad V. declaravit, officia Sanctorum ad libitum esse omittenda, si ab aliquo Officio Dominicae anticipandae impediantur. Idem statutum legitur in recentiori Decreto *Namurcen.* 29 Maii 1885 ad I. Hinc quaeritur: Utrum officium Dominicae anticipandae impediat quoque recitationem Officii Votivi ad libitum ex iis, quae Ssm̃us Dominus Noster Leo Papa XIII nuper indulsit? » Responsio autem fuit: « Ad I. Affirmative ».

III. Pro quo ergo veritas pugnet tertia petitio postulat. Vix post dicta super hoc immorandum; si enim momentorum vis impar adhuc esset veritatis suasioni inducendae, Decretum postremo loco relatum eiusmodi indubie est, ut dissidentes ad concordiam revocet. Quidquid ea propter hucusque dici pro et contra potuerit, certum impraesentia est, illi veritatem favere, qui sustinuit, in feria, qua est officium Dominicae anticipandae reponendum, officium votivum ad libitum recitari non posse.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

Nota. — Antequam consuetam aggrediamur Dubiorum, quae nobis proposita fuere, solutionem, opportunum iudicamus omnes Ven. lectores nostros monere, plura nobis missa fuisse Dubia circa semiduplicia Sanctorum infra octavas concurrentia, imo et concurrentia, uti circa octavos dies concurrentes cum duplicibus minoribus. Verum praefatorum solutionem Dubiorum omittere, post tot in harum Ephemeridum paginis exposita, consultius censuimus. Ratio est quia dictae quaestiones, uti et quae concurrentiam respiciunt officiorum votivorum, sive inter se, sive cum semiduplicibus de praecepto, in S. R. Cōgne pendent. Ut quid ergo, conclusimus, tempus in eorum discussione terere? Si itaque aliquantulum velint lectores nostri adhuc patienter expectare, voti compotes, et quidem perfecte, fient: quod et optamus.

I. *Ex Austria.* **De Ecclesia non execrata, licet opere tectorio ex arte deleto ac renovato.** Ecclesia, e cuius parietibus studio deletur opus tectorium, ut renovetur, manet ne execrata?

Resp. Tredecim abhinc annis, post Decretum *Senien.* uti in Ephemeridibus legere est *(num. 2 vert. an.)*, re declarata, aliud non subortum fuit Dubium super adhuc valida consecratione Ecclesiae, e cuius parietibus antiquum deletum, novumque positum fuerat tectorium opus. Anno praesenti vertente Rm̃us Episcopus Tridentinus, et causam nescimus, praefatum Dubium iterum S. R. Congñi proposuit. Diximus *et nescimus causam*; quia Episcopus Seniensis iam exposuerat Sacro Tribunali, totam incrustationem e parietibus Ecclesiae fuisse deletam, ut nova ex marmore illi sufficeretur. Nunc autem S. R. C. responderat, Ecclesiam consecratam remansisse, novaque proinde non indigere consecratione. Rm̃us vero Episcopus Tridentinus exponebat, haud totam sed maiorem tantum partem incrustationis fuisse e parietibus deletam. Iam nunc fugit neminem, partem in toto contineri; si ergo toto tectorio opere deleto, Ecclesia non execratur, luce meridiana clarius est, partem tantum illius deletam nullo pacto Ecclesiam execratam reddere. Hinc S. Tribunal Rituum antiquiori Decreto inhaerens iterum respondit Episcopi Tridentini Dubio, negative, hoc est: opere tectorio ex parte deleto, Ecclesiam non execrari.

Sed, ni fallimur, hoc Dubium propositum fuit, ut prima Tribunalis sententia maturius expenderetur, sicque vel confirmata vel revocata fieret. Ratio esse potuit, quia et ex Iure canonico, et ex eius expositoribus satis constat, abrasis parietibus ali-

cuius Ecclesiae in toto, aut etiam in parte, Ecclesiam execrari. Quomodo ergo S. R. C. suam emittere ac vulgare sententiam potuisset, Iuri oppositam Iurisque universis commentatoribus? Ita fortasse explicanda ratio propositi Dubii ab Episcopo Tridentino.

At verum ne est quod retulimus de Iure deque illius commentatoribus, uti de doctrina S. R. Congñis, quae illis contradiceret? Reponimus, nobis pro certo esse, Ius canonicum, huius expositores et S. R. Tribunal nullo pacto inter se dissidere. En Iuris textus ad literam, prouti iacet in Decreto Gratiani: « Ecclesiis semel Deo consecratis, non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut **ab igne** exustae, aut sanguinis effusione... pollutae fuerint (*Pars tert. Dist. I, De Cons. Eccl. Cap. 20*) ». Uti vides, ne verbum quidem de operis tectorii destructione. Unde ergo praefata sententia? Ex Iuris interpretatione, omnibus doctoribus communi. Audias enim Glossam: « [*Exustae*] Pro maiori parte: alias secus. Arg. ff. de contrahen. emp. domum: cum scilicet ita comburitur, quod destruatur, vel **decrustetur interius et exterius**, tunc execratur; consecratio enim Ecclesiae maxime consistit in unctione exteriori, et coniunctione et dispositione lapidum. » Hinc universi Iureconsulti, inter quos citare sit satis De Angelis, Santi, Reinffenstuel, Ferraris, praeter alios plures, quos consuluimus, unanimiter docent, parietibus igne exustis, devastatis, vel **abrasis**, ex maiori saltem parte, execrari Ecclesiam. En praefatae sententiae ratio, qua penitius considerata, facile conspicere est, eam pro fundamento habere exustionem ignis: a quo abstrahere nequis, quin

a Iuris recedas, a Glossae, consequenter a peritorum doctrina, quin, immo, sententiam proferas nulla fretam basi, et prorsus ex arbitrio.

Quod autem, parietibus tantum ex ignis combustione abrasis, execretur Ecclesia, nullo negotio ostenditur; quia destructio ex eiusmodi causa operis tectorii satis superque manifestat, parietes gravem passos fuisse laesionem, adeo ut vix usui consueto valeat inservire. Quod adeo verum est, ut communiter auctores notent, tali in casu ecclesiam evadere execratam, *quamvis parietes non corruant*. Supponuntur ergo non amplius eas posse solide consistere ex adustione vel ustulatione coementi, quod lapides inter se copulandi vi careat, ex adustione vel ustulatione ipsorum lapidum, ex ruina quam parietes minitantur. Hinc Glossa notat, sacras unctiones consistere non solum in unctionibus, sed etiam in coniunctione et dispositione lapidum. Ultimus ex citatis peritis audiatur: « Si Ecclesia igne ita comburatur, ut parietes interiores ex toto vel ex maiori parte sint devastati vel abrasi, quamvis non corruant, indiget nova consecratione: *cap. Ecclesiis 20, dist. 1, de consecr.* ibi: *Nisi ab igne exustae,* et Glossa *ibid. verb. Exustae,* et ratio est quia in parietibus ubi sunt cruces et inunctiones, fit consecratio, adeoque illis in toto vel ex maiori parte devastatis seu exustis, execratur Ecclesia et indiget nova consecratione (*Ad verb.* Ecclesia). » Ubi vides, abrasionem, quam primum auctor nominat, et postea negligit et omittit, necessariam dicere relationem ad devastationem vel exustionem parietum, a qua proinde totam vim sumit et robur.

At obiicies, ex Iure consecrationem in unctionibus praecipue consistere, hae autem in opere tectorio fiunt; ergo, hoc deleto, deletur consecratio. Respondemus, satis speciosam esse difficultatem, quae si quid valeret, probaret nimis. Nam unctiones haud in opere tectorio fiunt, sed in eius externa superficie: aut ergo eas materialiter accipis, aut formaliter. Si primum non solum execratur Ecclesia quando opus tectorium destruitur, sed etiam quando iterum dealbatur aut pingitur, eoque magis quia in casu externa superficies abraditur: quae profecto digna sunt risu. Si alterum, quod indubium credimus, non solum externam operis tectorii partem afficit consecratio, sed etiam internam; cumque opus tectorium parietibus adhaereat, et ipsos afficere necessarium est. Nam consecratio Ecclesiae, uti aliarum rerum, fit ad modum unius, licet materialiter partem solum aliquam tangat, et virtualiter rem totam afficit: ut proinde ex sacris unctionibus consecrata maneant totum opus tectorium et toti parietes. Si enim id non esset, neque Ecclesia consecrata dici posset, quia opus tectorium pars est minima Ecclesiae et prorsus accidentalis, et parietes principalem illius partem constituunt et essentialem: non autem pars minor trahit ad se maiorem, sed maior minorem. At certum omnino ex Iure est, Ecclesiam in parietibus consecrari per consecrationem tectorii operis, quae virtualiter in totos parietes transit. Ergo intactis solidisque remanentibus parietibus, valida quoque manet consecratio Ecclesiae. Atqui, opere tectorio arte deleto, ut iterum elegantius aedificetur, integri, firmi, stabilesque remanent, ut supponitur,

parietes; ergo non execratur Ecclesia, novaque non indiget consecratione.

II. *E provincia Leodiensi.* **De Dedicatione omnium Ecclesiarum pro Regularibus.** Regulares in belgica regione degentes tenentur ne ad Dedicationem omnium Ecclesiarum iuxta Indultum Card. Caprara, ac proinde etiam ad Dedicationem propriae Ecclesiae non consecratae?

Resp. Hucusque haec fuit, ni fallimur, doctrina, quam Ephemerides tradiderunt. Innixae eae fuerunt auctoritati cl. De Herdt docentis: « Regulares et Moniales in eodem territorio (*Reipubl. Gallicanae*) degentes ad anniversarium Dedicationis in Dominica post octavam Omnium Sanctorum etiam tenentur: 1° quatenus obligantur ad anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis; quae in eadem Dominica celebratur; 2° quatenus decernitur in Indulto pro reductione festorum et in Decreto Cardinalis Legati, in ea Dominica celebrandum esse anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum consecratarum in cunctis Gallicanis Ecclesiis; 3° quia ita declaravit S. R. Congregatio quoad Carmelitas excalceatos provinciae Aquitaniae in Gallia (*Pars 4, n. 226*). »

At hactenus dicta mitigamus; et fortasse negotium istud haud omni certitudine gaudere tenendum est. 1. Quia Regulares tenentur quidem ad Dedicationem Ecclesiae Cathedralis; at non omnes, sed ii solum qui in civitate Episcopali morantur; ergo si aliquid haec ratio probaret, non omnes respiceret, sed tantum aliquos. Praeterea, aliud est ad Dedicationem teneri cathedralis Ecclesiae, aliud est teneri ad Dedicationem omnium Ecclesiarum Reipublicae; quia illa pro

Regularibus duplex est II classis sine octava, haec vero recolenda est sub ritu duplici I classis et cum octava. Prima igitur citati auctoris ratio non satis firma videtur. 2. Nec explicite nec clare constat, in Indulto ac Decreto citatis comprehendi Regulares. Non explicite, quia de clero Regulari ne verbum quidem: non clare, quia Regulares quamplures de more celebrant Dedicationem omnium Ecclesiarum relativi Ordinis. Potius ergo videntur ab illius observantia legis exclusi, cum de iis mentionem Indultum aut Decretum non agat. 3. Si S. R. Congregatio id declaravit quoad Carmelitas provinciae Aquitaniae, nil potest cum securitate inferri; sive quia Decretum particulare est, agitque de extensione legis pro illis; sive quia dictum Decretum neque in Collectione Gardelliniana fuit insertum. Haec quaestio inter alias impraesenti ex officio discutitur: consilio adm. Rev. consulentem iuvamus, ut patienter expectet ab auctoritate competenti declarationem legis. Interim eum uti posse credimus noto principio: In dubiis libertas.

III. *E Curenna.* **De duplici** *alleluia* **ad « Benedicamus Domino » post Matutinum in Pascha.** Qui Matutinum separat a Laudibus in Pascha vel infra eius octavam, tenetur ne dicere *Benedicamus Domino* cum duplici *alleluia*, sicuti post Vesperas et Laudes Rubricae praescribunt?

Resp. Probabilius negative. Matutini enim a Laudibus disiunctio est praeter legem, quae de *alleluia* in *Benedicamus Domino* omnino tacet. Si ergo lex tacet, quo iure horum *alleluia* additio imponi poterit? Praeterea nemo nescit, *Benedicamus Domino* pluries in Horis Canonicis ex Ru-

bricis iterari, et nihilominus bis tantum *alleluia* adduntur, in Vesperis videlicet tantum et in Laudibus. Ergo, etsi *Benedicamus Domino* addatur alio loco, nempe post Matutinum, cum *alleluia* dicendum non erit, sicut cum iisdem *alleluia* non dicitur in aliis Horis. Denique *alleluia* ideo post Laudes et Vesperas videntur addi, quia maiores Horas constituunt, et quia aliae Horae minores sunt, non adduntur. Ergo neque cum *alleluia* dici debet *Benedicamus Domino* in praefata separatione; quia magis est Hora minor, quam pars maioris Horae, saltem liturgice considerata. Atqui in illa addi in casu non debent *alleluia* in dicta laude; ergo a fortiori neque addi debent in ista.

Nota. Post Missam Sabbati Sancti iam sumus in gaudiis paschalibus; ergo si Eucharistia administratur, preces ritu paschali et quae tempore paschali praescribuntur, dicendae sunt.

IV. *E dioecesi Briocensi.* **De ordine commemorationum in Vesperis.** Si cum festo duplici, quod in Dominica occurrit, dies concurrat infra octavam, de qua feria II agendum est, vel festum simplex, vel votivum officium de Ss. Angelis, quinam ordo servandus in commemorationibus Dominicae, et officii de quo agendum?

Resp. Decretum Generale, cui titulus « Commemorationum in Vesperis » adeo perspicue loquitur, ut nulla videatur amplius dari dubitandi ratio: « Post Orationem diei, ante ceteras, commemorationem semper agendam esse de alio cuiuscumque ritus festo quod concurrat, si locum habeat, deinde reliquas etc. ». Ergo in casu post Orationem diei, videlicet de duplici, de quo in Dominica factum est; et de quo aguntur Vesperae,

prima com. erit de sequenti, sive sit dies infra octavam, sive sit festum simplex, sive officium votivum, et post eam fiet com. Dominicae: ita praefatum Decretum, et ita faciendum. Ut autem rei plena sapiensque ratio perspiciatur, animadvertendum, festa ad simplicem ritum redacta inferioris esse conditionis, quam illud, cuiuscumque ritus fuerit, de quo officium agitur, licet trinae commemorationis privilegio fruantur. Dicimus *cuiuscumque ritus fuerit* iuxta Decretum; quia officium concurrens aut duplex esse potest, aut semiduplex aut simplex. Iam nunc si sit duplex, nulla fit quaestio: si semiduplex, neque disputandum est, quia Dominicae praevalet, de qua fit tamquam simplici: sed neque disputandum si concurrens sit simplex, quia inter duo simplicia, illud de quo fit officium, praevalere debet alteri, de quo sola commemoratio haberi potest. Illud autem festum, de quo fit officium, est concurrens; ergo de concurrente prius com. agenda est, et postea de reliquis.

Dices vero, hactenus alio modo intellectas fuisse Rubricas, et alio modo se gessisse calendariorum redactores. Esto, reponimus; sed adm. Rev. consulens negotium serio perpendat in seipso, videbitque in commemorationibus legem quasi dicam mechanicae non esse sequendam, sed rationis liturgicae, quae praefatum ordinem consulit, approbat, sapientioremque demonstrat. Non enim sufficiens intelligitur causa, ex qua festum simplex factum, ac proinde vi Rubricarum depressius, et de quo neque actum est neque agendum officium, commemorari debeat ante aliud quod, aut paris est ritus sed officium habere debet, aut

superiori ritu recolendum est. Duo festa itaque, quae concurrunt, quatenus de iis vel factum vel faciendum est officium, ea inter se vel iisdem vel disparibus velut armis confligunt; et aut alterum integras sibi vindicat Vesperas, alterum pro iis solam acquirit commemorationem: aut utrumque dimidiam accipit Vesperarum partem. Aliis vero festis vires non suppetunt ad dimicandum, nec proinde fas est, ut dimicantes implicent; sed parte unica officii, ad quam solummodo ius habent, post eosdem dimicantes, seu post officia concurrentia, contenta sint. Videtur ergo S. R. Cōgtio duplicem praefato cum Decreto ordinem statuisse commemorationum: ordinem primo commemorationum festorum, quae pro Vesperis concurrunt, ordinem secundo commemorationum festorum, quae pro Vesperis concurrere nequeunt; hic autem ordo non potest praevalere primo, utpote potiori. Hac autem ratione Sacrum Tribunal Rituum interpretatum est Rubricas, hac ratione Decreta sua componit, vel, si opus sit, revocat, hac denique ratione impraesenti calendariorum redactores se gerant oportet, utcumque anteactis temporibus se gesserint. Inficias tamen nemo ibit, nihil praefata dispositione sapientius, nec aliud recto liturgico sensui conformius.

V. *Ex eod. loco.* **De praecedentia inter festa Titularis et Patroni.** Si festum Titularis alicuius Ecclesiae parochialis occurrat infra octavam Patroni loci; cuinam festo et octavae praecedentia debetur, praesertim ubi neutrum dignitate excellit?

Resp. Difficile dubium, responsio paris. Notum ponimus, Guyetum hac in re cum Gavanto non convenire; cum hic Patronum, ille vero, Gavan-

tum confutatum a se contendens, Titulum iudicet praeferendum. Profecto, si Titulus Ecclesiae liturgica excelleret dignitate, adhaerendum fortasse esset Guyeto; aequalia enim in omnibus duo festa primaria ius tribuere videntur ut illud praeferatur, quod prae altero dignitate praestat. Quidquid sit, cum a dignitate quoque abstrahere proposita quaestio videatur, in eo non insistimus, et dicta festa sine dignitate considerabimus.

Reponimus festum Patroni loci praeferendum esse Titulari Ecclesiae, quia illud solemnius est isto. Maior solemnitas autem resultat ex praecepto in populo audiendae Missae, et ab operibus servilibus abstinendi: quae gravior est ratio, et praelationem inducit super festo Titularis Ecclesiae, hac solemnitate destituto. Praeterea solemnitas, qua Titularis festum recolitur, Ecclesiam aliquam solummodo respicit; solemnitas vero Patroni omnes loci Ecclesias. Insuper illa, disciplina saltem praesenti inspecta, clerum unicum Ecclesiae parochialis afficit; haec vero clerum totum locique populum. Ex quo sequitur festo Patroni magis esse deferendum quam Titularis: secus populus, qui Ecclesiam petit Patronum veneraturus, in propria devotione quodammodo deceptus maneret. Ceterum, cum duo dicta festa nequeant eodem die celebrari, sed alterutrum, a quo desumenda praelationis ratio, cum paria sint in ceteris, nisi a praefata solemnitate?

Opponi posset festi proprietas; sed respondemus primo, hanc praelationis rationem minoris esse ponderis in casu quam praedictam. Secundo, Patroni festum adeo esse omnium loci Ecclesia-

rum proprium, ut, hac quoque praerogativa perpensa, difficile sit probare Patroni festum esse minus proprium quam Titularis.

AD DUBIA
SUPER SACRIS CAEREMONIIS
RESPONSA

I. *Ex Indiis orientalibus.* **De clero in chorum pergente aperto capite.** Clerus in chorum pergens, debet ne caput discoopertum habere?

Resp. Caeremoniale Episcoporum id explicite nusquam praescribit: ut damnari non possit usus clericorum ad altare procedentium cooperto capite. Usus nihilominus communior, etiam in Urbe vigens fert, ut aperto capite clerus quicumque, nisi paratus sit, aut stolam saltem deferat, in chorum pergat. Martinuccius non diffitetur docere: « Clerici... in chorum... procedent incessu gravi, et capite aperto, gestantes utraque manu biretum infra pectus (*Lib. I. cap. II, n. 1*) ». De Herdt tenet, id esse Caeremoniali conformius, et scribit: « Circa usum bireti generaliter dicendum est, videlicet: clerici et canonici per Ecclesiam incedentes, ad altare vel chorum accedentes, vel ab his discedentes, caput bireto cooperiunt, si sacris paramentis vel saltem stola sint parati; numquam autem, si tantum habitu chorali, et non sacris paramentis, neque saltem stola sint induti (*Prax.*

Pontif. Lib. I, n. 32, 6) ». Sed alium postea Caeremonialis locum commentans, nempe cap. 18 *De reverentiis*, ad verba legis « Episcopus, a quo caeteri exemplum sumunt, cum primum Ecclesiam ingreditur, detecto capite » ait: « Id est deposito bireto, non autem Mitra, si eam habeat, ut liquet ex cap. 32, n. 5. Hinc confirmatur quae dicta sunt n. 32 ad 6, scilicet, clericis et canonicis habitu chorali indutis per Ecclesiam capitibus bireto coopertis incedere non licere; si enim id neque Episcopo liceat, multo minus aliis (*Loc. cit. n. 149*) ». Quod tamen consectarium utrum legitime ex loco citato inferatur perspicue non videmus.

II. *Ex eod. loco.* **De reverentia Cruci a Celebrante, per breviorem eunte ad sedile, facienda in Missa cantata.** Antequam Celebrans Missam cantans, cum vel sine ministris, post Introitum pergat ad sedile per breviorem, facere ne debet aliquam reverentiam?

Resp. Maxime; et pro reverentia hic nonnisi inclinatio intelligitur. Equidem Rubricae hac super re silent, sed ratio silentii est, quia eundum esse ad sedile non supponunt. Ratio autem dictae reverentiae est ipse rectus liturgicus sensus, ut consideranti facile patet; debet enim Celebrans, idem dicas de ministris, ab altari discedere, nil ergo rationabilius salutatione crucis, quam ipsamet urbanitas suggerit. Hinc ea communiter admittitur ab auctoribus, quamvis de ea nonnulli sileant; sed argumentum esset negativum, quod positivum infirmare non valet, quod a generali lege profluit iuxta Rubricas. Satis sit referre auctoritatem Martinucci scribentis: « Si dum canitur *Kyrie* sedendum erit, quin (*Celebrans*) eat ad

medium altare inclinabit se cruci, se convertet sinistrorsum, de altari a latere descendet etc. (*Lib. I. Cap. XIV, n. 110*)». Idem quoque praefatus auctor cum aliis docet in casu simili, cum nempe agitur de sessione post recitationem Sequentiae in Defunctorum Missa. Quod autem adm. Rev. consulens notat circa analogiam inter casum praesentem et Rubricam *Memorialis Rituum*, eamdem rem demonstrat. In hoc enim post ultimam expletam Orationem Rubrica notat explicite, Celebranti antequam pergat per breviorem ad sedile faciendam esse reverentiam Cruci (*n. 549*).

Inquiri ulterius hic potest, utrum dicta inclinatio, non genuflexio, facienda quoque sit, quando in altari asservetur Sacramentum: quod quantum fieri potest vitandum est. Sed reponimus affirmative, cum a fortiori eam praefata ratio postulet. Non tamen genuflectio facienda, quia ex generali norma, non fit genuflexio nisi quando, aut ab altari in sacrarium pergitur a sacris ministris, aut per medium altare transitur, quae in casu non comprobantur. Ea propter in utroque praefato casu fieri debet et sufficit sola capitis inclinatio Cruci.

Nota. Quod aliud pertinet Dubium, circa capitis inclinationem, ex parte Celebrantis et ministrorum, ad sedile pergentium, dum canitur *Adoramus te, Gratias agimus* etc., videatur quod exposuimus in prox. praeterit. num. Ephemeridum (*D. II*), cum quo et istud similitudinem habet. Hic addimus, cantoribus esse cavendum, ne dum Sacri ministri in eo sunt ut ad sedile pergant, vel dum incedunt, aliquid de iis concinant, ad quod inclinandum est caput, sed expectandum donec illi sedeant.

Item sacris ministris cavendum, ne tunc ad sedile pergant, cum aliquid, quod inclinationem exigit, cantari ceptum est. Est enim grave incommodum et indecorum in casu iterum se vertere ad altare et inclinare caput. At quaeres: quid interim agendum, si eiusmodi accidat casus, esto vitandus, quo dum ministri incedunt canitur a schola cantorum *Adoramus te*, vel aliud simile? Nos arbitramur, eadem hic ratione responderi posse, uti S. R. C. decrevit, agendum esse a choralibus quando, dum in altari in visibili conspectu chori posito, ob sonitum campanulae, qui tamen vetitus est, advertitur elevatio ad Missam, videlicet: chorales sedentes maneant, aperiant tantum caput, et prosequantur officii recitationem aut cantum (1). Eodem ergo se gerant modo ministri in praesenti casu, hoc est: cum capite aperto iam sint, ad sedile procedant, ibique, si cantus adhuc absolutus non fuerit, stantes maneant, eoque absoluto, more ac ritu consueto sedeant. Quod si cantus absolvatur iis incedentibus, cum ad sedile pervenerint, more solito omnia peragant. Hoc a regula dissonat, convenimus; sed inter duo incommoda eligendum quod minus est: minus autem esse credimus incommodum hunc materialis reverentiae defectum, quam aliud de quo superius. Ceterum id probat, ministros et cantores convenire inter se, ut par est, debere, ut eiusmodi incommodum nunquam comprobetur.

---

(1) Haec dispositio recens nota quidem non est, cum sit ineditum nec vulgatum adhuc Decretum, sed certa est, rectoque sensui liturgico apprime inhaerens.

III. *Ex eodem loco.* **De mutua salutatione in ingressu ad chorum.** Aliqua ne lege mutua salutatio praecipitur pro choralibus ingredientibus chorum, an tantum fit ex consuetudine?

Resp. Nulla, quantum scimus, extat lex in Caeremoniali Episcoporum de hac mutua salutatione, sive pro Canonicis, sive pro aliis de clero ingredientibus chorum. Codex citatus loquitur quidem pluries de Canonicis aliisque qui bini ad altare accedunt, sed post genuflexionem et brevem orationem surgendum dicit, et eundum esse ad altare. Nihilominus non desunt auctores de hac mutua salutatione loquentes uti Le Vavasseur *(Tom. II, Pars VI, sect. 1, cap. 1, art. 1, n. 29)*, Martinucci *(Lib. II, cap. I, n. 4)*, Baldeschi, quem ipsemet consulens citat, et alii. Dicendum propterea, huiusmodi salutationem ex consuetudine fuisse ortam, quae generaliter est communis, maxime in Urbe quod collegiales Ecclesias attinet. Arbitramur autem consuetudinis invectae rationem in ipsius actus natura esse sitam; nil enim magis naturae conforme, quam ut nos ad invicem salutemus, postquam bini iuxta Rubricam chorum ingressi, Deoque adorato, disiungere et separare nos ipsos debemus. Quidquid sit, eiusmodi consuetudo tam laudabilis indubie dicenda est, ut servanda videatur, saltem ubi vigeat, sive inter Canonicos, sive inter alios chorales, etsi tantum clericos. Rationem autem, quam affert adm. Rev. consulens in oppositum, non computandam credimus; quia licet multi sint clerici, mutua salutatio vix processionem retardare valet. Sane quantum temporis spatium in illa insumatur, dum clerici, antequam hinc inde se separent post genuflexionem, simpli-

citer ad invicem caput inclinant, prorsus non intelligimus, cum si nullum non sit, fere nullum certe confitendum est.

SUPER ORDINATIONE PRO MUSICA SACRA

COMMENTARIA

(*Continuat. V. n. 5 pag. 340*).

23. Sed dictas inter causas illa potissimum prae ceteris consideratione digna est, quae in fine consistit de quo Bainius verba facit, et superius nos mentionem fecimus. Est autem Gradualis et Antiphonarii correctio, ut uterque codex in veritatem antiquorum voluminum restitueretur, demptis tamen demendis ex Pontificum auctoritate et iussu. Hoc autem maximopere a dissidentibus perpendendum credimus; aliquid enim similis iure circa liturgicas modulationes a Pontificibus factum credimus, quod de Missali et Breviario antea operati iidem fuerant. De his autem Clemens VIII dixerat: « In eo munere peragendo factum est, ut nonnulla ex diligenti librorum antiquorum collatione in meliorem formam redacta... uberius et clarius expressa sint, quae tamen ex illorum principiis et fundamentis quasi deducta, illorum sensum imitari potius et supplere, quam aliquid novi afferre videantur (*Bulla* CUM SANCTISSIMUM *7 Iu-*

lii 1604).» Simili modo quod cantum attinet se gesserunt: collatis videlicet antiquis codicibus, demptis quas imperitae manus partes addiderant vel corruperant, productioribus item neumatibus, quas vel contractae officii partes, vel toedium, quo afficiebatur frigefacta populi caritas, amplius non exigebant suppressis, iisque mutatis vel additis, quae ars et scientia aetatis propria suggererent, sic novos redactos codices in veritatem antiquorum restitutos imprimi iusserunt Pontifices. Id quidem potuerunt, voluerunt, fecerunt, maxime in cantus facilitatem intendentes, ut libera in Ecclesiis omnibus, quantum fieri posset, uniformitas haberetur, rectaque cantus executio sacrarum functionum solemnitatem, nedum scripto, sed et facto augeret.

24. Sed longe aliud dissidentes de Medicaea editione iudicium proferunt, nedum videlicet in melius emendatam negant, sed in modulationibus corruptam dicunt, ac depravatam, aliamque, quam antiquiorem tenent, optimam esse sustinentes, ac pro illa adoptandam. Editio nihilominus Medicaea est illa, quam Bainius prae reliquis tunc in usu, laudibus exornat (*Cap. III sub fin.*). Cantus in ea inscripti reformationem sufficienti ratione peractam iudicat, antiphonas intactas in eadem permansisse, notas autem, quae a Responsoriis, Gradualibus etc. fuere sublatae, minus quam fieri poterat, melodiis attulisse damnum. Quinimo subtexit, variationes aliquas periodos inter se disparatos connectendi causa necessario invectas, satis esse sapientes, quamvis aliquando ars in eis manifeste appareat, gustumque temporis illae redoleant: haec cl. Bainius (*Loc. sup. cit.*), qui nulla

cupiditate pressus, ceterum antiquorum codicum admirator eximius, pro veritate scripsit.

Sed praestat audire iudicium recentioris testis, qui omnem a se in editionem Medicaeam favoris suspicionem olim propulsabat; estque Ephemeris, cui nomen « Musica Sacra Mediolanensis, » quae de editione Ratisbonensi, Medicaeae exemplari, sequenti ratione disserit: « Editio Ratisbonensis est exemplar super iisdem manu exaratis Archetypis efformatum, quae impraesenti in editionibus solesmensibus denuo visenda se praebent. Itaque Archetypum nobis est et exemplar. Illud solertiori critica secundum scientiam, archaeologiam, historiam restituitur: manet istud suis cum contractionibus mendisque, ex transcriptione typisque ortis (1). Animadvertas autem, aliquod dignum nota discrimen archetypum inter et exemplar in Gradualibus tantum et alleluia post epistolam reperiri: reliqua a Gregorianis scriptis aut eadem per integrum sunt, uti in simplicioribus melodiis (a typographicis mendis abstrahe), aut eadem sunt quoad substantiam, uti in melodiis ornatioribus, in quibus discrimen prorsus secundarium est, et in aliquo notarum ambitu ampliori consistit, qui

(1) Id quidem asseritur, verum nil verba probant, sed momenta afferenda sunt, quibus non datis, quo profertur, eodem iure negatur. Animadvertendum hic obiter, quasdam in Medicaea editione notas, ideo mendas nuncupari, quod aliis archetyporum non respondent. Quid nihilominus, si studio et arte mutatae fuissent? De contractionibus ita verba fiunt, ac si censura, uti mendae, notandae essent. Quid autem si ex omnium sapientium peritiorumque iudicio huiusmodi contractiones postulasset necessitas? Sed de utroque mox tractandum.

eapropter maiori numero rhtymico excellit (*Mens. Mart. an. 1893*). » Satis denique compertum scimus quod in Aretino congressu accidit, ut idem nempe Gregorianum melos unus post alium concinerent viri clarissimi Dom Pothier, Abbas Raillard, et Abbas Haberl, ex quibus tamen unusquisque diversam editionem legerat. Et nihilominus inter primi, alterius ac tertii lectionem commune ab omnibus de nullo propemodum discrimine prolatum est iudicium. Porro Dom Pothier in sua, in sua quoque Raillard, et in Ratisbonensi, seu Romana, quae Mediceae respondet, Haberl legerat. Haec quidem momenta, quae ex auctoritate depromsimus: ex quibus nullo iam negotio inferes, quanta accipienda cautione sint omnia, quae ad pulchritudinem labefactandam Textus a Romana Ecclesia selecti proferuntur; aliquando enim haud omnis favoris est expers hac super re loquendi ratio.

25. Sed rem in se ipsa breviter perpendamus. Triplicis sunt speciei discrimina, ex quibus Textus, quem Romana Ecclesia adoptat, ab archetypo discrepat, quod cl. Dom Pothier in Solesmensi editione vulgavit (1). Primum ornamenti figuras, alterum notas quasdam hac illac mutatas vel expunctas, tertium contractiones respicit. Quod primum spectat animadvertendum, Gregoriani cantus executionem, inenarrabilis, uti communiter creditur, concinnitatis antiquitus fuisse; sed hoc de iis praecipue intelligendum est modulationi-

(1) Hoc archetypum supponimus pro nunc authenticum, aliquid in contrarium mox prolaturi.

bus, quae una tantum voce decantabantur, uti refert Bainius: has autem plerasque, quae pleno concinebantur choro, paucissimas dicit (*Lib. II, cap. III, sub init.*).

In illis namque habebatur submissa vox elataque, crescens et imminuens, vibrans, tremula, mordens, etc. hinc et signa quae in suo parvo Graduali iterum notat Dom Pothier, uti Strophicus, Cephalicus, Epiphonus, Quilisma etc. Verum facile conveniunt universi, huiusce naturae ornamenta, quae nullius sunt difficultatis pro una ex peritioribus canente voce, eiusmodi difficultatis pro pluribus simul concinentibus evadunt, ut pleraque impossibili propemodum assimilentur. Reliqua autem, uti ex. gr. vox crescens et imminuens, vix signo indigent, cum alia ratione obtineri summa facilitate possint. Ea propter, cum praesens disciplina unius vocis cantus in choro, si initia excipias, vix admittat, praefata ornamenta ab editione authentica expuncta nemo iure conqueretur. Nihilominus editionem Dom Pothier laudandam autumamus, quae talia antiquitatis monumenta iterum produxit: quippe quae et scientiae inserviunt et arti, antiquorum patefacit artificium cantorum, cantusque elegantiam revelat. Haec tamen, ut nil dicamus de abusu huiusmodi signorum, quem ex Patribus plures deplorant, acriterque redarguunt. Hinc non possumus, quin Ecclesiae admiremur sapientiam, quae iure suo usa, haec aurium oblectamenta haud in usu communia in authentica editione reiecit a cantu suo, cuius praerogativa potior est gravitas et maiestas.

26. Ad notas hac illac expunctas vel mutatas pergimus. Quod mutatas attinet, uti ex se quisque

potest conspicere, id maxime in modulationum initio factum fuisse constat. Ratio patens fuit, ut Modus nempe vel ab exordio dignoscatur a cantoribus per notam primam, quae illius qualitatem et quasi characterem designat. Has autem mutationes sapienter fuisse invectas indubie tenendum est, quidquid in oppositum dissidentes iudicent (1). Primo enim, nil modi naturae conformius, quam ut cantus ea nota incipiat, qua terminandus. Secundo plurimum cantantes iuvat in executione, modum quo canendum est discernere statim ac in librum coniiciunt oculos. Ex quo nihilominus inferre nolumus, perperam ab alia nota modulationem incipere, id enim authentica quoque editio haud raro servat; sed tantum, longe esse melius, regulisque generaliter magis congruere, ut ultimae prima nota respondeat, intra quarum confinia saepe continetur integra modulatio.

Sed et in cantus decursu quasdam in authentica editione videre est notas expunctas vel mutatas. Id autem ut plurimum accidit in citis syllabis: e quibus prolixiores notarum coniunctiones fuere sublatae, vel, his retentis, syllabis accentu phonico praeditis attributae. Necessitas hoc in-

(1) Antiquitati plus aequo inhaerere quidam exteri videntur: quippe qui contra quamvis conclamant mutatam notam, nulla alia de causa, quam quia eidem antiquitati non cohaeret. Hoc nobis excessus apparet, quem probare nequimus, esset enim antiquitati adhaerere quasi scopulo polypus. Antiquus Ambrosius, minus antiquus Gregorius, qui tamen illius immutare cantum sapiens iudicavit. Antiquus Gregorius, minus antiqui successores Pontifices: quid, si illius cantum mutaverunt isti? Modulationes respondere debent aetati; cantus enim pro hominibus, non homines pro cantu.

duxit; aequalitatem enim syllabarum Latii lingua non patitur, ea saltem aetate, uti praesenti, qua id factum fuit, ut ab antiquiori abstrahamus: adeo ut praefatae in citis syllabis coniunctiones aures contorqueant, et seu canentibus seu audientibus intolerabiles fiant, ut superius animadvertimus. Id exteri quidam, quibus sensibilis pronuntiationis latini idiomatis non est gustus, intelligere nequeunt, et in hoc excusatione sunt digni; sed ad nauseam usque praedicare Latinis, inter syllabam et syllabam distinguendum non esse, hoc quid nimis sonat, et sapit usurpationem iuris.

Ceterum, verumne est, verba cum notis musicis ita esse concinenda, sicut diximus, uti sine notis pronuntianda? Hoc penes peritos omnes in aprico est. Atqui *renovabĭtur*, non *renovabītur: aspĭce non aspīce: aquĭla non aquīla* etc. etc. in loquendo pronuntiandum est; ergo et eadem ratione canendum. Exteri nonnulli hoc verbis admittunt, dicunt tamen, plurium coniunctiones notarum citam syllabam nullo pacto productam gignere, dummodo leviori vocis sono illae concinantur. Sed verba haec sunt, quae in facto minus nihilo concludunt; experientia namque demonstrat, exteros inter productam citamque syllabam nullum in canendo discrimen ponere, et Latinorum continuo cruciare aures. Quod, seu ex graviori difficultate assignatae legis in choro adimplendae, seu potius ex falso eorum derivat asserto; citae namque syllabae, quas per plures notarum coniunctiones modularis, eiusmodi manere nequeunt, sed necessario productae fient, quamvis remissius illas pronuntiaveris. Ea propter, quod Itali magistri ad hoc quod attinet negotium operati fuerunt, non solum pro-

bavit probatque auctoritas ecclesiastica, sed et rectus sensus latini idiomatis.

27. Sed iam ad contractiones transeamus, quas ponere factas nunc malumus, Super iis dicendum imprimis, illarum necessitatem, in Gradualibus maxime et alleluia, ab ipsis Episcopis fuisse admissam, uti plures ostendunt, seu dioecesani seu provinciales Synodi. Neque Episcopi id permiserunt, nisi peritorum iudicium accessisset, qui eamdem necessitatem agnoverunt. Quin autem alios in medium afferamus, opus sufficiat legere cl. Iulii Bonhomme, qui Mediceae profecto editioni non favet, cum eam appellet *ab antiquo cantu magis deviam* (*Principes d'une véritable restauration du Chant Grégorienne, pag. 172*). Hic itaque iudicium quoddam historicum referens (*pag. 146 et 147*), super studio Gregoriani cantus cl. P. Lambillotte, opus quod Abbas Cloët in opusculo cui titulus *Remarques critiques* confecerat, in quo partes aliquas confert Gradualis Romani (1) a Lambillotte confecti, cum manu exarato Codice S. Galli, sequentem exhibet conclusionem:

1. Ad primam Missam Nativitatis Domini, de alleluia manuscripti Codicis S. Galli P. Lambillotte suppressit notas 86 (*quatre vingt six*).

2. De Graduali tertiae Missae idem P. Lambillotte suppressit notas 72.

3. De alleluia eiusdem tertiae Missae suppressit notas 34.

---

(1) Seu P. Lambillotte, seu alii ex Gallis malunt scribere *Graduale Romanum*, *Vesperale Romain*, potiusquam *Gallicum*, cum tamen Gallicum opus sit!

4. De Tractu e Dominica Palmarum suppressit notas 88.

5. E Graduali feriae V in coena Domini, notas 49.

6. E Graduali in die Paschae, notas 72.

7. E primo alleluia in festo Pentecostes, notas 32.

8. Ex alleluia in Dom. XIII post Pentecosten, notas 99.

9. Ex alleluia de Com. Conf. non Pont. notas 34.

Ex his facile ratio intelligitur, ob quam idem cl. P. Lambillotte censuit, duas esse Gradualis Romani editiones retinendas, ex quibus alteram appellat *Graduel pratique* typis destinatum, alteram pro consultationibus, quam nuncupat *Graduel monumental*, in bibliothecis custodiendum *(V. Bonhomme loc. cit. pag. 141)*. Contractionibus ergo non sola Ecclesiae voluntas favet, non solum aliorum peritorum iudicium, sed etiam eadem sentiendi ratio cl. P. Lambillotte.

Sed vero, minime gentium, respondet cl. Dom Pothier cum suis, quot nescimus, asseclis: id enim aequum non constituit modum theoreticam conciliandi cum praxi, sed idem est ac venerandam deturpare ac profanare antiquitatem! At liceat inquirere: Qui fieri potest ut actio liturgica indebitam non patiatur moram, cum prolixiores expectari debeant, praeter Gradualis cantum, notarum tractus, qui ad 40.... 60.... 90.... usque producuntur? Hoc veritati non consonat, resumit pluries laudatus Dom Pothier; cantus enim apprime perceptus, agiliter exequendus est, cum suis liquescentibus, coniunctis ac mordentibus no-

tis, ceterisque ornatibus, de quibus Micrologus: ut consequatur nempe *quomodo liquescant voces, et an adhaerenter vel discrete sonent, quaeve sint morosae et tremulae, vel subitaneae etc.* Verum, etsi demus, concedere enim nequimus, huiusmodi executionem actus non remorari liturgicos, haud multo opus est ingenii acumine, aut peritia nimia, ut talis cantum exequendi ratio intelligatur illam necessario celeritatem praeseferre, quae levitatem sapit. Praeterea ordinariis vocibus nullo est pacto accommoda, exigit enim scientiam artemque multam, proindeque communibus cantantibus inepta, audientibusque fidelibus accessu satis difficilis, et fortasse distrahens. Ex quibus inferendum, praefatam executionis methodum Ecclesiae fini adversari, venerabili antiquitati opponi, ac primaevae institutioni contradicere. Cantus enim ecclesiasticus, liturgicus, seu firmus, (haud *fortis,* ut cl. Raillard vertit), gravis esse debet, ac maiestate plenus, non levis, varius, non unius tenoris, semper magnificus, uti ipse Bonhomme advertit *(pag. 213):* « Plani cantus ratio ipso nomine significata postulat, ut gravius et quasi plano pede firmius in canendo procedatur ». Quod profecto cantum non implicat, cuius notae quasi malleo perculsae sint exequendae, excludit tamen quae excessum exigunt scientiae artisque; non enim in suo instituto voluit Ecclesia, ut cantores, seu e clero seu e fidelium coetu vocem suam venumdarent, sed ut spiritus utilitatem perciperent.

Perpendas enim Orationum cantum, initii Hymni angelici et Symboli, Praefationis, Orationis dominicae, ipsum psalmorum, hymnorumque melos: quid cernere in ipsis est, nisi simplices for-

mulas, communes, omnium intellectu pervias, et ad exequendum faciles? Ab his argumentare de reliquis modulationibus, quae, si ab aliis facilitate aliquatenus discriminantur, a praecipuo nihilominus institutionis fine remotae nunquam haberi sine contradictione poterunt. Hac ergo ex expositis exclusa methodo, hoc unum remanet, contractiones praefatas necessitate temporis fuisse invectas, ab auctoribus plus minusve admissas, iure merito ab Ecclesia probatas, et iuxta rectum sensum hucusque adhibitas, ut deinceps quoque sapienter adhiberi posse, imo debere, non sit inficiandum.

28. Urgent nihilominus dissidentes, cantum Gregorianum, antiquum, omnique veneratione dignum, ita mutilatum fuisse, mutatum, corruptumque, ut amplius ex editione Medicaea dignosci nequeat. Respondemus primo. Certum ne exploratumque est, Cantum editionis, quam Dom Pothier exhibet, ipsissimum esse ac Gregorianum, antiquum, omnique reverentia dignissimum, ut vetustatis neumata praelaudatus vir perfecte interpretatus fuerit? Quid ex. gr. de intelligentia Quilismatis? Securus ne quem Dom Pothier sensus illi tribuit? In Aretii habito Congressu de hoc disceptatum est: quaenam demonstratio, veram haud hypotheticam esse illius interpretationem? Quid de quarta toni parte? Erat ne apud veteres in usu? Cl. Raillard gravibus argumentis fretus affirmanti sententiae favet (*Mémoire explicative sur le chant de l'Eglise, pag. 4 et seq.*): ubi veritas? In superius citato Congressu plures exorti fuere dissensus circa neumaticae scripturae interpretationem; humanaque cum Raillard officia adhibita ut cederet, quod alio proposito factum fuit: quid

in neumatum interpretatione securitatis? Quibus positis, indubia ne res est, Gregorianum nos possidere cantum, uti antiquitus erat? Plures insuper partes cantu exequendae vetusto eo tempore habebantur in Liturgia, quae postea sublatae fuere (*V.* Cari, *Antiqui Libri Missar. Rom. Eccl.*): ubi eiusmodi cantus, ut manu exarati codices, e quibus exemplar transcriptum fuit, certe fidei dignoscantur? Quaedam mutatae fuerunt subsequentibus a divo Gregorio saeculis, aliae quamplures in Liturgia partes additae: quis eas ad concentum reduxit? Positis hisce antiquitatis monumentis, intacta ne ad ultimam usque detectionem permansere? Unde constat, alienam manum illa ne minimum quidem tetigisse? Quomodo ergo exigere, ut Romana auctoritas hos novos, antiquis licet conformes praedicentur, adoptet, suosque derelinquat cantus liturgici codices, quos a tribus circiter saeculis adoptavit, cum eaque fere universae orbis Ecclesiae?

Secundo. Sepositis dictis, animadvertendum est dissidentibus, Ecclesiae Romanae potestatem inesse quae ius liturgicum spectant immutandi, neque ideo antiquiora ploranda et invocanda. Ecquis ignorat vetustam casulam, qua, ut ita dicam, continebatur Sacerdos rem divinam faciens? Sed a saeculis mutatam, quis resumere velit antiquam? Triginta circiter effluxere anni, ex quo id optati Germania passa est: fortasse ut contra angustiorem gallicae formam protestaretur. At non multo post laudem habuit veritas, in aequitate nempe versari Romanam Ecclesiam, huiusque formae casula iterum admissa, gothicam reiiciendam. Quid de sacris imaginibus? Inspice Ecclesias ipsas

Hollandiae, regionisque belgicae, in quibus se ostendit Rubens. Ne quid nimis! Obsoletae referuntur figurae, miserae, angustae: brachiis, cruribus, quae arefacta mancaque membra imitantur; et quo magis eas referunt, quas in atrio Basilicae S. Laurentii extra moenia conspicere est, eo maioribus cumulantur laudibus. Quid ceterae, nisi ethnicae reliquiae gentis? In summa, christiana caret arte, divino non est dignum, quidquid minus antiquitati respondeat: ut construere impraesentiarum oporteat, pingere, sculpere et concinere, quemadmodum antiquiores octo vel decem abhinc saeculis peragere consueverunt. Hoc autem imponere Italis, imo Romanis, quorum sanguis veluti natura christianus, qui aliarum sanguini nationum se commiscens, profecto illum christianum fecit, plus aequo est, neque ferendum. Caveant dissidentes, ne sagittae in sagittarios ex se ipsis retorqueantur; grave enim sapit linguam acuere, omnique uti subsidio in id, quod probavit ecclesiastica auctoritas, ut contemptui habeatur aspernaturque. Ecclesia ex sibi a Christo facta potestate, consuetudines mutat, disciplinam mutat, sacrorum vestimenta ministrorum mutat, caeremonias mutat, ritus mutat: mutare cantum non poterit? Acquiescere dissidentibus consultius esse credimus ac silere, et post saltem illatum bellum se subiicere.

(*Continuabitur*). D. C.

APPENDIX.

PARISIEN.

Beatificationis et Canonizationis Serva Dei Luduvicae de Marillac viduae Le Gras confundatricis puellarum charitatis.

Inter omnigenas virtutes quibus vera Christi Ecclesia condecoratur, una supereminet charitas, quam Christus Dominus e penetralibus Sacratissimi Cordis sui in homines effudit, exemplo et verbo docuit, praecepto suo firmavit, et veluti tesseram ad suos agnoscendos discipulos dedit; quamque in eisdem ita plenam manere voluit, ut fratres etiam minimos ipsosque inimicos comprehenderet et perfectissimae divinae charitatis esset imago. Compertum porro est huiusce praeclarissimae virtutis operibus, Ecclesiam in Gallia assidue incumbere, quam Deus Optimus Maximus in turbulentissimis etiam temporum rerumque tempestatibus, singulari providentia consolari dignatus est, excitando saepe saepius viros et mulieres eximiae charitatis, inter quos iuvat recensere Sanctum Vincentium a Paulo Congregationis Missionis et Puellarum Charitatis institutorem una cum Serva Dei Ludovica de Marillac Vidua Le Gras, eiusdem sancti viri aemula, imitatrice et praefatarum puellarum confundatrice. Quae nobili genere nata Parisiis die 12 Augusti anno 1591, clarissima virtutibus in triplici statu virginitatis, coniugii et viduitatis, sub S. Vincentii disciplina in viam christianae perfectionis mirabiliter progressa est, et cum puellis quas sibi sociaverat, in egenos, infirmos, errantes aliosque miseros omnia misericordiae officia impendit. Fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum post eius obitum, qui die 15 Martii anno 1660 accidit, adeo percrebuit ut ad Ordinariam Inquisitionem super eadem fama in Curia Ecclesiastica Parisiensi tandem deventum sit. Eiusmodi autem inquisitione ad iuris tramites absoluta, atque ad S. Rituum Congregationem de-

lata, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne indulsit, ut de dubio signandae Commissionis introductionis Causae praefatae Servae Dei agi posset in Ordinariis ipsius Sacrae Congregationis Comitiis, absque interventu et voto Consultorum. Hinc, instante Rm̃o Dñ̃o Raphaele Virili Antistite Urbano atque huius Causae Postulatore, attentisque Postulatoris litteris plurium Em̃orum S. R. E. Cardinalium, Rm̃orum Sacrorum Antistitum aliorumque virorum sive ecclesiastica sive civili dignitate illustrium, infrascriptus Cardinalis S. R. C. Praefectus et eiusdem Causae Relator, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum habito, sequens dubium discutiendum proposuit, nimirum: « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* » Et Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: *Affirmative, si Sanctissimo placuerit.* Die 4 Iunii 1895.

Facta postmodum de his per infrascriptum Cardinalem Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praedictae Servae Dei die 10 Iunii 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S. ALOISIUS TRIPEPI, *Secret.*

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1895.

DECRETA S. R. CONGREGATIONIS

I.

Urbis et Orbis.

Iure sane ac merito Festum B. Mariae Virginis, Deiparae ab Angelo salutatae, ab antiquissimis temporibus institutum, et penes Latinam Ecclesiam et Graecam pari solemnitate celebratum est: siquidem Dominicae Incarnationis Mysterium tanquam ceterorum fundamentum Sacra Liturgia profitetur. Hinc Apostolicae Sedi supplicia vota haud semel porrecta sunt, ut Festum ipsum Annuntiationis B. M. V. ad maximum ritum in Universa Ecclesia eveheretur. Itaque Sacra Rituum Congregatio in peculiari coetu, pro nova Decretorum authentica Collectione evulganda, ad Vaticanum subsignata die habito, omnibus mature perpensis, rescribendum censuit: Festum Annunciationis B. M. V. die 25 Martii occurrens, in universa Ecclesia ritu duplici primae classis amodo recolendum esse, cum omnibus iuribus celebriorum festorum propriis, etsi Octava carens ob temporis quadragesimalis rationem. Ceterum, quotiescumque vel Feria VI. in Parasceve, vel Sabbato Sancto hoc Festum impediatur, toties Feria II. post Dominicam in Albis, tanquam in sede propria, ut antea, reponatur: in qua integra cum solemnitate ac feriatione sed sine Octava, prouti die 25 Martii, celebrabitur. Quando vero illius tantummodo impediatur Officium, ad enuntiatam pariter

Feriam II. amandetur, ac nonnisi Festo primario eiusdem ritus occurrente valeat impediri: quo in casu, in sequentem diem similiter non impeditam transferatur. Die 23 Aprilis 1895.

Facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum de hisce omnibus relatione; Sanctitas Sua sententiam eiusdem S. Congregationis ratam habere et confirmare dignata est. Die 27 Maii, eodem anno.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S. ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

II.

A Rmis locorum Ordinariis non semel postremis hisce annis exquisitum fuit, utrum in Ecclesiis adhiberi liceret lucem electricam tam ad dissipandas tenebras, quam ad pompam exteriorem augendam. Nuper vero Sacrorum Rituum Congregationi propositum fuit Dubium: " Utrum lux electrica adhiberi possit in Ecclesiis? „ — Quare Emi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinariis Comitiis, ad Vaticanum infrascripta die habitis, rescribendum censuerunt: " *Ad cultum, Negative. Ad depellendas autem tenebras, Ecclesiasque splendidius illuminandas, Affirmative; cauto tamen ne modus speciem praeseferat theatralem* „. Atque ita rescripserunt, et servari mandarunt die 4 Iunii 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

ALOISIUS TRIPEPI

L. ✠ S. *S. R. C. Secret.*

III.

Ordinis Capuccinorum Provinciae Hollandicae.

R. P. Albertus a Drunen, Minister Provincialis Ordinis Capuccinorum Provinciae Hollandicae, humiliter Sacram Rituum Congregationem supplicavit pro declaratione infra scriptorum Dubiorum.

I. Decreto Sacrae Rituum Congregationis 12 Iulii 1889 in *Ruremunden.* ad Dubium IV declaratum fuit, Rubricam ultimo reformatam, qua praescribitur de Sanctis Sociis Patroni vel Titularis nihil fieri, si descripti sint sub Officio duplici minori, non tamen alicuius Ecclesiae Doctoris, vel semiduplici, non esse retroactivam, ideoque officium de eis adhuc hodie agendum esse, uti olim fieri debebat. Hinc quaeritur, nunc post revisionem novi Kalendarii Ordinis S. Francisci Capuccinorum, a Sacra Rituum Congregatione die 27 Augusti 1893 approbati, de Sanctis Sociis Patroni seu Titularis officium etiam nunc, uti antea, a nostralibus agendum sit, praesertim cum dies, quibus praefati Socii antea affixi erant, hodie non amplius in dicto Kalendario novo liberi inveniantur?

II. Regulares, qui Kalendarium proprium habent et iam celebrant Dedicationem Omnium Ecclesiarum Ordinis, tenenturne celebrare in Regione Hollandica, sub ritu duplici primae classis cum Octava, Dedicationem Omnium Ecclesiarum Regni, Dominica immediate sequenti Octavam Festivitatis Omnium Sanctorum, uti in Gallia et Belgio, vel potius Dedicationem Omnium Ecclesiarum respectivae Dioeceseos, ubi haec Dedicatio alia die, qua Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, celebratur?

III. Ex antiquissima consuetudine et ex Apostolicis Indultis, prouti etiam ex antiquis et recentioribus Breviariis Ordinis Capuccinorum constat, Fratres Minores eiusdem Ordinis, etiam tempore Quadragesimae et Adventus, diebus non impeditis, recitare sub ritu semiduplici Officia votiva Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis in Sabbatis, et S. Francisci et S. Clarae Assisiensis semel in mense: quaeritur, utrum huiusmodi privilegium extendatur, sive ad Ferias temporis Passionis et ad Ferias Adventus, quae a die 17 usque ad 14 decembris decurrunt, sive ad Vigilias et ad quatuor tempora, quocumque anni tempore occurrentia?

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibusque maturo examine perpensis, respondendum censuit:

Ad I: Negative.

Ad II: Regulares in casu tantummodo celebrent Anniversarium Dedicationis Omnium Ecclesiarum Ordinis, die statuta; et Dedicationis Cathedralis Ecclesiae, si degunt in civitate Episcopali, sub ritu duplici secundae classis sine Octava.

Ad III: Negative in omnibus.

Et ita declaravit. Die 22 Iunii 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. Aloisius Tripepi *Secret.*

QUAEDAM ANIMADVERSIONES
SUPER PRAEFATO DECRETO

1. Decretum S. R. C. die 12 Iulii 1889 in *Ruremunden.* ad dub. IV, de quo in dub. I praefati Decreti agitur, est sequentis tenoris:

« In Ecclesia Parochiali sub titulo S. Sebastiani Mart., » Festum S. Fabiani Papae, huius Sancti Patroni Socii, olim » fixe translatum fuit, probante Episcopo, ad primam diem » liberam insequentem, scilicet XIII Februarii, iuxta Ru- » bricas antiquas, in Rubricis vero reformatis eodem loco » de huiusmodi Patroni Sociis nunc legitur: » de eis nihil fit. « Hinc quaeritur, num in ista Ecclesia Officium S. Fa- » biani Pap. et Mart. in posterum sit prorsus omittendum; » an potius Officium hoc etiamnum sit agendum ritu scilicet » semiduplici, uti olim fieri debebat? Et Sacra etc. Ad IV; » Negative ad primum; affirmative ad secundum. Atque ita » rescripsit et servari mandavit. Die 12 Iulii 1889. »

Resolutio itaque primi dubii Decreti in *Ordinis Capuc. Prov. Holland.* sententiam Cl. Dr. P. Piacenza plane confirmat. Ipse enim dicit (*Quaest. Liturg. circa Rubr. a SS. D. N. Leone XIII novissime reformat., Quaest. 2, pag. 24*): « Hisce » non obstantibus, si liceat sententiam nostram proferre, ar- » bitramur hic locum esse distinctionis: scilicet, si agatur » de Ecclesia, quae nullam revisionem ac correctionem proprii » Calendarii ab Apostolica Sede obtinuit, *post* Brevis » *Nullo unquam* « promulgationem, nihil innovandum putamus, et » de Ss. Sociis Titularis Officium agendum est ut antea. » Etenim clare non constat, S. R. C. talem immutationem » in Calendariis, prouti erant in usu, inducere voluisse. Si

» vero agatur de Ecclesia, quae novam revisionem ac cor-
» rectionem proprii Calendarii a S. Sede nuper obtinuit,
» *post* dicti Brevis promulgationem (excepto speciali indulto)
» nil de illis agendum est. »

Inferes, sententiam praefatam adeo esse certam, ut impraesentiarum tamquam veritas habenda sit. Ratio patet; Sacrum namque Rituum Tribunal duo docet, ex quibus dicta veritas oritur. Docet 1. Sanctos Socios, si ritu duplici aut semiduplici in Calendario sint descripti, recolendos esse alia die cum integro officio sub ritu semiduplici, uti antea fiebat, quamvis reformata Rubrica doceat, eodem in casu, si Doctorem Ecclesiae excipias, de iis nihil esse agendum *(Ruremunden. superc.)*. Ratio ex Dubii expositione patet, quia videlicet Calendarium non est mutandum propter reformatam Rubricam. Docet 2. de iisdem Sociis sub praefato ritu in Calendario descriptis nihil agendum esse, si Doctorem Ecclesiae excipias *(Ord. Capuccin. ad 1)*. Ratio etiam patet ex expositione Dubii, quia nempe Calendarium loci reformationi subiectum fuerat. Ergo certa veritas eruitur, de Ss. Sociis agendum uti antea, ubi Calendarium antiquum loci servatur: nihil prorsus agendum ubi Calendarium particulare reformatum est, aut reformari debet.

2. Quoad secundi dubii resolutionem rite intelligendam, notandum est, in postulato S. Rituum Congregationi sequentia exposita fuisse: *a)* Quod Regio Hollandica tempore, quo Indultum Card. Caprara d. 9 April. 1802 editum fuit, in Gallicanae Reipublicae territorio comprehenderetur, ideoque, vi Decreti S. R. C. d. 4 Ianuarii 1877 *in Ord. Carmelit. Excalceat. Prov. Aquitan.* ad dub. III, Regulares Hollandiae teneri videantur, uti in Gallia et Belgio, ad celebrationem Dedicationis omnium Ecclesiarum Regni in Dominica post Octavam Omnium Sanctorum sub ritu duplici primae classis cum Octava, quamvis ipsi iam celebrent Dedicationem Omnium Ecclesiarum Ordinis. *b)* Quod Archidioecesi Ultraie-

ctensi et Dioecesi Buscoducensi Pius IX d. 7 sept. 1856 indulserit, ut in singula Dioecesi in omnibus locis in Dominicis, quibus Cathedralium Dedicatio celebratur, Dedicatio omnium Ecclesiarum celebretur, omissis propriarum Ecclesiarum Dedicationibus. Dedicatio Metropolitanae (Archidioecesis Ultraiectensis) incidit in Dominicam sequentem diem 22 Augusti; Cathedralis vero Buscoducensis in Dominicam 4^{am} mensis Augusti. *c)* Tandem quod in Dioecesi Bredana anniversarium Dedicationis Omnium Ecclesiarum Dioeceseos a Clero saeculari celebretur Dominica 4^{a} Iulii, anniversarium vero Ecclesiae Cathedralis Dom. 3^{a} eiusdem mensis Iulii.

Ex postulata igitur expositione satis patet, quare S. R. C. ad dubium II respondit: « Regulares in casu *(in Regione scilicet Hollandica, qui Kalendarium proprium habent et iam celebrant Dedicationem Omnium Ecclesiarum Ordinis)* tantummodo celebrent anniversarium Dedicationis Omnium Ecclesiarum Ordinis, die statuta; et Dedicationis Cathedralis Ecclesiae, si degunt in civitate Episcopali, sub ritu duplici secundae classis sine Octava. »

Inferes, semel tantum Dedicationis Omnium Ecclesiarum anniversarium esse celebrandum, ubi concessum est, non vero pluries. Quod iam alias in hisce Ephemeridum paginis scripsimus, occasionem et robur ex praesenti Decreto sumentes, iterum confirmare liceat. Quando alicui Ordini, vel Dioecesi, aut Communitati cuicumque conceditur indultum Dedicationis Omnium loci Ecclesiarum anniversarium celebrandi, hoc sensu conceditur, ut nempe unaquaeque Ecclesia propriam Dedicationem celebret, si consecrata sit: secus celebret Dedicationem Ecclesiae praecipuae loci. Cum ergo eiusdem Ecclesiae Dedicationem bis in anno, multoque minus ter aut quater, celebrari nefas sit, palam sequitur omnium Ecclesiarum Dedicationem pluries in anno celebrari non posse. Hinc, cum Regulares in casu celebrare teneantur anniversarium Dedicationis Omnium Ecclesiarum Ordinis, S. R. Tri-

bunal sapienter respondet, iis nullum aliud Dedicationis Omnium Ecclesiarum anniversarium celebrandum esse. Qui tamen Regulares in civitate Episcopali degunt, teneri declarat ad Dedicationem quoque Cathedralis Ecclesiae, quia eiusmodi Ecclesiae Dedicatio certe non recolitur a dictis Regularibus quando Omnium Ecclesiarum Dedicationem proprii Ordinis recolunt.

3. Circa tertiam praesentis Decreti solutionem solummodo animadvertimus, quod privilegium, — quo Fratres Minores Capuccini gaudent, tria scilicet dicta Officia votiva recitandi etiam tempore Quadragesimae et Adventus, — pariter extendi nequeat *ad Feriam qua iuxta Rubricas reponendum est Officium alicuius Dominicae anticipandae*, quippe S. R. C. hoc ipso anno decreverit Officium Dominicae anticipandae impedire quoque recitationem Officii votivi ad libitum ex iis, quae SS. D. N. Leo XIII nuper indulsit *(Cf. S. R. C. d. 5 Februarii 1895 ad 1. in Romana — apud* Ephemerides Liturg. *vol. IX, pag. 264).*

Vis allatae rationis ex eo patet, quod licet dictum privilegium pro Capulatis Fratribus magis late pateat quoad tempus; par tamen est cum privilegiis aliis Communitatibus concessum quod attinet ferias, in quibus officia votiva recitari prohibentur. Hinc de re tamquam incerta praedicti Fratres declarationem a S. R. Congregatione petunt, a qua certiores fiunt, ita uti diximus negotium procedere. Non ergo tria praefata officia votiva pro Capulatis Fratribus melioris, sed eiusdem omnino, conditionis sunt, ac votiva ad libitum, quae Leo Papa XIII nuper indulsit. Atqui haec recitari nequeunt in feria, in qua reponendum est officium Dominicae anticipandae; ergo neque illa in eadem feria recitari ullo pacto possunt.

ARCHAEOLOGIA SACRA

IV. **De carminibus Damasi Papae ac de cryptis Martyrum ab eo exornatis.**

Inter eximios martyrum cultores merito adnumerandus est Pontifex Damasus, qui eorum cryptas in suburbanis Romae coemeteriis non tantum pietatis ac devotionis ardore coluit, verum etiam mirifice voluit exornatas; nam eas illustravit carminibus in marmore mira arte sculptis, nec non latini leporis elegantia praeditis. Sic illi martyrum memoriae apprime carae fuerunt, ut tuto dici possit fere omnia clariora sepulcra ornatu ac carmine ab eo fuisse decorata, sive in arenariis illa extiterint, sive in basilicis ad coemeteria sub dio exaedificatis. Damasus plura edidit carmina lapidibus consignata, quorum maior pars temporum et barbarorum iniuria ac etiam hominum ignorantia periit, magno cum detrimento artis christianae martyrumque veracis historiae; illa enim, tanquam certa documenta, martyrii triumphos celebrant.

Igitur, primum, quaedam mihi liceat proferre, quae ad tanti Pontificis vitam referuntur. Ipse, Hispanus natione, patre Antonio genitus est, anno 304, post Christum natum, cum e vivis sublatus sit, anno 384 *prope Octogenarius*, uti Hieronymus et Ambrosius testantur. Nescimus tamen quo loco ortus sit: non pauci in urbe *Guimaraens* natum esse putant, nunc ad Lusitaniam pertinente; alii vero Igeditanum vel Vimaranensem faciunt alii Tarraconensem vel Empuritanum dicunt; multi vero Mantuae Carpetanorum, ubi nunc urbs pernobilis Matritum assurgit, natum asserunt.

Igitur de loco, non de natione fit quaestio. Adhuc puer cum parentibus Romam venit, qui a teneris annis sacrae militiae nomen dedit. Id compertum est ex carmine quod ipse sculpi iussit in ecclesia sancti Laurentii, postea in Damaso nuncupata. Illud sic sonat:

HINC PVER EXCEPTOR LECTOR LEVITA SACERDOS (1)
CREVERAT HINC MERITIS QVONIAM MELIORIBVS ACTIS
HINC MIHI PROVECTO CHRISTVS CVI SVMMA POTESTAS
SEDIS APOSTOLICAE VOLVIT CONCEDERE HONOREM.
ARCHIBIS FATEOR VOLVI NOVA CONDERE TECTA
ADDERE PRAETEREA DEXTRA LEVAQVE COLVMNAS
QVAE DAMASI TENEANT PROPRIVM PER SAECVLA NOMEN.

Qua de re Romae Damasus puer commoratus est, ibique liberalibus disciplinis eruditus, ac praesertim religionis scientia, eo scilicet temporis quum adhuc sanguis martyrum tepebat, imo saeviebat adhuc Diocletiani scelestissimi tyranni persecutio. Ideo ex ipso carnificum ore passiones martyrum aliquando excepit, uti ipsemet testatur de sanctis mar-

(1) Non est admittenda lectio huius carminis quae incipit — Hinc *pater* exceptor, lector, levita, sacerdos — uti reperitur in codice Lavreshamense; sed illa supra relata retinenda est iuxta codicem Virdunensem antiquiorem, idest saeculi octavi; idque ex ipso carminis contextu eruitur: Damasus enim semper de se loquitur, incipiens ab officio exceptoris, et sic, per gradus, usque ac summum pontificatum; quod quidem innuit etiam particula *hinc* in primo et tertio versu, quae necessario ad eandem personam referri debet. Secus asserere necesse foret, ab Antonio, sacris ministeriis mancipato, iam a pueritia, Damasum fuisse Romae generatum, deleta omnino traditione de Damaso Hispano ac sententia virorum clarissimorum. Haud recte igitur legunt: *Hinc pater* Tillemontius, Merenda et Perez Bayer.

tyribus Marcellino et Petro, per carnificem Dorotheum necatis, inquiens:

Percussor retulit Damaso mihi cum puer essem, etc.

Ex his argue quanti facienda sint Damasi monumenta in quibus de martyribus fit mentio!

Id vero notatu dignum duco: Damasum iam a puero familiaritate fuisse coniunctum, ut reor, cum divo Hieronymo; hic enim, fere sub eadem tempora, e Dalmatia studiorum causa Romam commigravit, ille ex Hispania. Innuit quodammodo Hieronymus ipse hanc animi coniunctionem, cum ait se adhuc puerum, dum in liberales disciplinas incumberet, solitum fuisse sepulcra Apostolorum ac cryptas martyrum circuire easque ingredi in terrarum profunda defossas cum caeteris pueris eiusdem aetatis et propositi (1). Nil igitur est quod prohibeat arguere inter pueros Hieronymo familiares etiam Damasum extitisse. Quod quidem magis magisque deprehenditur ex intimo amicitiae vinculo quo iungebantur, cum utrique iam grandiores aetate effecti sunt. Nam Hieronymi doctrina et consilio ille usus est in gravibus ecclesiae negociis et in Sacris Scripturis illustrandis; cumque aberant, ad invicem litteris communicabant. Sufficiat hoc sancti doctoris testimonium: *Ante annos plurimos cum in chartis ecclesiasticis iuvarem Damasum Romanae Urbis Episcopum et Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus responderem* (2). Alio loco ait: *Neque vero ullam puto digniorem di-*

---

(1) En verba: *Dum essem Romae et liberalibus studiis erudirer, solebam cum caeteris eiusdem aetatis et propositi, diebus dominicis, sepulchra Apostolorum et martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi quae in terrarum profunda defossae ex utraque partium ingredientium per parietes habent corpora sepultorum.* In Ezechielem.

(2) Epist. 123 ad Ageruchiam.

sputationis nostrae confabulationem fore quam si de Scripturis sermocinemur inter nos, idest, ut ego interrogem, tu respondeas (1).

Liberio humanis rebus exempto, die 24 Septem. anno 366. Pontifex renunciatur Damasus: sed in eius electione schisma ortum est Ursicini Diaconi, qui plures tempestates in legitimum Pontificem diu excitavit. Interea cum Damaso Patres Ecclesiae communicabant, uti Ambrosius, Athanasius, Magnus Basilius, Chrysostomus, Gregorius Nyssenus, Cyrillus Hierosolymitanus, Eusebius Vercellensis, aliique permulti; qui omnes, dum per Orientem et Occidentem omnium foedissima haeresis Arianorum crassabatur, cum eo strenue pro catholica fide asserenda verbo et scriptis dimicabant. Romae vero Damasus multos pertulit praeclaros labores ut deorum cultus destrueretur, et veritas Christi in omnium Romanorum mentibus elucesceret. Nec frustra: eo enim Pontifice, cessavit cultus Vestae et Mithrae, cuius nefanda simulacra Furius Maecius Gracchus Praefectus Urbi, anno 377, destruxit. Plures Synodos Romae coegit ad catholicam doctrinam contra haereticos, praesertim Arianos, confirmandam; ipsique Pontifici pro re catholica adstiterunt Principes Theodosius et Gratianus. Pontifex persaepe calumniis ab adversariis expetitus, praeclare a Conciliis, a Patribus et Hieronymo defensus est, qui de ipso testatur quod fuerit *vir egregius et eruditus in scripturis et virgo ecclesiae virginis doctor*, qui innocentia sua *et vicit adversarios et non nocuit superatis* (2). Caetera mox patebunt de eius vita: nunc ad propositum redeamus.

Inter multas et egregias tanti Pontificis dotes eluxit elegans ingenium eruditioque altior, praesertim in his quae

---

(1) Inter Epist. Hier. Ed. Parisiis, 1692-1706.
(2) Epist. ad Pammachium 50.

ad ecclesiasticas disciplinas pertinent. A Cassiodoro his laudibus extollitur: *Damasus Romanae Urbis Episcopus laude dignus vir mirabilis semper ornatus dicere facereque* (1). A Theodoreto vero his verbis: *Vir fuit sane propter vitae praestabilis ornamenta insignis* (2). Sed audiamus testimonium Hieronymi praestantissimum. *Elegans enim in versibus componendis ingenium habuit, multaque et brevia opuscula metro edidit* (3). Vir igitur, graeco etiam sermone valde eruditus, vires ingenii sui in canendis sanctorum martyrum triumphis adhibuit laudabiliter, totusque in id incubuit ut eorum gloria veluti sol splendesceret et christianorum corda ad praeclara quaeque pro fide facienda inflammarentur. Loca vero permulta in quibus sancta corpora iacebant elegantiora reddidit ac ornamentis ditavit, praesertim lapidibus sculptis, in quibus venerandas passiones ac de tyrannis relatos triumphos non tam legere pulcherrimo versu quam intueri datum erat.

Anastasius Bibliothecarius testatur: *Multa corpora sanctorum martyrum requisivit, quorum etiam conchylia, idest sepulchra, versibus decoravit.* Multa extant Damasi carmina in codicibus, quae a peregrinis Romam visitantibus lapidibus ipsis ad cryptas excripta sunt; sed et alia multa perierunt; impraesentiarum autem vix unum aut alterum lapidem integrum invenies: caetera quae supersunt in arenariis vel in Urbis ecclesiis aut mutila sunt, aut in frustula redacta; non pauca fragmenta in musaeo christiano Lateranensi reperiuntur, hoc titulo inscripto — *Elogia Martyrum Damasiana* —;

---

(1) Hist. Tripar. V. 29.

(2) Hist. Eccles. V. 2.

(3) *De Viris Illustr.* CIII, 135 — Memorat ipse a Damaso fuisse compositum librum *de Virginitate* metro et soluta oratione. Quod Suida confirmat, qui graece scripsit, inquiens: *Damasus Romae Episcopus versificator insignis multa breviter heroico carmine comprehensa edidit... scripsit et alia multa.*

non pauca item adhuc sub terris abdita iacent. Valde dolendum est lapides illos, quos barbari aut integros aut confractos reliquerunt, a marmorariis romanis (saec. XI-XV) fuisse adhibitos ad pavimenta ecclesiarum struenda ac alia artis opera elaboranda, praesertim ea quae *opus alexandrinum* dicuntur: unde accidit ut testatiora de actibus martyrum monumenta a christianis ipsis inscite fuerint deleta.

Damasus itaque tum devotionis stimulo erga sanctos martyres, tum christianae artis studio multa eorum sepulcra illustravit. Quae adnumeramus praecipua sunt. Hypogeum sanctorum Felicis et Adaucti in coemeterio Commodillae; aliud Eutichii martyris, cuius corpus nunc ad S. Laurentium in Damaso colitur, et Tharsicii pueri item martyris; cryptas praedecessorum suorum in coemeterio Callixti, idest Cornelii, Xisti et Eusebii, atque illas Tigridatis et Redempti diaconorum, nec non sancti Ianuarii (1), qui unus est ex septem filiis sanctae Felicitatis, in coemeterio Praetextati prope viam Appiam. Exornavit item sepulcrum sancti Laurentii martyris via Tiburtina, sancti martyris Saturnini via Salaria, Gorgonii via Latina, Mauri pueri, divae Agnetis Virginis via Nomentana, Nerei et Achillei, via Ardeatina, item martyrum. Quae omnia hypogea lapide inscripto ac carmine decoravit. Beatorum Proti et Hyacinthi ad coemeterium Hermetis aedem fundavit, ornavitque carmine, ac aliam via Portuensi in coemeterio Generosae ad sextum Philippi ad honorem Faustini, Simplicii et Viatricis, ubi lucus erat fratrum Arvalium, templumque deae Diae; absolvitque eam basilicam quam Iulius I ad Sylvam Candidam ceperat aedificare in honorem Rufinae et Secundae virginum.

---

(1) Locus ubi quiescebat *spelunca magna* dicebatur, marmoribus et columnis exornatus.

Ad XXI lapidem ab Urbe, via Claudia iuxta quosdam, seu potius via Cassia, basilica extructa erat sancto martyri et episcopo Alexandro dicata, iam ab anno 321, prope Baccanas. Ibi etiam *Papa Damasus postmodum cryptam condignam faciens, illic eum* (Alexandrum) *VI Kal. Decembris transposuit, quando et festivitatem ei dicavit* (1). Refecit et aedem sanctorum Petri et Marcellini via Labicana prope mausoleum Helenae, aliamque sancti Valentini in Flaminia ad primum lapidem.

Eius autem pietas in Principes Apostolorum Petri et Pauli eluxit praecipue, cum basilicam eorum nomini exaedificavit ad catacumbas, ac Platoniam, idest locum marmoribus stratum, ubi aliquando iacuerunt corpora eorum, quam carmine exornavit (2). En testimonium Libri Pontificalis ad veram lectionem restitutum. *Hic Damasus fecit basilicas tres, unam beato Laurentio iuxta theatrum, et aliam Via Ardeatina ubi requiescit, et in catacumbis, ubi iacuerunt corpora BB. Apostolorum Petri et Pauli, in quo loco Platoniam ipsam versibus exornavit.* Etiam fontem baptismatis in Basilica Vaticana ab eo exornatum versibus insculptis ditavit. Altera Basilica, de qua hoc loco fit mentio, postea in Damaso appellata, ea

(1) Alexander episcopus (non ille tamen eiusdem nominis, Pontifex, qui ad viam Nomentanam quievit), obtruncato capite martyrio coronatus est, ibique ad Baccanas sepultus. De eo auctor romani martyrologii parvi ait: *Beati Alexandri episcopi et martyris passi XI Kal. Octob. a papa Damaso VI. Kal. Decembres translati, quando festivitatem ei dicavit.* — Alius martyr Alexander in coemeterio Ostriano *ubi Petrus baptizabat*, saeculo septimo quiescebat, uti innuunt topographi coemeteriorum. Item alius martyr eiusdem nominis una cum Tiburtio et Hyacintho sepulti sunt via Salaria ad XXV lapidem.

(2) De translatione corporum Petri et Pauli ad catacumbas via Appia, ubi basilica exurgit S. Sebastiani, alio loco dicemus harum Ephemeridum.

est quam a Cardinali Riario deiectam scimus, saeculo XVI, ut Palatium Cancellariae Apostolicae excitaretur. Templum quod extabat prope theatrum Pompei in Campo Martio iuxta *stabula factionis prasinae* (1) a sancto Pontifice tum columnis ac fonte, tum picturis ac scrinio ad custodiendas ecclesiasticas tabulas exornatum est, uti etiam eruitur ex carmine primo loco relatum, antequam scrinium sanctum Lateranense fabricaretur. In basilica vero ad Viam Ardeatinam matrem suam ac sororem Irenem e vivis sublatam, viginti annis nondum elapsis, honorifice deposuit; quod ex carmine ab eo compositum constat incipiente:

Hoc tumulo sacrata Deo nunc membra quiescunt,
Hic soror est Damasi, nomen si quaeris Irene, etc.

In Basilica hac et ipse voluit sepeliri. Qua de re ex quodam titulo inibi reperto memoratur *locus trysomus in crypta Damasi* (2). Subtus illam coemeterium Damasi extendebatur, usque ad regionem coemeterii Callixti, in quo et Diogenes celebris catacumbarum fossor quiescebat, qui coemeterium ipsum Damasianum effoderat, iuxta sententiam clarissimi De Rossi.

Damasus item carminibus illustravit sepulcra Marcelli et Stephani Pont. et Mart. et Marci Papae. Forsitan carmen ultimum ab eo positum, antequam supremum diem obiret, est illud Proiectae: ille enim mortuus est anno 384; Proiecta vero deposita est III Kal. Ianuarias Merobaude et Fl. Saturnino consulibus, idest anno 383, uti constat ex ipsa Damasiana inscriptione tenerrimi affectus plena. Utinam

(1) Idest factionis viridis quae in Çirco equos agitabat. Unde etiam dicta est basilica *in Prasino.*

(2) De Rossi. *Roma sotter.* Tom. III, p. 421.

tempus ac hominum pravitas tot praeclarissimos lapides non omnino destruxissent! Quot illustria et clara facinora de triumphis martyrum quatuor saeculorum nobis innotescerent! (1).

Quamvis, saeculo quarto vertente, honos latini sermonis declinaret, tamen leporem quemdam et elegantiam sonumque gravem auribusque pergratum redolent carmina Damasiana. Damaso enim neque venustas, neque gratia, neque copia defuit dicendi. Quapropter recte, uti diximus, Hieronymus asseruit eum praeditum fuisse eleganti ingenio, et Hadrianus I in epistola ad Carolum Magnum *elegantissimum papam* appellavit.

Interea, exempli gratia, quaedam carmina proferimus, ut qui ea omnino ignorant venustatem ac dulcedinem latini sermonis Damasiani degustent. Elegantia dicendique arte praefertur illud de Christo ac de B. Virgine quod sequitur (2).

Christe potens rerum, redeuntis conditor aevi.
Vox summi sensusque Dei, quem fundit ab alta
Mente pater, tantique dedit consortia regni,
Impia tu nostrae domuisti crimina vitae,
Passus corporea mundum vestire figura,
Affarique palam populos hominemque fateri,

---

(1) Plura Damasi carmina non ex lapidibus nobis nota sunt, sed per peregrinos qui Romae ad cryptas martyrum ea transcripserunt ac codicibus consignarunt, praesertim saeculo septimo et octavo. Noti sunt codices Monasterii S. Galli, Einsidlensis, Lavreshamensis, Virdunensis olim monasterii Sain-Vanne.

Carmina Damasiana edita reperies apud Sarazanium, Merenda et De Rossi. *Roma sotter.* — *Inscrip. christ.* — *Bollettini d'arch. crist.* Legi etiam possunt in magno codice Palatino ad Vaticanum quem edidit Gruterus. *Thesaur. Inscript.*

(2) Et alia edidit de Christo carmina.

Quem Verbo inclusum Mariae mox numine viso
Virginei tumuere sinus, innuptaque Mater
Arcano obstupuit compleri viscera partu,
Auctorem paritura suum, mortalia corda
Artificem texere poli mundique, sub imo
Pectore, quo totum late complectitur Orbem.
Et qui non spatiis terrae, non aequoris undis,
Nec capitur Coelo parvos confluxit in artus;
Quin et supplicii nomen nexusque subisti
Ut nos surriperes letho mortemque fugares
Morte tua: mox aethereas evectus in auras,
Purgata reparans laetum te luce, Parentem
Augustum foveas, festis ut saepe diebus
Annua sinceri celebret ieiunia sacri.

Aliud apponimus carmen de sanctis martyribus Proto et Hyacintho fratribus, cuius exemplar iuxta Siricii restitutionem extat in templo sanctorum Quatuor Coronatorum.

EXTREMO TVMVLVS LATVIT SVB AGGERE MONTIS
HVNC DAMASVS MONSTRAT SERVAT QVOD MEMBRA PIORVM:
TE PROTVM RETINET MELIOR SIBI REGIA COELI
SANGVINE PVRPVREO SEQVERIS HYACINTHE PROBATVS (1)
GERMANI FRATRES ANIMIS INGENTIBVS AMBO
HIC VICTOR MERVIT PALMAM PRIOR ILLE CORONAM.

---

(1) Vox *probatus* refertur ad canonicam probationem martyrii per Episcopum factam: unde martyres probati ii dicebantur quos uti tales probaverat ecclesia.

Adverte quod *sub* brevis est et ultima syllaba in *sequeris* pariter brevis: Damasus graeca carmina imitatus est in quibus syllaba brevis persaepe fit longa. Etiam Virgilius ait — Ille latus niveum molli fultus hyacintho. — (Eglog. VI, v. 53).

Carmen quod sequitur de martyre Eutichio adhuc videtur integrum in templo S. Sebastiani ad catacumbas ad viam Appiam supra locum, quo iamdiu martyr iacuit sepultus.

EVTICHIVS MARTYR CRVDELIA IVSSA TYRANNI
CARNIFICVMQVE VIAS PARITER TVNC MILLE NOCENDI
VINCERE QVOD POTVIT MONSTRAVIT GLORIA CHRISTI.
CARCERIS INLVVIEM SEQVITVR NOVA POENA, PER ARTVS
TESTARVM FRAGMENTA PARANT NE SOMNVS ADIRET
BIS SENI TRANSIERE DIES ALIMENTA NEGANTVR.
MITTITVR IN BARATRVM SANCTVS LAVAT OMNIA SANGVIS
VVLNERA QVAE INTVLERAT MORTIS METVENDA POTESTAS
NOCTE SOPORIFERA TVRBANT INSOMNIA MENTEM (1)
OSTENDIT LATEBRAS INSONTIS QVAE MEMBRA TENERET:
QVAERITVR INVENTVS COLITVR FOVET OMNIA PRAESTAT
EXPRESSIT DAMASVS MERITVM VENERARE SEPVLCHRVM.

Hoc carminis specimen, quo tam exacte et particulatim passio martyris exprimitur, satis indicat quantum sint pretiosa Damasiana elogia ut heroum christianorum pugnae pro Christi fide ac triumpha noscantur. Sed et aliquid pluris ea manifestant, fidem scilicet in dogmata, quae, utpote a Christo revelata, Ecclesia proponit credenda. De martyre enim puero Tarsicio, qui sacram Eucharistiam martyribus in carcere coniectis ferebat, haec cecinit.

TARSICIVM SANCTVM CHRISTI SACRAMENTA GERENTEM,
CVM MALESANA MANVS PETERET VVLGARE PROFANIS,
IPSE ANIMAM POTIVS VOLVIT DIMITTERE CAESVS
PRODERE QVAM CANIBUS RABIDIS COELESTIA MEMBRA.

---

(1) Idest mentem Damasi cogitantis supplicia insontis martyris et modum quo poterat corpus eius inveniri ac debite coli.

Videte patrum nostrorum fidem in sanctum Eucharistiae Sacramentum, et noscite quo nomine hi adversarios tanti mysterii appellaverint!

Quid huic Damasi testimonio opponent Protestantes, qui tam aperte et expresse meminit *coelestia membra*? An Ecclesia a doctrina Christi iam a saeculo quarto aberravit? O coeci et ductores coecorum, nec non tardi corde ad credendum!

Sufficiant quae pro speciminis gratia protulimus carmina ut patefieret qualis fuerit Damasi sensus et amor in Christi martyres et quanta eius peritia in versibus edendis (1).

Elogia ad cryptas martyrum positas suo loco remanserunt posteaquam saeculo octavo plurima sanctorum corpora in Urbem inlata sunt ac honorifice in ecclesiis reposita, opera praecipue Pauli I et Paschalis I. Eo enim temporis tum propter timores bellorum, tum quia sacra hypogea vetustate ac damnis illatis fatiscebant, martyres in tutiorem locum translati sunt ut opportunius colerentur.

---

(1) Non est omittendum carmen pulcherrimum rethorica arte concinnatum, cuius fragmentum paucis ab hinc annis Ioan. Bapt. De Rossi in coemeterio Callixti in regione XII invenit. Hoc refert Gruterus ex Codice Palatino in quo fit mentio de diacono Redempto. Grandiores litterae extant in fragmento ipso.

Stringe dolor lacrymas quaeris PLEBS SANCTA *Redemptum,*
Levitam subito rapuit sibi regia COELI,
*Dulcia nectareo promebant mell*A CANORE,
*Prophetam celebrans placido m*ODVLAM*ine senem,*
Haec fuit insontis vitae laudata IVVE*ntus*:
Invidia infelix tandem compressa quiescit.
Nunc paradisus habet sumpsit qui ex hoste tropaea.

Certe Damasus auctor est carminis: idque non tantum ex forma dicendi perspicue eruitur, sed ex verbis *sumpsit qui ex hoste tropaea* alibi ab eo adhibitis.

Adverte tamen carmina Damasiana magnum detrimentum passa fuisse tempore, quo barbarorum copiae Romam ac viciniora loca depopulati sunt. Sub Vithige enim anno 537 *ecclesiae et corpora sanctorum martyrum exterminatae sunt a Gothis* (Anast. Bibliot. in vita Silverii) post Damasi mortem, praesertim in regione *Salariae*, ubi ipsi magna vi Urbem adorti sunt. Vastatio maxima coemeteriorum item facta est etiam sub Totila et sub finem belli gothici, nec non cum, anno 755, Aistulphus Longobardorum rex Urbem tenuit obsessam. Qua de re Pontifices sategerunt ut tot damna ac tanta cryptis illata repararent. Vigilius Papa iussit sculpi iterum carmina Damasiana a barbaris confracta eadem fere forma litterarum eademque dictione: fragmenta suo loco reliquit ad sepulcra martyrum ac novum lapidem, inscripto Damasiano carmine, apposuit. De instauratione hac certiores nos reddit carmen marmore insculptum et aliquibus in locis repetitum, iussu Vigilii Papae, quod sic sonat, probabiliter ab Aratore poeta et subdiacono compositum.

Cum peritura Gethae posuissent castra sub Urbe,
Moverunt sanctis bella nefanda prius.
Istaque sacrilego verterunt corde sepulchra
Martyribus quondam rite sacrata piis.
Quos monstrante Deo Damasus sibi papa proba os
Affixo monuit carmine iure coli.
Sed periit titulus, confracto marmore, sanctus,
Nec tamen his iterum posse perire fuit:
Diruta Vigilius nam mox haec papa gemiscens,
Hostibus expulsis, omne novavit opus.

Ex aliis eiusdem temporis inscriptionibus ac etiam ex sequenti disticho scimus damna reparata fuisse ad mar-

tyrum cryptas, sive in arenariis sive in basilicis supra coemeteria.

Plange tuum gens saeva nefas, periere furores,
Crevit in his templis per tua damna decus.

(Gruterus, 1171).

Damasus vero non tantum eo proposito edidit sua carmina ut loca sacra, ubi in pace Christi quiescebant martyres, ornatiora redderentur, sed ut, lapidibus insculptis, futuris temporibus servaretur sincera heroum christianorum historia, ac veluti trophaea extarent lapides, quibus mater ecclesia laetaretur, et hi christifidelibus stimulus exemplumque pernobile forent ad invicta quaeque facienda et fortia patienda pro Christi nomine. Utinam orbis Caput integrum fuisset servatum, ne fere omnia martyrum monumenta perirent! Quot nos admiraremur adhuc virtutis ac fortitudinis praeclara exempla! Ex quo factum est ut plures sancti qui sanguinem suum fuderunt, quique gloria et honore in coelis sunt coronati, nobis sint vix nomine noti, confractis titulis Damasianis.

Pontifex enim Damasus omnium diligentissimus fuit ut nobis sincera eorum acta transmitteret: ipse, cuius vita fere totum saeculum quartum occupat, potuit ac voluit sive acta publica martyrum, religiose in ecclesiis servata, inquirere; sive ea, per traditionem adhuc vivam, ore christianorum cognoscere, quorum plurimi testes oculati fuerant in persecutionibus saevissimis, ac praesertim in illa Diocletiani, quae aetas martyrum dicta est. Imo Damasus ipse passiones martyrum, quas monumentis consignavit, ex ore apparitorum seu carnificum aliquando didicit, uti constat ex eius testimonio, cum referat se ex ore Dorothei percussoris didicisse, adhuc puerum, passionem Sanctorum Martyrum Petri et Marcellini.

Advertendum denique est quod Pontifex sua carmina ad cryptas sanctorum apponens, veteras simplicesque eorum inscriptiones et epitaphia de loco suo nunquam amovit; quinimo ipsas religiose servatas voluit; uti videre est in sepulcro Cornelii Papae, ubi primus titulus una cum Damasi carmine ac Siricii inscriptione repertus est.

Multo minus sancta corpora in tumbarum quiete turbavit; usque eo enim pietas eius eluxit ut ne voluerit quidem deponi ad cryptam papalem coemeterii Callixti, timens ne illa vexaret: ipsum audiamus:

Hic fateor Damasus volui mea condere membra,
Sed timui cineres sanctos vexare piorum.

Ultimo autem loco scire liceat quaenam fuerit forma litterarum quam Damasus lapidibus sculptam voluit, nec non quisnam artifex, auctor earum. Certum est quod his litteris carmina Damasiana, statim ac visa sint, inter caetera quaecumque dignoscuntur, utpote quae peculiari ac pulcherrimo delineata charactere; nexus enim, distantia litterarum, apices earum cirrati seu crispi ac ipsa sphalmata quadratarii ita sunt accuratius scalpro incisa ut lapides Damasiani singularem quemdam ac pernobilem typum, admiratione dignum, offerant.

Pulcherrimi operis auctor extitit lapicida nomine Furius Dionysius Philocalus suae artis apprime callidus; artifex revera de arte christiana optime meritus; eius enim legimus inscriptum nomen litteris in longitudinem dispositis in lapide ad musaeum christianum palatii Lateranensis, scilicet — *Scribsit Furius Dion. . . .* —; qui lapis fragmentum est carminis Damasiani, uti ex forma litterarum patet. In elogio autem quod Damasus posuit ad honorem Pontificis Eusebii quodque a Gothis fractum, saeculo sexto renovatum scimus (quamvis aliqua cum menda), in coemeterio Callixti, expresse

nomen artificis inscriptum est, Papae Damaso valde devoti. Haec verba sunt hinc inde a vertice disposita et integra restituta etiam per fragmentum supra relatum:

Damasis (1) *Pappae cultor atque amatot* (2)
Furius Dionysius Filocalus scribsit (3).

De artifice hoc fit item mentio in Kalendario, aetate Liberii Pontificis, praedecessoris Damasi, et Constantii Imperatoris exarato, cuius nomen in fronte legitur Kalendarii ipsius — *Furius Dionysius Filocalus titulavit* — (4).

Huic tractationi finem facio sub oculos lectorum typum ponens litterarum quibus Furius Dionysius carmina Damasiana egregia cum arte diligentissime sculpsit.

Fragmen est elogii Sanctorum Martyrum Nerei et Achillei iuxta archetypum quod adhuc visitur in basilica S. Petronillae supra coemeterium Domitillae ubi ipsi quiescebant, antequam ad aedem divi Hadriani in Foro Romano essent delati (5).

---

(1) Damasi.

(2) Amator.

(3) Idest delineavit. V. De Rossi, *Rom. sotterr.*, Tom. II, p. 191 et *Boll. d'Arch. crist.*, 1873, p. 158.

(4) Scilicet scripsit calamoque delineavit. V. De Rossi, *Rom. sotterr.*, Tom. I, p. 120. — Marini, *App. Mai.*, p. 53.

(5) Impraesentiarum quiescunt in basilica eorum nomini dicata, titulo Fasciolae, non longe a porta S. Sebastiani; Cardinalis Baronius in eam solemni pompa ipsorum corpora transtulit anno 1597 die 11 Mai.



Nunc integrum carmen legendum propono, advertens quod etiam grandiores litterae in initio quinque versuum iuxta archetypum extant: caeteras restitutas invenies ad codicum fidem.

Militiae nomen dederant saevumque gerebant
Officium pariter spectantes iussa TY*ranni*,
*Praeceptis pulsante metu servi*RE PARA*ti*.
Mi*ra fides rerum subito posue*RE FURORE*M*:
Co*N*v*ersi fugiunt, ducis impia castr*A RELINQUUNT,

PROICIUNT *clypeos, faleras tel*AQ CRUENTA (1),
CONFESSI *gaudent Christi portar*E TRIUMFOS
CREDITE PER *Damasum possit quid g*LORIA CHRISTI.

Multa carmen declarat quae in Actis horum martyrum desiderantur. Tantum ex hoc scimus martyres milites fuisse et quidem ex praetorianis, uti eruitur ex verbis *ducis impia castra relinquunt.* Romae adhuc locus est *Castrum Praetorium* appellatus. Falerae itidem, quae militaria dona erant, nonnisi strenuis militibus dabantur; igitur martyres non ad coetum apparitorum pertinebant, qui in suppliciis iudicum mandata exequebantur, sed ad officium quoddam militiae; ideoque pulsante metu parebant mandatis tyranni, donec Dei operante virtute ad fidem conversi sunt. Ex dictis patet non fuisse eunuchos, uti legitur in eorum actis; eunuchi enim minime militiae nomen dare poterant (2).

IOSEPH SAC. CASCIOLI.

---

(1) A in *telaque* brevis est: vide quae diximus ad not. 16.

(2) Cum saeculo V et VI in aula Constantinopolitana eunuchi magna pollerent auctoritate, variis officiis mancipati, ideo factum est ut amanuensis, iuxta morem Byzantinorum, eunuchos diceret martyres qui apud Flaviam Domitillam aliquo nobili officio fungebantur. V. De Rossi, *Boll. d'Arch. crist.*, 1873, p. 26.

EXPOSITIO NOVISSIMA
RUBRICARUM BREVIARII ROMANI

(*Contin. V. n. 5, pag. 297*).

(*Titul. IX, n. 3*).

NOTA. — ***In hac expositione nostra error typographicus irrepsit, in fine pag. 299, N. 5, ubi enim legitur:*** **Omnis ratio suadet vocem** ***Patronum*** **referendam esse ad vocem** ***Ecclesiae; legendum est:*** **Omnis ratio suadet vocem** ***Patronus*** **referendam esse ad vocem** ***loci,*** **et vocem** ***Titularis*** **ad vocem** ***Ecclesiae. Parcat ergo lector, qui tamen, si bene argumentum nostrum intellexit, errorem typographicum iam animadvertit.***

(244) *excepta Dominica prima Adventus, Dominica prima Quadragesimae, Dominica Passionis, Dominica Palmarum....* Cum enim hae Dominicae caput sint et initium temporis tam venerabilis, voluit Ecclesia illarum officia numquam omitti quocumque festo, etiam solemnissimo alicubi occurrente, ne scilicet in feria sequenti ageretur officium vel saltem commemoratio de tempore, quod in casu nondum esset realiter inceptum, si in Dominica praecedenti aliud officium celebratum fuisset.

(245).... *Dominica Paschae, Dominica in Albis.* Quoad Dominicam Paschatis, quae est dies solemnior et celeberrima per annum, *quam fecit dominus,* ideoque *in ea exultandum est et laetandum,* nemo est qui non videat, cur in ea nefas sit de alio festo agere officium: de caetero in hac Dominica agitur solemnitas ritus pri-

mae classis primique ordinis, ergo. Quoad vero Dominicam *in Albis,* dicendum est noluisse ecclesiam, in ea agi de quocumque festo etiam primae classis, quia est octava Paschatis; et sicut octava Epiphaniae excludit quodcumque festum, ita et Dominica *in Albis.*

(246).... *Dominica Pentecostes*.... de ea dicendum est quod supra innuimus de Dominica Paschae.

(247).... *et Sanctissimae Trinitatis.* Haec Dominica excludit festa primae classis, non quia in ea recolatur festum Ss. Trinitatis, quod ritum gaudet secundae classis, ideoque per se non impediret, sed quia est octava Pentecostes. Sicut enim infra octavas Paschatis et Pentecostes nullibi celebratur festum, ita et in diebus octavis. Neque dicas has duas octavas terminum habere in Sabbato post nonam, quia si hoc admittendum est quoad officium, huiusmodi octavarum, quarum festa incepta fuere in Sabbato praecedenti ad Missam, nihilominus quoad solemnitatem octava desinit in Dominica, ideoque in ea nefas est aliud peragi quodcumque festum.

(248) *in quibus huiusmodi occurrens festum transfertur in sequentem diem similiter non impeditam.* Bene hic loquitur Rubrica de translatione in sequentem diem, et non de commemoratione ut supra N. 239, quia cum in casu festum transferendum sit duplicis 1. classis, hoc certe transfertur omnimode et numquam datur casus ut commemoretur. Sequitur vero Rubrica dicens: *transfertur in sequentem diem similiter non impeditam;* quid sibi vult haec locutio? Nonne hic agitur de impedimento quod oritur ab occurrentia Dominicarum 1. Adventus, et Quadragesimae, Passionis, Palmarum, etc.? quomodo ergo potest impediri duplex 1. classis *similiter?* Numquid dantur aliae Dominicae post hic recensitas, quae *similiter* impediant duplicia 1. classis?

Advertat lector, quod inter illas Dominicas 1. classis recensentur Dominica Palmarum, Paschae et Pentecostes, quae post se habent, vel maiorem hebdomadam, vel octavam, in quibus etiam duplicia 1. classis occurrentia celebrari nequeunt. Itaque Rubrica hic innuit quod duplex 1. classis impeditum ab his Dominicis transferendum sit in sequentem diem, nisi haec *similiter*, impediat duplicia 1. classis.

Notandum insuper quod licet in calendario nulla dies libera inveniatur, usque ad finem anni, nihilominus ex decreto generali 13 Martii 1804 festum 1. classis impeditum, celebratur in die proxima a semiduplici festo, impedita, prout infra videbimus.

(249) *dummodo non fuerit infra maiorem hebdomadam, etc.* Haec verba explicant antecedentia, sicuti numero praecedenti vidimus, et ad abundantiam hic posita sunt; alibi enim dicitur nullum fieri officium, etiam I. classis, infra maiorem hebdomadam et per octavam Paschatis ac Pentecostes; ergo eo magis si duplex 1. classis sit translatum, ut in casu nostro.

(250) *Idem dicendum de aliis festis primae classis occurrentibus in praefatis Dominicis maioribus.* Haec verba hic adiecta fuere in ultima Rubricarum emendatione; et bene. Cum enim antea loquantur Rubricae de Titulo Ecclesiae, vel loci Patrono et de Dedicatione in Dominicis maioribus occurrentibus, privilegium hisce festis tributum ad omnia duplicia 1. classis uti par est extendit. Ita cadunt omnia ratiocinia doctorum, non excluso Guieto, et maxime clarissimo Marchesi Presb. Congr. Missionis, qui in quaestionibus a se resolutis in Academia liturgica Romana (*anno 1855-1856, fasciculo II, pag. 142 et seq.*) censuit a quocumque duplici primae classis dictas Dominicas non impediri, sed

tantum a Patrono loci, a Dedicatione et Titulo Ecclesiae propriae.

TEXTUS.

(Titulus IX).

DE OCTAVIS.

N. 4.

De Octava (251) etiam, quando Festo novem Lectionum, vel Dominica impeditur, fit commemoratio (252), nisi illud Festum novem Lectionum fuerit solemne principale alicuius loci ut supra (253). Nam in primis Vesperis et Laudibus huiusmodi Festi (254) nulla fit commemoratio Festi Simplicis occurrentis (255) nec alicuius Vigiliae (256) (excepta Vigilia Epiphaniae) (257), nec alicuius diei infra Octavam (258), nec alicuius praecedentis Festi novem Lectionum (259) (nisi id Festum fuerit ex iis quae infra in hac eadem Rubrica enumerantur) (260), nec diei Octavae nec Dominicae si Festum illud solemne celebretur feria secunda (261), exceptis Dominicis Adventus et Dominicis a Septuagesima usque ad Octavam Paschae inclusivae (262); de quibus Dominicis, sicut etiam de feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum et Secunda Rogationum, semper fit commemoratio quocumque Festo adveniente (263). Quod si huiusmodi Festum solemne venerit in quacumque Dominica (264), fit commemoratio de eo in utrisque Vesperis et Laudibus (265).

Et similiter si occurrat in die Octava alicuius Festi habentis Octavam, de ea fiet commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus (266). In secundis autem Vesperis Festi praedicti (267) fit commemoratio de Duplici, Semiduplici, et Dominica sequentibus, et non de aliis (268).

(251) *De octava*... nempe de officio diei infra aliquam octavam.

(252) ...*quando festo novem lectionum vel Dominica impeditur fit commemoratio.* Per se patet, excipe tamen, si festum impediens, occurrens infra octavam, eiusdem obiectum cum octava haberet, ut ex. gr. festum Ss. Nominis B. M. occurrens infra octavam Nativitatis eiusdem, in quo festo omittitur commemoratio octavae.

(253) ...*nisi illud festum novem lectionum, fuerit solemne principale alicuius loci ut supra.* Scilicet nisi fuerit duplex I classis.

(254) *Nam in primis Vesperis et laudibus huiusmodi festi*... idest festi solemnis ut supra seu duplicis I classis.

(255) ...*nulla fit commemoratio simplicis occurrentis:* occurrentis, non concurrentis, quia uti cuique patet simplex non concurrit in I Vesperis sequentis officii. Simplex vero occurrens in duplici I classis plane omittitur, neque de eo fit commemoratio in laudibus.

(256) ...*nec alicuius Vigiliae*... similiter occurrentis, quia est officium feriale et poenitentiale, quod non convenit festivitati duplicis I classis, sicuti alia docuimus supra N. 154, 157, ac proinde omittitur eius commemoratio.

(257) ...*excepta Vigilia Epiphaniae*... Haec enim tenet locum Dominicae, cuius habet communes ritus semiduplex, et eius officium pertinet ad ordinem hi-

storicum Vitae Divini Redemptoris, ac proinde non decet omitti etiam in duplicibus I classis.

(258) ... *nec alicuius diei infra octavam.* Intellige octavam communem, non privilegiatam, nam supra N. 182 et 183 vidimus, in duplicibus etiam primae classis locum habere commemorationem diei infra octavas Nativitatis, Epiphaniae et Corporis Christi pro orbe universo, et SS. Petri et Pauli pro Urbe; de aliis octavis nil agi potest.

(259) *nec alicuius praecedentis festi novem lectionum.* Scilicet cuiuscumque officii duplicis maioris vel minoris, aut semiduplicis etiam dominicalis. Hoc intellige de primis Vesperis festi duplicis I classis, cum exceptionibus sequentibus.

(260) ... *nisi id festum fuerit ex iis, quae infra in hac eadem Rubrica enumerantur.* Nempe in §§ huiusmet tituli, 5 et 6, in quibus enumerantur duplicia I et II classis. In primis ergo Vesperis duplicis I classis fit commemoratio praecedentis duplicis I vel II classis.

(261) *nec diei octavae nec Dominicae si festum illud solemne celebretur feria secunda* ... Haec verba ad abundantiam posita sunt, de huiusmodi enim officiis, utpote novem lectionum, iam implicite dixerat Rubrica supra N. 259.

(262) *exceptis Dominicis Adventus, et Dominicis a Septuagesima usque ad octavam Paschae inclusive.* Exceptis scilicet omnibus Dominicis maioribus, tam primae quam secundae classis; ita ut in I Vesperis festi duplicis I classis agatur commemoratio praecedentis Dominicae maioris.

(263) *De quibus Dominicis, sicut etiam de feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum et secunda Rogationum semper fit commemoratio quocumque festo adve-*

niente. De his feriis maioribus, quae semper commemorantur, vide supra N. 118.

(264) *Quod si huiusmodi festum solemne venerit in quacumque Dominica...* Intellige, in quacumque Dominica quae non sit primae classis, de quo vide supra N. 244.

(265) *...fit commemoratio de ea in utrisque Vesperis et laudibus.* Hoc est in duplici I classis commemoratur Dominica occurrens in utrisque Vesperis et laudibus.

(Continuabitur) Doctor PETRUS PIACENZA.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

VIII.

In quadam Ecclesia extra Italiam die 26 Decembris fit de S. Archelao Ep. Titulari. Calendarium autem sequenti ratione legitur ordinatum. Die 2 Ianuarii anni sequentis fit de festo Sancti Stephani, cum eiusdem Sancti Protomartyris recurrat dies octava, et aliunde reliqui dies praecedentes sint omnes impediti. Unde fit, ut S. Stephanus perpetuo celebretur sine octava, non solum in toto, sed et in parte. Quod aliquibus abhinc annis causa querelarum fuit cuidam rei liturgicae perito: sive quia Sanctorum festa impedita reponi in sequenti anno vetitum est, sive quia pro duplici primae classis occurrente, cuius ritus est Ecclesiae

Titulus, nec semiduplex, nec duplex minus sunt dies impediti vi Decretorum, quando usque ad finem anni alius pro repositione locus non superest. At non ideo Episcopus potestatem facit componendi negotium; quia, inquit, dies festus et dies octava, quae festi continuatio est, pro uno eodemque haberi possunt: adeo ut si octava recoli potest insequenti anno, possit et dies festus eodem iure celebrari. Quod si octavae nulla dies celebretur, ideo fit, quia id Rubricae in casu prohibent.

Quaeritur:

1. *Quaenam lex generalis pro festis impeditis seu transferendis seu reponendis? Num, et quae dentur exceptiones? Et utrum in his comprehendatur festum octava gaudens?*

2. *Quid generaliter agendum, si dies vacui non supersint usque ad finem anni pro transferendis festis, multiplici eorumdem festorum ritu inspecto?*

3. *Quid iudicandum in casu, prouti expositum est, perpensis momentis hinc inde allatis?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Gustavi Corradi de alumnis almi Collegii Capranicensis, habita in Ecclesia Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 16 Maii 1894: acta Epitoma per Rmum Dom. Dom. Aloisium Orestem Canon. Borgia.

I. Quaeritur primo, quaenam generales sint leges, iuxta quas transferri festa impedita debent, utrum aliquae super his legibus exceptiones extent, et num has inter exceptiones festum octava gaudens sit recensendum?

Cum duo festa in eumdem incidunt diem, quaecumque ponatur esse facti causa, liturgice dicitur,

dicta duo festa inter se occurrere. Huiusce autem occursus causa esse potest duplicis generis, aut nempe accidentalis aut perpetua, secundum quod vel alterum ex duobus festis est mobile, alterum fixum; vel utrumque fixum aut mobile. Cum autem impossibile sit, ut duo festa eadem die occurrentia cum integro celebrentur officio; necesse est, ut alterutrum aut per solam commemorationem recolatur, aut penitus omittatur, aut in aliam diem transferatur. Huiusmodi vero translatio repositioni (1) necessarium dat locum, quae, si accidentalis est, simpliciter translatio, si perpetua, assignatio nuncupatur. Translatio namque et assignatio idem non sonant, uti Guyetus docet; quod, licet utraque sit amotio festi a die sua, differunt nihilominus in eo, quod illa sit occupatio alterius sedis ad annum, ista vero in perpetuum.

Rubricae Breviarii Romani regulas subministrant potissimas, secundum quas festa aut officia transferri debent: quae regulae eaedem hucusque fuerunt pro translatione tam accidentali quam perpetua. Rubricis vero mutatis, aliqua etiam invecta est mutatio quod praesens negotium spectat, quod in huius expositione materiae negligendum non erit.

In quavis translatione duo considerari possunt termini, *a quo*, et *ad quem :* sedes, inquam, a qua festum amovetur, et sedes, ad quam amotum festum procedit, et in qua reponitur. In illa perpendi po-

---

(1) Repositioni ambiguum, seu duplicem tribuimus sensum, videlicet translationem seu per accidens seu perpetuam, de quo facultatem nobis facit Decretum de festis primariis et secundariis, quod eumdem duplicem sensum repositioni tribuit.

test, an alicui festo conveniat ut transferatur et alibi reponatur, seu quale ex duobus festis in unam incidentibus diem sit transferendum. In hac duo perpendenda sunt, natura videlicet dicti termini, et solemnitas liturgica, qua recolendum erit festum in illo repositum. Eapropter propositis in prima quaestione dubiis facere satis iudicamus, quatuor respondendo sequentibus interrogationibus:

a) Potest ne quodcumque officium transferri aliaque die reponi, si cum alio occurrat?

b) Duobus officiis, quae transferri possunt, perpetuo translatis, utrum sua in sede remanebit, utrum transferetur? Et si unum tantum transferri potest, semper ne erit transferendum?

c) Quanam die reponetur festum, quod ob occurrentiam cum alio est transferendum?

d) Quanam liturgica solemnitate festum repositum erit celebrandum?

a) Ut primae respondeamus petitioni, perpendenda ante omnia est Rubrica Gen. Tit. X *De Translatione,* ex qua inter translationem et assignationem manifestum discrimen arguitur. Ait namque *(num. 1 sub fin.)*: « Festa.... duplicia minora, exceptis illis Sanctorum Ecclesiae Doctorum, si occursu Dominicae, vel maioris festi seu officii quomodocumque impediantur, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus commemoratio, et legitur nona lectio historica ad Matutinum, si tamen haec eo die fieri possint; secus huiusmodi festa Duplicia minora *eo anno* penitus omittuntur ». Ubi neminem fugit, hic agi de translatione per accidens, quae ad annum perdurat. Sed vero eadem Rubrica ab initio plura enumerat festa, non solum

mobilia, sed etiam fixa, in quibus nullum aliud occurrens festum agi permittitur. Quid ergo, vi Rubricae, agendum, si praefatis diebus quodcumque festum occurreret, nisi ad perpetuam translationem devenire? Atque ita factum esse ubique locorum comperimus de festis occurrentibus die 8 Decembris, die 19 Martii, et nunc faciendum indubie erit die 25 eiusdem mensis Martii, postquam haec festa inter solemniora universalis Ecclesiae recensita fuere. Ad quorum exemplum quamplures, succrescentibus locorum festis, Sanctorum solemnitates crebro in calendariis particularibus, cum aliis occurrentes, perpetuo transferuntur.

Hoc inter accidentalem et perpetuam translationem praemisso discrimine, propositae petitioni respondeamus. Festivitates in tres dispescuntur series, quarum prima eas comprehendit, quae transferri nec possunt nec debent. Sunt autem festa omnia de tempore, quae cum anno ecclesiastico, cuius basem constituunt, relationem habent, et quibus coordinantur reliquae liturgicae festivitates: ut proinde sedem mutare nequeant, quin tota Liturgia inordinationem gravissimam patiatur. Altera series illa festa complectitur, quae transferri per se possunt, sed non debent ex Rubricarum dispositione. Sunt autem omnia duplicia minora, quae ad Doctores Ecclesiae pertinent exceptis, et semiduplicia, quibus addi possunt etiam festa simplicia, nec non illa localia festa, non tamen patronorum, quae Dominicis aut feriis affixa sunt. Siquidem haec festa omnia, si accidentaliter impediantur, aut commemorantur, si de duplicibus minoribus, semiduplicibus, et simplicibus agatur,

aut secus penitus omittuntur, uti de praefatis comprobari potest, et semper comprobatur de festis particularibus, quae Dominicis aut feriis sunt affixa, impedita enim, quin commemorentur, penitus omittuntur. Series tertia alia continet festa, quae transferri possunt et debent iuxta Rubricas, et quae in duplici praefata serie non comprehenduntur.

Hac in regula, nonnisi una datur exceptio, pro Ss. nempe Sociis alicuius Patroni vel Tituli: quos etsi duplici minori ritu ditatos, exceptis Ecclesiae Doctoribus si extare possent, vel etiam semiduplici, neque commemorari, neque transferri statutum est in reformatis Rubricis, quamvis non de accidentali, sed de perpetua agatur occurrentia. *(Notand. post occurr. tabellam)*. Quod tamen in novis locorum Calendariis reformandis servandum erit; non vero in antiquis, in quibus dicti Socii in possessione festi non sunt exturbandi.

b) Ad alteram pergentes interrogationem, seu quodnam ex duobus, quae possunt transferri, festis, transferendum est, et num semper haec translatio locum habere queat, animadvertimus primo, utramque interrogationis partem divisim fas esse ut perpendamus, cum officia dentur, ut diximus, quae amoveri e loco suo nequeunt. Sit ergo primum de casu, quo alterum ex officiis occurrentibus amoveri non possit. Nonnulli ex his quodcumque aliud excludunt officium, prouti officiorum de tempore privilegium aut ritus solemnitas exigit. Eiusmodi sunt 1. Dominicae omnes primae classis: 2. Omnes solemnitates maximae totius Ecclesiae: ex quibus nihilominus si alia cum alia occurrat, uti S. Ioannes Baptista cum Corpore Christi, minus digna trans-

fertur. Quod si solemnitas aliqua cum praefatis occurrat Dominicis, ad aliam diem remittitur. Notandum autem, quasdam ex dictis solemnitatibus, quamvis non ritus maximi, nihilominus aliis praefati ritus aequiparari, uti Circumcisio, quae octava est Nativitatis Domini, et SS. Trinitas, quae in Dominica 1. classis recolitur, cum tamen duplicia sint secundae classis. Idem dicas de Dominica in Albis, octava Paschae, licet dup. minus. 3. Nonnullae feriae, uti vigiliae Nativitatis Domini, et Pentecostes, feria IV Cinerum, feriae omnes hebdomadae maioris, et dies singuli infra octavas Paschae et Pentecostes. Festa itaque quaecumque praefatis diebus occurrentia, si transferri possint, transferuntur.

Nonnulla vero alia ex iis, quae amoveri a die sua nequeunt, haud semper fieri possunt, uti sunt Dominicae 2. classis, quando videlicet cum iis occurrit festum aliquod duplex 1. classis; tunc enim hoc recolitur, Dominica tamen transferri non potest nec debet, sed tantum commemorari. Alia officia de tempore, si cum aliis officiis occurrant, pariter non transferuntur, sed omittuntur.

Alteram nunc expendentes partem, quae respicit duo occurrentia officia, quae translationem admittunt, uti sunt reliqua in superius enumeratis non comprehensa, respondemus, satis ex Rubricis ac Decretis patescere, quid in eorum occurrentia sit agendum. Si enim, primo, inaequali ritu gaudeant, quod potioris est celebratur, alterum transfertur. Si aequalis ritus sunt, et alterum primarium, secundarium alterum, quod est primarium celebratur, et secundarium transfertur, etiam dignitate personali posthabita, primarii enim ratio

illud dignius prae altero reddit iuxta Rubricas. In aequalitate ritus et primarii aut secundarii rationis, dignius recolitur dignitate personali, si adsit, quam Rubricae statuunt *(Tit. XI, n. 1 et alib.)*. Hac etiam dignitate deficiente, proprius festum prae minus proprio, aut magis particulare prae minus particulari celebrandum, aliud transferendum.

c) Transitum nunc agamus ad alium translationis terminum, et videamus qualis esse debeat. Rubricae pluries eum determinant sic se exprimentes: « transfertur *(officium impeditum)* in primam diem festo duplici vel semiduplici non impeditam *(Tit. X, n.* 1, *2, 3)*. » Super hoc tria breviori calamo animadvertenda sunt: 1. Rubricae sensus, 2. limites, 3. exceptiones. Quod primum spectat, notandum per semiduplicia, non omnia esse intelligenda; non enim in illis comprehenduntur dies infra octavam, nisi haec peculiari privilegio fruatur. Quoad alterum advertas, dies liberos non posse vertentis anni limites praetergredi, quamvis antiquitus aliter fieret. Annus autem iuxta Decreta intelligendum est, nempe iuxta civilem computationem. Quod attinet ad tertium indubie tenendum, nonnullas dari exceptiones, quas ipsae Rubricae statuunt. Hinc festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae a SS. Christi Corpore impeditum reponitur die sequenti, nisi fieri in hoc debeat de alio eiusdem ritus festo primario, tunc enim in primam ab eodem liberam transferendum est. Eadem de Purificationis festo, proportione facta, habetur exceptio: de Annuntiatione pariter, quae si in Dominica Passionis occurrat, reponenda, uti S. Ioannes Baptista, in primam diem insequentem, eodem modo ac supra dictum est non impe-

ditam: si vero in Dominica Palmarum aut in aliis sequentibus diebus usque ad inclusivam Dominicam in Albis occurrat, transfertur in feriam II post dictam Dominicam, similiter, uti superius dictum est, non impeditam. Si denique in feriam VI, aut in Sabbatum Sanctum incidat, transfertur in eamdem feriam II cum tota solemnitate ac feriatione, sine octava tamen, quocumque alio festo ad aliam diem amandato. Similem exceptionem Rubricae habent pro festo SS. Cordis Iesu, quod tamen die sua impeditum die sequenti reponitur, dummodo in eo festum aliud primarium eiusdem ritus non habeatur, quo in casu reponitur in aliam sequentem diem similiter non impeditam (1). Minoris gravitatis exceptiones respiciunt festa SS. Nominis Iesu, Deiparae a Doloribus dictae, et SS. Christi Sanguinis, uti in Rubricis peculiaribus Breviarii legere est.

Quaestio hic fieri potest, utrum eadem exceptio comprehendere nec ne possit alia duplicia primae classis, et maxime potiora locorum, uti Dedicationem, Patronum, Titulum, vel etiam Ss. Religionum Institutores pro relativis Familiis. Equidem, si ab exceptionibus mox relatis argumentari velimus, iure concludi posset pro affirmativa sententia, saltem cum agitur de translatione perpetua. Nihilominus, cum Rubricae de dictis festis solemnioribus verba faciant, et de privilegio sileant;

---

(1) Haec diximus constare ex Rubricis, nec lectores mirentur; Decretorum enim ad rem dispositio inserenda certo est in dictis Rubricis, nisi fortasse in ipsa nova Breviarii editione, quae quamprimum a S. R. Cõgnis Typographo evulgabitur, palam fiet.

arbitramur, privilegium quo nonnulla festa decorata fuere, extendi ad alia secure non posse. Legi enim positivae standum potius, quae illa tantum quae voluit festa excepit, haud vero argumentationi, quae vim legis habere nequit. Hinc, quamvis e Guyeti aliorumve auctoritate, imo et ex Rubricarum spiritu, argumenta hauriri possint, ut exceptio huiusmodi ad dicta festa extendatur; in praxi nihilominus necesse erit Tribunal Sacrorum Rituum adire quoties praefatae solemnitates impediantur, nisi generalis regula applicari velit.

d) Denique ut ultimae interrogationi faciamus satis, ac simul primo quaesito absolutum demus responsum, animadvertendum, solemnitatem liturgicam, qua translatum festum celebrari debet, eamdem prorsus esse ac illam, qua celebratum propria die fuisset, modo pro dicta solemnitate ritum intelligas. Quod reliquum attinet solemnitatis, aut in externa pompa consistit, et tunc eam servare, vel non, liberum est, de ea enim non loquuntur Rubricae. Si nihilominus non de mera ageretur translatione, sed de assignatione, de more est ut cum officio ipsamet externa solemnitas transferatur. Idem de octava dicendum, qua translatum officium gaudere non debet iuxta Rubricas (*Tit. X, n. 1*), saltem privilegio secluso: nisi infra octavam transferatur, quo in casu a die festi computantur dies, non a translata die. Cum vero transfertur festum, secum defert octavam, ita interpretante eamdem Rubricam S. R. Congñe, uti constat ex Decreto in *Tornacen.* 1 Sept. 1866.

II. Quaeritur secundo, quid agendum cum pro officiis transferendis dies liberi in anni decursu non suppetunt.

Praesenti iure liturgico inspecto, distinguendum est inter duplicia 1. et 2. classis, et inter duplicia maiora, aut minora Doctorum Ecclesiae; alia enim translationis iure destituuntur. Si itaque de duplicibus classicis agatur, ea transferenda sunt in diem proximiorem, quamvis semiduplici vel duplici, in illius defectu, impeditam; et festa praefata ad instar simplicium redigenda sunt *(Decret. Gen., 13 Mart. 1804)*, si fieri possit, secus eo anno penitus omittuntur. Si vero de aliis duplicibus agatur maioribus, vel Ecclesiae Doctorum, ea ex generali lege redigenda sunt simplicium instar, si fieri tamen possit, alioquin et ipsa sunt penitus pro eo anno omittenda.

Quid autem faciendum, si festum aliquod perpetuo impeditur, nec tamen locum in Calendario pro eo assignando suppeteret? Respondemus, hypothesim huiusmodi retroactis temporibus propemodum impossibilem, impraesenti haud difficilem, imo pluries comprobatam, nusquam in Rubricis fieri, proindeque talem casum non esse praevisum, neque eidem provisum. Sed certe tenendum, S. R. Congni non esse propositum, ut duplicia aut etiam semiduplicia, perpetuo redigantur ad ritum simplicem, et a fortiori ut a Calendariis expungantur, ut locus detur festis potioribus, etsi ritus classici. Aliunde, sicuti nulli privatae auctoritati licet nova in Calendariis festa addere, ita nec licebit festa duplicia et semiduplicia ex iisdem expungere, vel etiam ad instar simplicium perpetuo redigere. Quid inde? Hoc unum, ni fallimur, consilium amplectendum, S. R. Tribunal adire, ab eoque quomodo se gerendum humiliter petere. Si Rubricae Breviarii Romani, semper posticipationem festorum, quae

fuerint impedita, praedicantes, aliquo saltem in casu anticipationem admitterent, facilis solutionis quaestio foret. At, licet in aliquibus Ecclesiis exteris, uti de Parisiensi testatur Guyetus *(Lib. IV, cap. VIII, quaest. 4)*, hic usus aliquando viguerit, in Romana nihilominus Ecclesia, ut praefatus se exprimit auctor, est plane incognitus. Nonnisi proinde modus unus superest rei componendae, quem superius exposuimus; eoque magis, quod eadem S. R. C. in una *Ord. Min. S. Francisci,* iam in simili casu indulsit, ut S. Silvestri Pontificis festum die 31 Dec. perpetuo impeditum anticiparetur die 30 eiusdem mensis *(9 Maii 1884)*.

III. Tertio tandem quaeritur, quid iudicandum in casu, allatis hinc inde rationibus expensis.

Casus profecto singularis: Dies 26 Dec. fit de S. Archelao, utpote Ecclesiae Titulari, et die 2 Ianuarii faciendum praescribitur de festo S. Stephani, qua agendum esset de eius die octava: en casus summa. Iam nunc die 26 Dec. assignatum iure fuisse S. Archelaum concedi potest, agitur enim de Titulo Ecclesiae; atque ita in favorem Dedicationis Ecclesiae similem casum Gavantus resolvit *(Sect. 6, cap. 7, n. 11)*. Quid autem censendum de S. Stephano, die 2 Ianuarii reposito? Peritum, qui de hac dispositione conquestus est, iure id fecisse arbitramur. Nam, seposita ratione prima quam affert, et mox perpendemus, altera profecto spernenda non est; dies enim 29 mensis non est impedita pro duplici 1. classis, sicuti nec dies 31, in quibus de semiduplici et de duplici agitur. Optime ergo die 29 festum S. Stephani assignari poterat, neque integram amisisset octavam. Quid vero tunc de S. Thoma, qui e Calen-

dario expungendus fuisset? S. R. Tribunal erat consulendum, quod fortasse eiusmodi anticipasset festum. Rationem vero primam a perito allatam negligendam credimus; quia etsi generaliter festa impedita anni confinia praetergredi non debeant, festa infra Nativitatem Domini, S. Stephani, S. Ioannis Apost. et Ss. Innocentium, uti patet, exceptionem efformant. Sane, nonne octava festi continuatio est; ergo horum Sanctorum festa exceptionem constituunt, cum etiam in sequentem annum celebrentur. Porro si dies octava est complementum festi, non intelligitur quare in illa ipsum festum celebrari nequeat. Sed alia attenta ratione, Episcopi agendi modus non videtur probandus.

Hisce haud obstantibus, nexu perpenso, quem dicta 2. classis duplicia cum Nativitate habent, prudentius egisset R̃mus Ordinarius, si S. R. Tribunal consuluisset. Agitur enim de festis, quae licet duplicia 2. classis, solemnius, et cum Nativitate connexa, in toto orbe recoluntur: ut fortasse S. Congtio consultius iudicasset diem pro S. Archelao anticipando mutare, potiusquam tantopere digna festa infra Nativitatem Domini occurrentia e die sua amovere. Cum itaque fuisset necessarium Auctoritatem consulere, longe etiam melius fuisset eidem totum casum exponere, ad eiusque normam Calendarium perpetuum ordinare.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

Nota. Ante solutionem Dubiorum animadvertimus, in 5 Ephemeridum numero vertentis anni, adnotationes agentes super Decreto in *Romana* ad Dub. 4 (*pag. 268*), nos censura notasse A Carpo, quod doceret, in 2. Vesperis duplicis secundae cl. occurrentis in feria VI post octavam Ascensionis, nihil debere fieri de hac feria. Alter ex PP. Franciscalibus in Hollandia degens de hoc conqueritur, quia loco citato cl. A Carpo relata quidem a nobis verba habet, sed ea referuntur ad *Laudes,* non ad *Vesperas.*

Veritatem super omnia diligentes, animadversionis aequitatem admittimus; cum nihilominus nihil in decursu citati numeri auctor amplius dicat de eodem duplici II classis, et de duplici I cl. agat explicite quod attinet secundas Vesperas, conveniendum est, facile illius tam absolutum loquendi modum inducere in errorem posse. Quidquid vero sit, re penitius perpensa, concedimus illum non continere manifestum errorem, nec apertam Decreto in *Romana* oppositionem.

I. *E Dioecesi Lavallensi.* **De numero Pluvialistarum in festo Annuntiationis.** Quaeritur: Utrum in festo Annuntiationis, ad ritum dupl. I cl. elevato, sex pluvialistae in Vesperis habendi sint, sicut in aliis Vesperis solemnibus?

Resp. Notum ponimus in festis solemnioribus, quae in Caeremoniali Episcoporum (*Lib. II, cap. III, n. 16*) recensentur, sex ministros requiri in Vesperis solemnibus, quae in Cathedralibus Collegiatisque Ecclesiis celebrantur, pluvialibus indutos. Quod tamen intelligen-

dum proportione habita ad numerum, seu Canonicorum seu Beneficiatorum in dictis Ecclesiis existentium. Constat autem ex eodem mox citato loco, in quo distinguitur inter festa solemniora et minus solemnia: in illis autem sex exigit Caeremoniale, in istis vero tantum quatuor pluvialia. His praemissis, nemini dubitandum, sex pluvialistas habendos esse in dictis Vesperis festi Annuntiationis, post eius ad ritum dup. I classis evectionem. Quia in festis omnibus solemnioribus universalis Ecclesiae, quae cum feriatione recoluntur, vel saltem cum iure ad illam, nec non in tribus festis solemnioribus localibus lex Caeremonialis eiusmodi praescribit pluvialistarum numerum. Atqui ex Decreto, quod ab initio huiusce numeri retulimus abunde patet, festum Annuntiationis Deiparae, iam ad ritum I cl. evectum, omnibus gaudere iuribus, quibus alia fruuntur solemniora festa universalis Ecclesiae. Ergo. Hinc vides, festum S. Ioseph Sponsi Deiparae, deinde etiam Immaculatae, statim ac evecta fuerunt ad praefatum ritum, recensita quoque fuisse inter alia solemniora, pro quibus sex pluvialistas lex requirit; idem ergo indubie fiet in novis editionibus Caeremonialis Episcoporum pro festo Annuntiationis.

II. *Ex eodem loco.* **De Missa exequiali in praedicto festo vetita.** An adhuc permissa in Annuntiatione Missa de requie praesente cadavere, an vero prohibita?

Resp. Ob eamdem superius allatam rationem Missa exequialis, etsi cadavere praesente, prohibita dicenda est in die solemni Annuntiationis, uti etiam pro S. Ioseph et pro Immaculata factum fuit. Notandum immo, eam esse quoque vetitam, quando dictum festum cum feriatione transfertur; tunc enim, uti ex Decreto constat, omnibus omnino iuribus et privilegiis fruitur, uti

die 25 Martii. Hoc enim in casu feria II post Dom. in Albis non est dies tamquam propria, sed vere propria, nec plus nec minus sicut 25 dicti mensis. Optime tamen Missa exequialis die translata cantari potest, quando Annuntiatio transfertur tantummodo quoad officium.

III. *E Dioecesi Friburgensi.* **De sonitu campanarum Ecclesiae in funere acatholicorum.** Cum aliquis ex Protestantibus hic decedit, consuetudo viget ut templorum catholicorum campanae pro eorum funere pulsentur. Recte ne?

Resp. Non possumus, quin negative prorsus respondeamus: ut non usus sed abusus et corruptela appellari debeat. 1. Certum est, campanas Ecclesiarum pro usu tantum posse adhiberi, quem Glossa indicat in duobus notis exametris: " Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum: *Defunctos ploro,* pestem fugo, festa decoro ". Idque constat ex S. C. Episc. et Regul. 31 Ian. et 18 Mart. 1581, et 29 Iul. 1616. At quos potest campana Ecclesiae benedicta defunctos plorare, nisi eos, qui in communione Ecclesiae catholicae decedunt, quos eadem pia mater Ecclesia suis suffragiis sublevat? Etenim quid ad nos de iis, qui foris sunt? 2. Peculiaris si expenditur casus, de quo in dubio, ad eamdem, et a fortiori, conclusionem ducimur. Et sane inspice finem huiusce sonitus, et non alium reperies, nisi fidelium convocationem ad Ecclesiam, vel saltem ut ad Deum illi assurgant ubi versantur, et moveantur ad preces pro defuncto fundendas. Verum, licet ne fidelibus aut in acatholicorum templa, uti in nostra, ingredi, aut pro iisdem acatholicis publicas preces fundere? Private quidem pro iis orare licet, de quibus asseri nequit certa damnatio; at publicum sonitum pro publicis vel etiam pro privatis precibus indicere in suffragium animae defuncti

acatholici, hoc probari nequit, cum quamdam cum acatholicis in rebus sacris participationem sonet. Certe campanarum Ecclesiae sonitus in casu est actus, qui, remote licet, cultum publicum respicit, quatenus illum pro fine habet, adeo ut, indirecte saltem, pro anima defuncti in statu salutis constituti rationem communis suffragii habeat. Absonum ergo est in illo cum acatholicis convenire: ne fideles invitari videantur, vel ad Ecclesiam petendam oraturi pro Protestantibus, vel ad preces pro iis fundendas, ut lucem et requiem aeternam possideant, quibus, vi eorum conditionis extra Ecclesiam catholicam, non sunt capaces.

3. Ex dictis sequitur, praefatam corruptelam esse omnino extirpandam, cum facile in errorem induci simplices fideles possint, quasi etiam extra Ecclesiam catholicam adesset salus. At indubia veritas est, in sola Christi Ecclesia patere viam salutis, extra quam infeliciter incedit, qui ab illa defecit: ut extra Ecclesiam catholicam, per se saltem, nulla sit spes salutis aeternae.

IV. *E Dioecesi Briocensi.* **De quodam Decreto super Titularium festis, in Collectione Decretorum non inserto.** Exponit adm. Rev. consulens, anno 1883 vulgatum fuisse Decretum S. R. Congr., quo edicebatur, festum Titularis Ecclesiae Cathedralis celebrandum esse in tota dioecesi sub ritu dup. I classis, a clero saeculari cum octava, a regulari sine octava. Verum huiusmodi Decretum cum in Collectione Gardelliniana non fuerit insertum, quaeritur, quid in praxi agendum sit.

Resp. Ratio, certo certius, ob quam dictum Decretum in Collectione non fuit insertum, est, quia Dubium inter alia continebat de festis primariis et secundariis, super quo S. Tribunal, vel *Dilata* ut plurimum respondebat ante notam solutionem quae-

stionis, vel casum particularem resolvens, principium renuebat admittere, publicique iuris reddere: ita saltem nos credimus. Quidquid ceterum sit de praefato Decreto, certum impraesentiarum est Titulum Ecclesiae Cathedralis recolendum esse ab universo Clero Dioecesis sub ritu dup. I classis, a saeculari cum octava, a regulari sine octava; et Decreta, quae antiquius aliter disponebant, tamquam revocata nulliusque roboris censenda esse. Utrum autem hoc festum habendum sit pro omnibus primarium, vel tantum in civitate Episcopali, extra vero secundarium, maxime a Regularibus, hoc non constat, et eadem est quaestio ac alia de Dedicatione Ecclesiae Cathedralis extra civitatem Episcopalem. At pro praxi quaestio vix alicuius est momenti; si enim habeatur aliud festum magis proprium, indubium est, uti alias diximus, festum Tituli Ecclesiae Cathedralis, sicuti eiusdem Dedicationis anniversarium, iudicari posse, extra civitatem Episcopalem, uti secundarium, etsi admitti velit, eiusmodi per se non esse. Ita re se habente, hac de ratione gerere se poterunt Calendariorum redactores.

V. *E Montepolitiano.* **De quadam concurrentia in Calendarii specimine.** Die 10 Febr. specimen Calendarii pro anno 1896, in Ephemeridibus exhibito, ponit: " *aliquib. locis* Vesperas de Passione, com. praec. (*S. Scolasticae dup.*), ac Sept. Fundat (dup.). „ At cum prima com. debeat esse de officio concurrente, nonne sequitur commemorandos esse primo Ss. Fundatores, et deinde S. Scholasticam?

Resp. Ut verum fateamur, festum subsequens Ss. Fundatorum concurrit quidem, sed non minus concurrit S. Scholastica, ut nisi faciendum esset de Passione, Vesperas ambo inter se dividerent. Ergo huiusmodi dispositio non opponitur Decreto " Comme-

morationum in Vesperis „. Arbitramur nihilominus, primam commemorationem post Vesperas de Passione, esse debere ut Rmus consulens iudicat, non quia festum Ss. Fundatorum concurrit, cum haec ratio aeque valeat pro S. Scholastica, sed quia primae Vesperae nobiliores sunt secundis. Hinc paria cum sint duo concurrentia festa, com. quae stat pro primis Vesperis praecedentiam habere debet super commemoratione, quae stat pro secundis.

VI. *E Castro Palatii Forosempron. Dioecesis.* **De extensione Patronatus Virginis Lauretanae.** Virgo Lauretana per Decretum 23 Iul. 1893, declaratur et constituitur *caelestis totius Piceni Patrona,* et praecipitur ut ibidem recolatur sub ritu dup. I cl. cum octava. Quaeritur: 1. Illis in locis, geographice ad Picenum pertinentibus, quae tamen regionis alterius Episcopo subsunt, uti ex. gr. Vicariatus Saxiferrati, qui Nuceriae Episcopo subest, quomodo hoc festum celebrari debeat? 2. Quid de Clero regulari dicendum? Tenetur ne et ipse ad dictum festum recolendum sub praefato ritu, an potius uti antea?

Resp. 1. Pro Piceno intelligitur pars illa centralis Italiae, quae in varias olim repartiebatur provincias, uti in Anconitanam nempe, Asculanam, Maceratensem, Firmanam *etc.* Haec autem, licet impraesenti ex iisdem numero provinciis amplius non constituatur, nihilominus ad Picenum eas omnes adhuc pertinere indubium est. Nunc autem Saxumferratum, iuxta quod adm. Rev. consulens exponit, quamvis ad aliam regionem pertineat, nempe ad Umbriam, intra Picenum tamen continetur, eiusque partem constituit. Si ergo Virgo Lauretana *totius Piceni* constituta est Patrona, profecto uti talem et Vicariatus Saxiferrati eam celebrare tenetur. Praeterea Saxumferratum est Castellum, quod Pontificibus

rem propriam pacifice tenentibus, ad Maceratensem delegationem pertinebat, uti Tolentinum, Septempeda etc.. Fuisse autem et adhuc esse Maceratam Piceni partem dubitari non potest; neque ergo dubitandum et Saxumferratum ad Picenum vere pertinere. Nuceria vero, non ad Maceratensem sed ad Perusinam Delegationem pertinuit; hoc nihilominus considerandum non est in casu, sicuti neque alia regio, et diversa episcopalis iurisdictio. Plures enim Episcopatus Picenum possidet, quod tamen efficere non valet, ut pars territorii uni Episcopo vel alteri subiecta, esse cesset Piceni pars. Ceterum si insignes latrones iura communis Patris usurparunt, et mutationem aliquam in terras praefatas induxerunt, quid ad nos? Et multo minus, quid ad Pontificem, qui totum Picenum tanta Patrona ditavit? Credimus itaque etiam Saxiferrati Lauretanam Virginem esse Patronam, ut et ipsum ad Lauretanam Virginem uti Patronam recolendam teneatur.

Resp. 2. Patronus, de quo agitur, est generalis, non particularis. Regulares autem ad plures recolendos patronos particulares teneri, modo aeque principales sint, certum est ex Decretis. At num idem dici potest de generalibus? Res non satis clarescit. Decretum *Calagurritana* d. d. 26 Mart. 1757 ad 4 declarat, oppida particularia dioecesis, sive habeant, sive non, proprium Patronum particularem, non teneri ad festum Patroni provinciae, in qua existunt. Adde, in casu relato agi de clero et populo in genere, sed casus noster respicit peculiariter Regulares, et argumentum crescit, ob festum S. Institutoris, quod Regulares celebrant. Praeterea Decretum concessionis plane silet, uti adm. Rev. consulens animadvertit, de Clero regulari, quod aliam praestat dubitandi rationem. Hinc

videtur onus Regulari Clero de dicto celebrando festo, quod recolendum esset ipsis sub ritu dup. I cl. sine octava, non posse imponi: hoc salvo meliori iudicio.

VII. *E Curenna.* **De Indulto Missae solemnis festi, alia die recolendi, non includente privatas.** Indultum concessum nobis est Missam solemnem faciendi de S. Calocero Dominica quarta Augusti, quamquam illius occurrat festum die 18 Aprilis. Cumque haec concessio privatas Missas non excludat, eas videtur includere: quid?

Resp. Negative; indulta enim non plus concedunt quam contineant; et cum nonnisi Missam solemnem contineant, iam patet extendi illud non posse etiam ad privatas. Ut autem adm. Rev. consulens hoc sibi persuasum habeat, animadvertat, S. R. Tribunal formulas determinatas habere pro concessionibus id genus; et aliquas solius Indultum solemnioris Missae respicere, aliquas vero etiam privatarum. Illa sub hac conditione indulgetur, ut non occurrat dup. I classis: istae vero sub conditione, ut non occurrat dup. II classis. Cum autem quaesitum ponat, Indultum solam Missam solemniorem permittere, dummodo dup. I classis non occurrat, liquido profluit, illud privatas Missas non permittere, quamvis occurrere duplex possit non classicum. Praeterea notandum, si Dominica IV Augusti occurrat festum semiduplex, neque dictas privatas Missas celebrari posse; quia de illo non potest fieri, sed de Dominica, quae, licet semiduplicis ritus, Missas votivas, sine peculiari Indulto, excludit. Neque obstat, si Indultum non excludit explicite praefatas votivas Missas lectas, sed sufficit, ut unicam solemniorem concedat. Quia, si quod maius est, minus includit, nunquam quod est minus, plus includere valet. Porro maius privilegium est privatarum Missarum concessio, quam solemnioris tantum, uti patet.

MONITUM.

Expetiti sumus, ut tabellam conficiamus Calendariis praemittendam, quae indicet dies, quibus prohibentur Missae seu privatae seu solemnes votivae aut pro defunctis, etc. etc. Quae namque in pluribus Calendariis legitur, vel non est completa, vel recentioribus S. R. Congr. dispositionibus apprime non respondet. In sequenti Ephemeridum numero petitioni faciemus perlibenter satis, interim eos, quorum interest, exorantes, ut velint ea uti, quae in Calendarii Cleri Romani inscribitur, alias a nobis revisa.

SUPER ORDINATIONE PRO MUSICA SACRA

COMMENTARIA

(*Continuat. V. n. 7 pag. 434*).

29. At denique rythmi defectus non potest quin deploretur in modulationibus Mediceae editionis. Verum ne? Liceat breviori calamo negotium perpendere; multa enim dicta sunt, quae, esto bona fide, minus veritati conformia censeri iure possunt. Quid rythmus, nisi partium, quae concinendae sunt, aequa proportio? Atqui eiusmodi proportionem in Mediceae editionis modu-

lationibus deficere non satis est asserere, sed probandum esset, quod adhuc faciendum superest. Equidem si rythmi naturam modulationum prolixitas constitueret, levis difficultatis foret asserti probatio; sed a veritate id esse prorsus alienum nemo non videt. Si Editio autem Medicaea cantus contraxit, tanta peritia et sapientia id egisset, ut rythmum in unoquoque servaverit; et contrarium nondum ostensum fuit. Neque rythmum liturgicum exacta mensura constituit, uti verborum, ita notarum earumdemque coniunctionum: quod si esset, in ipsa, qui Gregorianus antiquus cantus dicitur, rythmus deficeret. Aequa vero, sicut in verbis, ita in notis notarumque coniunctionibus proportio, manifeste in editione authentica apparet, vel oppositum adversarii demonstrent. Quinimo utraque editione inter se comparata, id discriminis reperitur, quod Medicaea generaliter proportionem non solum inter cantum et cantum exhibeat, sed et inter syllabas, verba et relativum cantum, quae in altera Dom Pothier saepius deficit. Pluries enim in ista haud cantus esse videtur ad verbi significationem exprimendam adhibitus, sed potius verba adhibita ad exprimendum cantum: quod inversionem ordinis sapit. Hinc rythmus servatur quidem in modulatione, sed cum saepe a verbis haec abstrahat, quibus relationem non dicit, aequam proportionem non servat. Ex. gr. in Offertorio festi Septem Dolorum Deiparae paenultima duo verba habentur, *a nobis;* et super praepositione *a* leguntur plura neumata, in quorum ambitu plusquam triginta notae concluduntur. Cantus ne efformatus ad exprimendum *a,* an potius *a* accepta ad significandum cantum? Quae-

nam autem proportio, duobus his verbis eorumque significatione perpensis? Verbum *mirabilia* in Graduali de festo Ss. Redemptoris inscriptas habet notas duas super prima syllaba *mi,* circiter viginti super secunda *ra,* quae in plura neumata cum pausa dispertiuntur, sex super *bi,* duas super *li* etc. Aequa ne proportio? In *alleluia* ad Offertorium feriae V post Pascha leguntur plusquam triginta notae super syllaba *le,* dum epiphono tantum gaudet prima *a,* tres super *lu,* etc. Num et huiusmodi aequa proportio? Verbo *aperis* in Graduali de festo Corporis Christi, una est nota in prima syllaba *a,* octo et triginta super citam *pe,* duae super ultimam *ris.* Quid de hac proportione censendum? Atque ita de aliis plurimis. In editione vero Medicaea contractae modulationes ita fuissent dispositae, ut quod cl. Haberl deplorat in antiquis, omnino vitatum in ista incommodum fuerit (1).

Num ita rythmus modulationis intelligendus, ut veluti mechanica ars in quodam plus minusve determinato notarum numero consistat, cuicumque superposito syllabae, nulla ad syllabarum verborumque qualitatem et significationem relatione habita? Ita illum quidam ex exteris videntur intelligere, qui in prolixioribus notarum coniunctionibus ac repetitionibus tantopere se placent: ut totam modulationis pulchritudinem in hoc reponant, dum á syllabis interim verbisque abstra-

(1) Quamvis Prosodia in quibusdam libris choralibus antiquis multum desiderandum relinquat, specialiter quod naturam ordinemque attinet syllabarum, etc. (*Magist. chor. Edit. 1, p. 24 in not.*).

hentes, et barbaros se ostendunt, et barbaros (1) audientes supponunt, quod utrique verborum necessario obliti, nihil de iis intelligere valeant (2).

---

(1) Editionem medicaeam a barbarismis purgare sonisque pravis cultis auribus ingratis, hoc quoque propositum Petraloisius sibi commissum habuit a Pontifice, uti ex authenticis documentis eruitur (*Epistola Petraloisii ad Mantuanum Ducem, 5 Nov. 1578*).

(2) Haec autem, uti superius exposita, quae legere continuo est in editione, quam cl. Dom Pothier vulgavit, ius tribuunt graviter dubitandi, an melodiae saltem universae in ea contentae divum Gregorium solum agnoscant auctorem, an etiam Francones, qui propriis conceptibus in melodiis antiquioribus superfetarunt. Neque mirum id esset; uti enim Gallicanis elementis immixtum novimus Sacramentarium Gregorianum in Gallia transcriptum, quod Hadrianus Papa saeculo VIII ad magnum Carolum dedit per Ioannem Abbatem Ravennatem, ita id evenire potuit quod Antiphonarium attinet Gregorianum. Nec forte a veritate alienum, modulationes in *Paleographia Musicali* per cl. Dom Pothier vulgatas illis in codicibus contineri, qui a Franconum regno per alias nationes, ac in plura peculiariter monasteria, propagati fuere. Confer quae superius (*num. 23*) breviori calamo exposuimus auctoritate Clementis VIII freti, et merito concludes, conatus dissidentium dubiis in certa transformandis satis esse impares: ut dum Editionem authenticam mutilam praedicant, hanc sibi fortasse gloriam promereantur, aliam proponendi editionem multiplici superfetatione corruptam. Quod ex alio momento vim sumit et robur. Petraloisio in codicibus adhuc desudante, ut in pristinum statum, quantum fieri posset, restituerentur, narrat historia aliam prodiisse Editionem, nempe Venetianam, typis Liechtenstein, quae Graduale complectebatur, Antiphonarium atque Hymnarium. Nunc autem Editio huiusmodi cum Medicea comparata, quae quadraginta circiter post annos vulgata fuit, et quod Graduale de tempore spectat Petraloisii cantum refert, eadem propemodum est. Mediceae Editionis cantus auctorem novimus, Venetianae vero nescimus; sed iure quaeritur, quomodonam duo auctores, alter Romae, Venetiis alter, cantui reformando addicti, Petraloisius ex commissione Pontificis, alius sponte sua, quique nullo pacto, gravissimisque de

Rythmus itaque proportionem dicere ordinemque debet non solum ad neumata, sed ad verba quoque eorumque partes, quas cantus exprimere natus est: quod in Medicaea editione, haud obstantibus contractionibus, optime refulget.

30. Hanc itaque Editionem Medicaeam, seu auctoritate seu validioribus suae naturae argumentis tantopere commendabilem, Pius Papa IX suorum praedecessorum exemplum secutus, praestantiumque virorum iudicio fretus in pretio habuit. Cumque illius exemplaria, aut usu consumpta aut iniuria temporum penuria laborarent, novam Editionem perfectioremque in lucem evulgari ex

---

causis se ad invicem intelligere poterant, fere perfecte in reformatione conveniunt? Admittendum ne, quod in Septuaginta, qui Sacra Biblia interpretati sunt, divinitus accidit? Quid ergo coniicendum? Hoc unum fortasse, reformationem cantus in eo maxime constitisse ut cantum verbis aptaretur quo melius fieri posset, et addita a profanis manibus expungerentur, quin tamen modulationes pessumdarentur, seu mutilationibus, seu variationibus aut additamentis, si aliquas vix notas excipias. Atque ita uterque auctor, quin alter de altero sciret, facillime convenire potuerunt: secus profecto negotium tamquam prodigium appareret, quod admitti nulla ratione potest. Quo posito, unde originem trahunt, quem auctorem agnoscunt aeternae tot modulationes, quas in suo Graduali cl. Dom Pothier nobis exhibet? Num a IV, vel VI saeculo? At quo id iure asseritur, si detecti paucis abhinc annis codices ad summum IX, nisi forte X saeculum, attingunt? Eas ne, uti exhibentur, omnes Magnus Gregorius elucubravit? Sed demonstratio graviter peccat, ratiocinandi vis deficit, tenebrae negotium obnubilant, lux est in votis. Sic se rebus habentibus, modulationes praefatas Roma sapienter nec probat nec improbat, contenta suis. Interim prudentia, quantum videmus, suggerere silentium debet: ne quam exteri in nos fabam cudunt, Gregorianum nempe cantum nos corrupisse, in eosdem ipsamet recudatur.

peritorum consilio constituit: quae antiquae Mediceae, quod attinet Gradualem Librum conformis esset: quod reliquas spectat partes liturgici cantus, Venetianae (1). Friderico Pustet eiusmodi onus concreditum fuit, S. R. Congñis revisioni codices universi in singulis partibus submissi, antequam cuderentur, uti ex authenticis constat documentis; et anno 1870 primus apparere cepit laborum fructus, donec brevi aliquorum decursu annorum omnes prodiere codices, integrum complectentes cantum pro omnibus ac singulis officii liturgici partibus explendis.

Pauca super dictis animadvertere fas sit. Imprimis delectus peritorum hominum in Urbe instituta fuit, quorum ingenium et musicalis peritia adeo innotuerant, ut postea Leo Papa XIII non potuerit quin per suas Litteras d. d. 6 Apr. 1885 laudibus ipsos cumularit, tanquam eruditos musicos, atque in relativa arte praeclare exercitatos. Praefatae Commissioni onus impositum eo spectabat, ut Editio Medicaea imprimeretur, illis nihilominus invectis mendis et correctionibus, quas exigere ars et scientia poterant. Operam Commissionis Leo Papa XIII, valde a se probatam dicit, diligentiamque in illa insumptam commendatione dignissimam. — Conquestus praeterimus in Editio-

(1) Magni hanc Editionem habendam esse cum Bainio iure arbitramur, eius enim cantus, nisi ex optimis, ex praestantibus certe exemplaribus correptisque acceptus est: adeo ut antiquus in illa, ac sine notabili saltem mutatione, cantus servatus fuerit (*Tom. II*, *cap. III*, *pag. 99 circa med.*).

nem Codicum Liturgicorum, Friderico Pustet prae ceteris commissam; neque arbitramur S. R. Congregationem ulla fuisse obligatione detentam, alterum typographo alteri praeferendi. Multa a multis hac super re fuere nunc vera, nunc falsa, nunc hyperbolice dicta: quidquid vero sit, hoc unum pro certo habendum, neminem posse de laeso iure conqueri, quod non possidet. Quaestiones super typographorum utilitatem vel iacturam modice nos tangunt, aliisque, non certe Ecclesiasticis, sed laicis libenter relinquimus. — Munus sibi demandatum Commissionem praetergressam fuisse vulgatum est, quod nonnullas in recentem mutationes invexit, in quibus cum antiqua Editione exemplari non convenit. Sed facile reponitur, easdem inducendi non ablatam, sed tributam facultatem fuisse peritis delectis, ut non praeter sed iuxta mandatum sibi creditum se gessisse tenendum sit. Ceterum laudes, quibus, opere absoluto, fuerunt a Pontifice exornati, abunde veritatem ostendunt, calumniam ac dicteria eliminant. — Conquestuum quoque obiectum efformant tot Pontificum Sacraeque Rituum Congñis documenta, quae plura elargiuntur Friderico Pustet privilegia pro Editione, quae Romana est, sed Ratisbonae impressa fuit. Quid nihilominus iure conquerendum vix conspicitur; cum rei natura postulaverit, ut Roma et suos codices tueretur, et typographum in tuto poneret, seu ab adversariorum aggressionibus, seu a damnis, quibus in opere suscepto se exposuerat. Quicumque ex typographis, Pustet partes velit paulisper suscipere, rei aequitatem nullo negotio fatebitur. — Quid proinde, perpensis omnibus,

sapientius, quam Summi Pontificis Pii Papae IX solertiam agnoscere, cupiditates esse reprimendas, et acquiescendum?

(*Continuabitur*). D. C.

APPENDIX.

S. ROM. ET UNIV. INQUISITIONIS

DECRETUM

Feria IV 3 Aprilis 1895.

In Suprema Congregatione Emorum ac Rmorum Patrum contra haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum non semel actum est de norma praescribenda Archiconfraternitati Romanae et Sodalitati Religiosorum Issodunensium colendi B. Virginem Dei Genitricem Mariam sub titulo *Dominae Nostrae a Sacro Corde Iesu*, et de Imaginibus ipsius B. Virginis, quae illam repraesentant expansis manibus stantem, et puerum Iesum ante illius genua item stantem. Et titulum quidem admitti posse, Imagines autem non probari et a publica veneratione removendas esse decretum est, ac tolerari tantummodo in Ecclesia Sodalium Issodunensium; inducendas vero esse, quantum fieri possit, Imagines B. Mariae Virginis Puerum Iesum in ulnis gestantis. Sperandum fuerat has Supremae Congregationis praescriptiones debita obedientia excipiendas esse, et executioni fideliter mandandas. At contra, non sine aegritudine compertum est Imagines non probatas pluribus exemplaribus iterum impressas passim evulgari, et fidelibus distribui adversus decreta et mentem huius Sacrae Congregationis: duos praeterea editos libellos, qui

inscribuntur *Chemin de la Croix du Sacré Cœur* et *Le Rosaire de Notre Dame du Sacré Cœur*; iisque libellis antiquas ab Ecclesia probatas, commendatas et quotidianum in usum maxima cum fidelium utilitate inductas pias precationes in aliam veluti faciem et figuram transformari.

Hinc Sacer Ordo summopere sollicitus de lege supplicandi, quae legi credendi respondeat, re mature perpensa, priora decreta confirmando, et quatenus opus sit, innovando, imagines, de quibus supra, iterum improbat, et fidelium venerationi ac pietati proponi vetat, et ubi toleratae fuerunt, caute prudenterque removeri, et earum loco probatas restitui praecipit.

Libellos autem supra memoratos, aliosque similes iterum improbat et proscribit ac novas precandi formulas in illis vel in eorum quolibet propositas, quominus publice recitentur prohibet, et a quovis usu publico arcendas mandat.

Abs re non erit hic in mentem revocare monitum generale adiectum decreto feriae IV diei 13 Ianuarii 1875, quod ita se habet: « Mandavit praeterea Eadem Sanctitas Sua per huius-
» modi publicationem monendos esse alios etiam scriptores,
» qui ingenia sua acuunt, super iis aliisque id genus argu-
» mentis, quae novitatem sapiunt, ac sub pietatis specie in-
» suetos cultus titulos etiam per ephemerides promovere
» student, ut ab eorum proposito desistant; ac perpendant
» periculum, quod subest pertrahendi fideles in errorem etiam
» circa Fidei dogmata, et ansam praebendi Religionis osori-
» bus ad detrahendum puritati doctrinae catholicae ac verae
» pietati ».

A Superioribus Issodunensium Sodalium sequentes ad nos datae sunt circulares litterae, iam publici iuris factae (*Annal. de Notre Dame du Sacre Cœur, Iul. 1895*), *quas et nos perlibenter evulgamus.*

« La Sacrée Congrégation du Saint-Office vient d'ordonner, par un Décret en date du 15 avril 1895, que, même pour le culte privé, toutes les reproductions devront être

désormais conformes au nouveau modèle déjà prescrit depuis 1875 pour le culte public, lequel modèle représente l'Enfant sur les bras de sa Mère. En conséquence, elle enjoint que, dans les endroits où les anciennes ont été tolérées, on les fasse disparaître, autant que possible, *avec prudence et discrétion* (1), — Issoudun excepté, — pour les remplacer par les images du nouveau type, seul approuvé pour l'Archiconfrérie universelle, et elle défend de les proposer à la vénération et à la piété des fidèles.

C'est avec autant d'empressement que de soumission que nous accueillons ces prescriptions du Saint-Siège. Aussi, à partir de ce jour, nous nous ferons un devoir de ne propager que les reproductions de la statue où l'Enfant-Jésus repose sur le bras de très-sainte Vierge.

Quelle que soit la préférence de nos Associés pour l'ancien modèle, ils devront, eux aussi, accepter sans restriction la décision de Rome. Notre-Dame du Sacré-Coeur récompensera cette obéissance aveugle à tout ce que commande le Pontife suprême. Cette décision, qui ne touche qu'à la forme de la statue, donnera un nouvel élan à notre chère dévotion qui reçoit encore par là une sanction souveraine. Cette uniformité, devenue nécessaire, règnera désormais dans l'Association, fera disparaître toute confusion dans les esprits et réjouira davantage le coeur de notre divine Mère.

Le nouveau modèle est bien connu de tous nos lecteurs. Prochainement il paraîtra, reproduit en une belle gravure, sur la couverture de nos *Annales*.

La très-sainte Vierge a pris l'Enfant Jésus sur son bras, mais ce divin Enfant est bien le même: s'il est représenté dans un âge plus tendre, son regard n'en est pas moins rempli de mansuétude et de douceur; il l'abaisse amoreusement sur les hommes; d'une main entr'ouvrant son vêtement, il montre son Coeur qui vient de s'échapper de sa

(1) Quantum fieri possit,... caute prudenterque, — dit le texte lui-même.

poitrine pour se reposer dans la main de Marie, de l'autre il indique sa Mère. A ce double geste qui ne reconnait l'idée mère, le type original? Chacun comprend l'invitation qui lui est faite d'aimer et de glorifier *Notre-Dame du Sacré-Coeur*. Aussi l'apparition de cette nouvelle image a-t-elle donné un plus grand élan à la déaotion qu'elle symbolise, et cela devait être, car cette manière de représenter *Notre-Dame du Sacré-Coeur* exprime peut-être d'une façon encore plus précise, plus forte et plus sensible, le pouvoir ineffable que Notre-Seigneur a donné à la très-sainte Vierge sur son Coeur adorable. Marie tient dans sa main le Coeur de Jésus, comme étant son bien, son trésor (1). C'est maintenant que saint Bernard peut dire avec toute son éloquence: « Qui est plus digne de parler au Coeur de Notre-Seigneur Jésus-Christ que Vous, heureuse Marie! Vous qui, dans les ardeurs d'un éternel midi, reposez avec suavité dans les embrassements les plus mystiques de votre fils très aimant... Parlez, ô Dame, parce que votre Fils écoute, et tout ce que vous demanderez, vous l'obtiendrez ».

(1) In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini. (S. Pet. Dam., Serm. I, in Nat. B. M. V.).

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1895.

ARCHAEOLOGIA SACRA

V. De Vinculis B. Petri quae Romae asservantur.

In Exquiliis salubribus ad verticem Oppii collis qui Amphitheatrum Flavium spectat (vulgo Colosseo), ac prope Thermas, quas Titus Imperator magnifice extruxerat, templum exurgit B. Petri Vinculis dicatum, tum amplitudine ac magnificentia, tum antiqua religione sane insigne ac sanctum.

Monumenta extant quod Sixtus III, sacrarum aedium eximius structor, illud excitaverit ac consacraverit, post victoriam quam in Ephesino Concilio Romana Ecclesia de haeresibus retulit. Hac de causa etiam templum S. Mariae ad Praesepe ab eo restitutum est ac opere tessellato exornatum. Id ex hac inscriptione patet olim templo divi Petri affixa

CEDE PRIVS NOMEN NOVITATI CEDE VETVSTAS
REGIA LAETANTER VOTA DICARE LIBET.
HAEC PETRI PAVLIQVE SIMVL NVNC NOMINE SIGNO
XYSTVS APOSTOLICAE SEDIS HONORE FRVENS.
VNVM QVAESO PARES VNVM DVO SVMITE MVNVS
VNVS HONOR CELEBRAT QVOS HABET VNA FIDES.
PRESBYTERI TAMEN HIC LABOR EST ET CVRA PHILIPPI
POSTQVAM EFFESI XPS VICIT VTRIQVE POLO.
PRAEMIA DISCIPVLIS MERVIT VINCENTE MAGISTRO
HANC PALMAM FIDEI RETTVLIT IPSE SENEX (1).

(1) Ex Grutero p. MCLXXIV, n° 7 et ex De-Rossi. Inscrip. Vol. II, pag. 110. In penultimo versu, *discipulis* mutetur in *di-*

Ex his porro versibus haec deducimus: 1° Cum nomen ac vetustas cedere debeant novitati, liquet aliquod ibi olim fuisse fanum, quo deiecto, regiam Sixtus aedificavit, aut saltem illud restituit vel amplificavit (1). Unde aliquo modo explicari possunt quae in Martyrologio antiquissimo Hieronymiano leguntur, scilicet: *Romae dedicatio primae Ecclesiae et a B. Petro Apostolo constructae et consecratae.* Quod etiam referunt Martyrologium Ecclesiae Occidentalis a Florentinio editum et Corbeiense, nec non Martyrologium Notkeri, saeculo IX conscriptum — 2° Templum Petro et Paulo iam fuit dicatum (2) quod deinde a Vinculis B. Petri appellatum est ob sacras illius catenas illuc inlatas — 3° Illud excitatum est etiam cura et labore Romani Praesbyteri Philippi; hic absque dubio ille censendus est, qui uti Apostolicae Sedis legatus una cum Arcadio et Proiecto Episcopis adfuit Concilio Ephesino, quique praeclare officio suo functus in conventu Patrum contra Nestorium — 4° Aedes ipsa exaedificata est in memoriam Ephesinae Synodi, eo quod

---

scipulus: aliter non est sensus. Codex Virdunensis hanc inscriptionem ponit *in occidentali parte eccles. S. Petri ad vincula*, idest supra portam ecclesiae.

(1) S. Leo Magnus de Sixto haec meminit in Sermone 82 de Machabaeis: *Duplex causa laetitiae est in qua et natalem Ecclesiae colimus et martyrum passione gaudemus... Non solum enim martyres ac martyrum matrem, sed etiam illius memoriam iusto honore veneramini qui hoc die antiquam festivitatem huius loci consecratione geminavit, magnificus quidem structor parietum, sed magnificentior aedificator animarum, ultra aevi sui terminos opera pietatis extendens* — Quae verba ad Sixtum referri confirmant etiam Papebrochius. *Analec. de reliq. SS Apost. Petr. et Paul.* § IX et Card. Tomassius *Not. ad Cap. Evang.* p. 188.

(2) Unde etiam dicta est Basilica Apostolorum. In vita Victoris III a Pandulpho Pisano conscripta legimus: *Deusdedit Praesbyteri tituli Apostolorum in Eudoxia.* Rer. Ital. Tom. III, pars I.

Christus vicerat *utrique polo*, seu in Oriente et Occidente, cum fides ab Apostolis tradita de Nestorii blasphemia triumphavit.

Veracitas autem inscriptionis relatae elucet etiam ex monumento saeculi VI in Numidia prope Thevestem nuper invento. In aede enim Principibus Apostolorum sacra, quam illic Praesbyter Probantius excitaverat, lapidi sculpi iusserat eosdem versus qui incipiunt — *Cede prius nomen* — fere iisdem verbis, quos Probantius ipse e templo S. Petri ad Vincula probabiliter exscripserat (1). Plures aedes sive memorias Principibus Apostolorum sacras exaedificatas fuisse nos docet historia in Africa et in Asia, quae hac de causa ἀποστολεῖα, idest *Apostolica* appellatae sunt, quaeque, uti mox videbimus, reliquiis seu ramentis catenarum Apostoli Petri ditabantur.

Idcirco cum templum in Exquiliis titulo Eudoxiae decoretur, non est autumandum illud a solo ab ea primum fuisse excitatum; sed potius renovatum exornatumque eo tempore quo Vincula B. Petri inibi reposita sunt. Quod ut probemus alteram proferimus inscriptionem eiusdem templi posterioris aetatis a pluribus relatam scriptoribus (2), in qua de Sixto III etiam fit mentio.

HOC DOMINI TEMPLVM PETRO FVIT ANTE DICATVM
TERTIVS ANTISTES SIXTVS SACRAVERAT OLIM
CIVILI BELLO DESTRVCTVM POST FVIT IPSVM
EVDOXIA QVIDEM TOTVM RENOVAVIT IBIDEM
PELAGIVS RVRSVS SACRAVIT PAPA BEATVS
CORPORA SANCTORVM CONDENS IBI MACHABAEORVM.

(1) V. De Rossi *Boll. d'arch.* 1878, p. 14 — Duchesne, *Bullet. de Corresp. Hellénique*, 1878, p. 292.

(2) Martinellius, p. 284 — Card. Tomassius, *Libr. Miss.* p. 118. Romae 1691 — Pompeius Ugonius, *Theatr. Urbis Romae*, p. 202. Cod. Barberini 1057 — Georgius, *Not. ad Martyr. Adonis* 1 Augusti — Liber *De mirabilibus Urbis Romae*, anno 1511 impressus.

APPOSVIT PETRI PRETIOSA LIGAMINA FERRI
ILLVSTRIS MVLIER QVAE DETVLIT AB HIERVSALEM
ET QVIBVS EST PETRVS NERONIS TEMPORE VINCTVS:
AVGVSTI MENSIS CELEBRANTVR FESTA CALENDIS:
QVIQVE HVC ACCESSERINT LAVANTVR CRIMINA CVNCTA.

Igitur versus ii confirmant consecrationem templi a Sixto III peractam; memorant renovationem eiusdem opera Eudoxiae, postquam illud incendio fuisset consumptum; alteram consecrationem quam Pelagius Papa perfecit (555 560), nec non corpora Machabaeorum inibi condita (1). De Vinculis vero mox dicemus. Nunc potius inquirendum nobis est quae fuerit Eudoxia de qua hic loquitur. Haud admittenda est eorum sententia qui autumant templum renovatum fuisse ab Eudoxia Arcadii Imperatoris uxore; ipsa enim ante Sixtum III supremum diem obiit, scilicet anno 404; Sixtus vero Pontifex renunciatus est anno 432. Altera Eudocia ea est quae prius pagana ac Athenis oriunda, postea tincta salutaribus undis, Theodosio huius nominis secundo

---

(1) Horum corpora in arca marmorea separatim distincta eāque caelaturis exornata inventa sunt sub ara maxima anno 1877. Hypogeo, eodem anno, extructo inibi recondita sunt. Ex hac inscriptione marmore insculpta patet.

RELIQVIAS
SANCTORVM VII FRATRVM MACHABAEORVM
SVB ALTARI MAXIMO DETECTAS
PIVS IX PONT. MAX.
EODEM INCLVSAS SARCOPHAGO QVO ANTIQVITVS EXCEPTAE FVERANT
HYPOGEO INFERRI
ET PVBLICAE RELIGIONI PROPONI IVSSIT
ANNO MDCCCLXXVII
CVRA ET IMPENSA SODAL. A VINCVLIS PETRI AP.

nupsit. Illa siquidem Hierosolymam peregrinata est (1), ibique multa aureorum millia in reficiendis exornandisque sacris locis consumpsit, basilicam maximam divo Stephano sua impensa fabricavit ac multas sacras reliquias quaesivit et collegit, inter quas B. Petri Vincula. Haec sane una cum filia, Eudoxia pariter nomine, effecit ut templum, de quo sermo est, restitueretur, cum ei catenam unam misit qua Petrus Hierosolymis ab Herode Agrippa vinctus fuerat. Imo ex disticho quod olim legere datum erat in aede ad Vincula (2) patet hanc ipsam aedem renovatam fuisse a Principibus Eudocia ac Theodosio II et Eudoxia filia.

THEODOSIVS PATER EVDOCIA CVM CONIVGE VOTVM
CVMQVE SVO SVPPLEX EVDOXIA NOMINE SOLVIT.

Votum autem a Principibus solutum est, iuxta quosdam scriptores, eo quod Eudoxia Iunior seu Secunda eorum filia nupserit Valentiniano III Occidentis imperatori. Attamen eo interfecto, die 16 Martii anno 455, a Petronio Maximo in Campo Martio, seu potius in villa *ad duas lauros* prope mausoleum Helenae, hoc eodem anno, Eudoxia uxor in servitutem abducta est a Genserico in Africam una cum filiabus suis Placidia et Eudoxia, quae huius nominis Tertia appellatur. Qua de re templi restitutio assignanda est ante direptionem Urbis a Genserico per Vandalos peractam, et post nuptias Valentiniani et Eudoxiae, quas Marcellinus in Chronicon et Cassiodorus item in Chronicon ad annum 437 ponunt, et Socrates ad annum 436 (Lib. VII, c. 44). Cum vero Eudoxia ipsius Valentiniani uxor Romae pluribus annis

(1) Socrates, Lib. VII, c. 46 — Evagrius, Lib. I, c. 20 — Nicephorus, Lib. XIV, c. 23-49.

(2) Gruterus refert in App. p. MCLXXIV. N°. 6 — De Rossi. Inscrip. Vol. II, p. 110, ex Cod. Lavreshamense.

morata sit, ab ea votum solutum dicendum est, nomine etiam parentum (1). Templum decursu temporis renovavit Hadrianus I, saeculo octavo, ac deinde Sixtus IV et Iulius II (2).

His de aede in Exquiliis statutis, de Vinculis B. Petri disseramus. Quamvis certum sit, uti ex dicendis patebit, Petri catenas Romae fuisse cultas earumque celebritatem per dissitas etiam regiones perlatam iam a saeculo sexto, tamen scriptores, qui ante saeculum septimum floruerunt, cum de vinculis loquuntur nil referunt de persona quae Romam catenam miserit. Sed cum factum hoc non sit magni momenti, id praetermittere potuerunt: aliunde non omnia quae acciderunt a scriptoribus litteris sunt commendata: silentium igitur negationi haud aequiparatur. Quod item dicendum est de Romana catena qua Petrus sub Nerone vinctus traditur: nam minime recordatur quinam a Petri morte illam custodierint, ubi fuerit servata vel quando in templum, de quo sermo est, inlata. Verum si iam a saeculo sexto percelebris erat religio Vinculorum tum Romae tum Hierosolimae, eaque etiam regionibus valde dissitis nota, profecto illius temporis christiani proceres, sanctitate et doctrina clarissimi, indubia habebant documenta ac de illis certam fidem: neque fas est supponere primaevi temporis christianos, utpote sanctos et veritati inhaerentes, voluisse alios decipere.

(1) V. Monsacrati. *De catenis S. Petri* dissertatio — Romae, 1828.

(2) In restauratione sub Sixto IV vel Iulio II periit distichon musivo depictum, a Petro Sabino relatum (Cod. Marcian. Lat. X. 195) quod pluries refert De Rossi in Tom. II. *Inscript.* Ille valde antiquum documentum est de Vinculis B. Petri in templo asservatis, qui sic sonat:

Inlesas olim servant haec tecta catenas
Vincla sacrata Petri, ferrum pretiosius auro.

Invenies hoc etiam in Codice Virdunense.

Caeterum posterioris aetatis scriptores referunt quod Eudocia Theodosii II uxor in sua ad loca sancta peregrinatione duas catenas, quibus Petrus sub Herode vinctus fuerat, acceperit ab Episcopo Iuvenale quae inibi servabantur, quarum unam misit Romam filiae Eudoxiae (1). Petrus enim, iuxta Actus Apostolorum, *erat vinctus catenis duabus*, cumque Angelus ait: *Surge velociter, ceciderunt catenae de manibus eius*. Quae catena una cum alia servata est in templo ad Exquilias, qua Princeps Apostolorum, Nerone Principe, vinctus Romae fuerat. Idque etiam eruitur ex inscriptione relata quae incipit — *Hoc Domini templum* — Ibi enim fit mentio de illustri muliere quae Ligamina ferri detulit ab Hierusalem ac de Vinculis Petri sub Nerone. Memorantur haec in Actis S. Alexandri I Pontificis, quae uti sincera a Baronio et Blanchinio censentur, quamvis in illis aliquam mendam irrepsisse fatendum sit (2). Sanctus Martyr igitur Balbinae eius vincula deosculanti aiebat: *Desine hanc boiam* (catenam) *deosculari, sed potius require B. Petri vincula et ea osculare et boiam meam osculari desine.*

---

(1) Ita sentiunt Baronius ad ann. 439 — Boldetti, *Osserv. sopra i cemet. de' Mart.*, Lib. I, c. 60 — Florentinius, *Not. ad Martyr. Eccl. Occid. ad diem 1 Augusti* — Donatus, *De Urbe Roma*. Lib. IV. — Torrigius, *Trofei di S. Pietro*, c. XXII. — Labbaeus, *Chronol. histor.* ad ann. 439; nec non Severanus, Papebrochius. Item Belethus Ioannes, *Explic. divin offic.* — Petrus de Natalibus, Lib. VII, c. 3. — Ugonius, *Staz. di Roma*. — Pancirolus, *Tesori nascosti di Roma*, p. 451 — Martyr. Bruxellense ad diem 1 Aug. — Auctor historiae *de vinculis B. Petri* apud Mombritium, Tom. II. — Durandus, *Ration. divin. offic.*, Lib. VII, cap. 19. — Sigebertus Monachus saec. VI, *In Chron.* ad ann. 438. Tom. I, Rer. Germ. — Auctor sermonis de vinculis S. Petri in Homiliario Alcuini, et multa breviaria ac lectionaria. Confer denique Bullam Benedicti XIV: *Admirabilis Sapientiae*, datam anno 1743 Kalendis Aprilis.

(2) Acta SS. Mens. Maii, cap. III, n° 14.

Verum permulta habemus documenta de cultu Vinculis B. Petri praestito iam ab antiquissimo tempore, quorum quaedam hic referre operae praetium erit. Iustinianus, cum nondum retinacula acciperet imperii, ab Hormisda Papa petiit, annis circiter sexaginta post Eudoxiae servitutem, ut sibi fragmentum catenarum Roma mitteretur. *Unde si et Beatitudini Vestrae videretur, Sanctuaria* (idest brandea seu vela quae desumebantur e contactu sepulcri Principis Apostolorum) *beatorum Apostolorum Petri et Pauli secundum morem ei largiri praecipite et si fieri potest ad secundam cataractam* (scilicet ad locum sepulcro viciniorem): *petit et de catenis sanctorum Apostolorum, si possibile est* (1). En inscriptio Iohannis Papae, cognomento Mercurii, qui paulo post, scilicet anno 532, Pontificatum adeptus est, in qua fit mentio de Vinculis. Haec adhuc extat in basilica S. Petri ad Vincula in marmore sculpta ad extremitatem navis dexterae.

SALBO PAPA N. IOANNE COGNOMEN
TO MERCVRIO EX SCE ECCL. ROM PRESBYTE
RIS ORDINATO EX TIT SCI CLEMENTIS AD GLO
RIAM PONTIFICALEM PROMOTO BEATO PETRO
AP. PATRONO SVO A VINCVLIS EIVS SEVERVS PB OFRT
ET IT. PC. LAMPADII ET ORESTIS VV. CC. VRBICLVS CEDRINVS EST.

Haec memoria, quam Praesbyter Severus posuit, anno 532 pertinet, quo viri clarissimi Lampadius et Orestes consulatum gerebant (2). Loquuti iam sumus de templis quae, primis Ec-

---

(1) Concil. Collect. ap. Labbaeum, inter epistolas Pontificis. Ex relata petitione eruitur Romae servata fuisse etiam vincula divi Pauli — V. etiam Epist. Rom. Pontif. a S. Hilaro ad Pelag. II. Ed. Thiel. Brunsbergae 1867.

(2) Inscriptionem referunt Holstenius, Fontaninius, Florentinius, Papebrochius ac De Rossi. De Praesbytero cognomento

clesiae saeculis, in honorem Principum Apostolorum exaedificata sunt in orbe christiano, quaeque *Apostolica* dicebantur. Praeter templum in Numidia a Praesbytero Probantio excitatum, aliud Rufinus dedicavit, anno 394, prope Calcedoniam, aliudque Hilipulae Hispaniae (nunc Loia) in finibus Illiberitanis cum inscriptione extabat: sic et alia multa. Huiusmodi autem templa ditari solebant reliquiis Apostolorum Roma allatis, seu ramentis Vinculorum Apostolicorum (1); eo enim temporis reliquias corporum Petri et Pauli extrahere minime licebat, ac omnia martyrum corpora intacta et integra in suis sepulcris servandi mos erat. Nemo igitur non videt quanta fuerit, iam a prima Ecclesiae aetate, catenarum religio apud plebem Dei, non Romae tantum, sed in dissitis etiam regionibus.

Crevit vero religio haec saeculo sexto, teste praesertim Gregorio, cognomento Magno, in suis epistolis ad clarissimos viros ac reges. Mos enim tunc temporis viguit magnis viris mittendi parvas claves sive ex auro, sive ex argento, quae ad collum ligatae devotionis causa portabantur; in quibus erant catenarum ramenta divi Petri ab Ecclesia in Vinculis desumpta. Claves ipsae, antequam mitterentur, supra tumbam Principis Apostolorum ad Vaticanum deponebantur.

Audiamus quaedam Gregorii testimonia: Ad Reccaredum Visigothorum regem scribens ait: *Clavem vero parvulam a sacratissimo B. Petri Apostoli corpore vobis pro eius benedictione transmisimus, in qua inest ferrum de catenis eius inclusum.* Ad Childericum Francorum regem sic scribit: *Claves*

Mercurio, postea Iohannes II, fit mentio etiam in inscriptione ad S. Clementem in gradu marmoreo, qui tempore Hormisdae aram maximam suis sumptibus erigi curaverat.

(1) De Rossi, *Bullett. d'Arch. Christ.* an. 1878, p. 14 et seq.

praeterea S. Petri, in quibus de vinculis catenarum eius inclusum est, Excellentiae Vestrae direximus. Ad Andream virum illustrem et Iohannem Consularem sic loquitur: *Praeterea sacratissimam clavem a S. Petri Apostoli corpore vobis transmisimus quae super aegros multis solet coruscare miraculis; nam etiam de catenis eius interius habet.* Aliquando Vinculorum ramenta in cruce parvula claudebantur, uti constat ex eius epistola ad Dinamium Patricium: *Transmisimus autem B. Petri Apostoli benedictionem crucem parvulam cui de catenis eius beneficia sunt inserta.* Haec eadem ait, scribens ad Eulogium Alexandriae Episcopum, cui crucem mittens meminit inesse illa de catenis Petri et Pauli.

Insequentibus etiam saeculis, hic mos mittendi clavem seu crucem ad illustres viros de christiana republica optime meritos perseveravit. De hisce Pontificum donis mentionem facit, inter alios, Beda (1), nec non plures annalistae. Scriptor in continuationem Annalium Fredegarii (2) narrat de Gregorio III, qui ad Carolum Martellum regem clavem misit: *Eo tempore bis a Romana Sede S. Petri Ap. Beatus Papa Gregorius claves venerandi sepulchri cum vinculis S. Petri... memorato principi destinavit.* Idem fecit et Gregorius VII pro Alphonso Castellae rege: *Ex more sanctorum misimus vobis claviculam auream in qua de catenis B. Petri benedictio continetur* (3). Praeter haec divi Gregorii praeclara testimonia de Vinculis B. Petri, audiamus quid Arator Poeta saeculi sexti de his referat. (Ex Cod. Lavreshamense).

. . . . Manet omne per aevum
Corpore quod Petrus sacravit et Angelus ore
His solidata fides, his est tibi Roma catenis

---

(1) *Histor. Anglor.* Lib. III, c. 19.
(2) Inter opera Gregorii Turon. Ed. Ruinart, c. CX ad ann. 741.
(3) Ex Epist. VI. Lib. VII, ap. Labbaeum Conc. Coll. Tom. XII.

Perpetuata salus; harum circumdata nexu
Libera semper eris: quid enim non vincula praestent
Quae tetigit qui cuncta potest absolvere? Cuius
Haec invicta manu vel relligiosa triumpho
Moenia non ullo penitus quatientur ab hoste, etc.

Hisce versibus manifeste memorantur Hierosolymitana Vincula quae Angeli ore sacrata sunt, cum Petrum e carcere liberavit. Hoc poetae christiani, imo et Subdiaconi Ecclesiae Romanae, de Vinculis elogium inter carmina recensetur quae ipsemet *de Actibus Apostolorum* scripsit, duobus libris contenta, quaeque Vigilio Papae nuncupavit ac in ipso templo S. Petri ad Vincula, adstantibus viris clarissimis, recitavit anno 544. Recte ait igitur Auctor sermonis de Sanctis, sive Augustinus sit sive (1) alius quispiam: *Merito per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud poenalium vinculorum. Si tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quanto magis catena vincientis? ut umbra, inquam, transeuntis Petri obumbraret eos. Si inanis quaedam species vacuae imaginis habere potuit in se vim salutis, quanto plus de corpore meruerunt adtrahere salubritatis ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis?*

Ex dictis igitur liquet maximam fuisse Romae Vinculorum religionem ac percelebrem crevisse de his famam apud exteras gentes: idque ex testimoniis patet scriptorum, qui ante saeculum septimum floruerunt. Scriptores vero subsequentis aetatis, si quid nugarum litteris inseruerunt, id nil inficit quominus catenarum religio legitime orta sit: verum, cum tantam pietatem patrum nostrorum in eas admirati simus, absque dubio hi certi erant, sive per Ecclesiae Roma-

(1) Eruitur ex notis ms. ad calcem Codicis inscriptis quem Baronius, Florentinius, Mabillon aliique in lucem dederunt.

nae monumenta, sive per continuatam traditionem, quod Romae apud se vera Vincula extiterint, tum illa scilicet quibus Petrus, Nerone Principe, vinctus fuerat, tum alia quibus, iussu Herodis, eum cinctum fuisse scimus; nam de utrisque persaepe fit mentio.

Quae cum ita sint, corruit quod Calvinus et Basnagius opponunt; hi namque haeretica tabe infecti quidquid venerabile et cultu dignum in Ecclesia est aut negant omnino, aut despiciunt sacrilege. Aiunt enim nunquam potuisse christianos Vinculis potiri, eo quod illa in carcere remanserant: perpulchrum sane argumentum! Ignorat, praesertim Basnagius (1) quod christiani diligentissimi fuerint non solum corpora martyrum honorifice servare, sed etiam eorum instrumenta martyrii inquirere et custodire? Nonne et in sepulcris ad catacumbas, uti refert Boldettus (2), aliquando una cum corpore catenae repertae sunt? Inquirat quid Iohannes Chrysostomus dicat in Libro de S. Babyla contra Iulianum (3), qui, Martyr et Episcopus Antiochiae, una cum catenis, quibus fuerat vinctus, honorifico conditus est sepulcro. Inquirat itidem quid referat Eusebius Emissenus (4) de Martyribus Epipodio et Alexandro, quorum vincula enixe et pie plures Ecclesiae efflagitabant, cum corpora sancta obtinere nequaquam possent. Quid si audiat Chrysostomum ipsum aientem de Pauli Apostoli vinculis (5): *Vellem nunc esse in illis locis in quibus dicuntur manere illa vincula et videre.... vellem videre catenas quas pertimescunt quidem et horrescunt daemones, reverentur autem angeli.* Quid mirum igitur,

---

(1) V. eius *Exercitationem IX.*

(2) *Osserv. sopra i cimiteri dei Martiri.* Lib. I, c. 60.

(3) Tom. XI, n° XI.

(4) Hom. in Epipodium et Alexandrum MM. Tom. VI in Bibliot. Patrum.

(5) Hom. VIII in Epist. ad Ephesios.

aut quid novi, si tum Christifideles Romani, tum Hierosolymitani Vincula Petri inquisierint, vel etiam praetio a militibus emerint, ut illa veluti virtutis heroicae testes servarent, ex ea praesertim causa quod Hierosolymis Angeli ministerio *ceciderunt catenae de manibus eius*, seu Petri? Sed ad quid Protestantibus loquimur, si eorum ductor eximius Basnagius auserit christianos furti reos arguere, si Petri Vincula e carcere sustulissent?! Risum teneatis!

His quae iam protuli argumentis et alia quaedam mihi liceat subiungere. Cultus catenarum Principis Apostolorum tam celebris Romae extitit ut templum in quo servabantur a Vinculis fuerit iam ab antiquissima aetate nuncupatum ac Eudoxiae titulo decoratum uti iam supra diximus; eo quod ipsa et aedem renovaverit eandemque catena ditaverit, uti asserunt plurimi fide digni scriptores (1). Praeter inscriptionem relatam de Praesbytero Severo, quae templum ad Vincula memorat, aliamque allatam, haec habe: Anastasius Bibliothecarius, referens de tumultu contra Symmachum Papam (498-514) ad Pontificalem dignitatem electum, quem Festus et Probinus excitaverant, ait: *Etiam multos sacerdotes occiderunt, inter quos Dignissimum et Gordianum Praesbyteros ad Vincula S. Petri Apostoli et ad Sanctos Iohannem et Paulum.* In Epistola XII Libri IX Gregorii Magni de duobus Praesbyteris tituli Eudoxiae fit mentio, scilicet de Andromacho et Agapito. Hadrianus I, iuxta Anastasium, *In titulo Eudoxiae, videlicet B. Petri Ap. ad Vincula, fecit canistra (*idest lampades*) duodecim pensantia libras triginta sex;* et in vita Leonis III inquit: *Fecit vestem in titulo Eudoxiae super altare tyriam habentem gryphas maiores et duas rotas chrysoclabas*

(1) V. inter alios Auct. histor. *de Catenis S. Petri* apud Mombritium. Vit. SS. Tom. II — Sigebertum in Chron. ad an. 238, Rer. Germ.

cum cruce. In Concilio Romano, anno 898 coacto, subscribit *Petrus Praesbyter tituli Eudoxiae* (1). In memoriam Vinculorum etiam festum institutum est antiquitus Calendis Augusti (2), in quibus fit commemoratio de septem Fratribus Machabaeis una cum eorum matre sub Antiocho rege necatis (3). Hanc festivitatem memorant multa antiqua Sacramentaria, kalendaria, et martyrologia, inter quae Virdunense, Adonis Viennensis, Usuardi, Fuldense, Augustanum, Turonense, Notkerii, Bedae, Vandelberti qui cecinit:

Augustas retinent Machabaei iure Kalendas
Carcere Roma Petrum celebrat vinclisque reclusum (4).

Multa referunt de Vinculorum miraculis S. Gregorius Magnus aliique scriptores: nobis autem referre sufficiat prodi-

---

(1) Ap. Labbaeum Conc. Tom. XI. Plures alios reperimus Cardinales *titulo Eudoxiae* vel *S. Petri ad Vincula* litteris subscribentes, quos omnes longum foret referre.

(2) Graeci festum Vinculorum celebrant die 16 Ianuarii: nam iuxta Menologium Basilii Imperatoris aliaque graeca menologia, saeculo IX in aede S. Petro dicata ad templum S. Sophiae Byzantii, catena S. Petri extabat. Referunt enim Eudoxiam alteram Hierosolymarum catenam Constantinopolim misisse: verum adverte quod ea inibi minime servabatur paulo post Eudoxiae mortem, tempore scilicet Iustiniani, nam, ut vidimus ipse fragmentum catenarum a Papa Hormisda enixe postulavit.

(3) Innuimus iam de sermone Leonis Magni, ad notam 2, in honorem Machabaeorum. De his plura tradunt, praeter librum Machabaeorum, S. Ambrosius ad Theodosium Imp. (Lib. II, Ep. 17), S. Gregorius Nazianzenus in Oratione, S. Iohannes Chrysostomus (Hom. 2, Tom. I), S. Augustinus (Serm. 109, 110), S. Eusebius Vercellensis, S. Isidorus, S. Bernardus (Ep. 313), S. Cyprianus, Iosephus Flavius Iudaeus, aliique permulti.

(4) Quaedam notatu digna invenies apud Baronium in notis ad Martyrologium Romanum die 1 Aug.

digium quod Sigebertus narrat (1) quodque pictura repraesentatum cernimus in laqueari ipsius Ecclesiae ad Vincula: *Quidam Comes Ottonis Imperatoris ei familiaris Romae ante oculos omnium a diabulo correptus ita ut seipsum dentibus discerperet, iussu Imperatoris ad Papam Iohannem (XIII) adductus ut catena S. Petri collo eius circumdaretur. Dum a fallacibus clericis semel et bis et alia catena furenti adhiberetur, nec quicquam remedii proveniret, ubi nihil virtutis inerat, tandem vera S. Petri catena allata et collo furentis circumdata, diabolus spumans et multum clamans abscessit.* Quod factum ab aliis pene eiusdem aetatis scriptoribus traditur, quos videre licet apud Martene (2).

In maximis vero Ecclesiae calamitatibus Vincula B. Petri processionaliter solemni pompa per Urbem delata sunt, uti factum est, die 16 Ianuarii anni 1798: tunc enim una cum imaginibus Sanctissimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum ac S. Mariae in Porticu in Basilicam Vaticanam maximo Populi Romani concursu sunt delata.

Una ex catenis viginti quatuor annulis constat, altera undecim: quatuor vero postremae annuli paulo minutiores caeteris sunt; haerent numellae seu collari ferreo quod aperitur ad instar semicirculi. Modo inclusae servantur in theca perpulchra ac nobili ex metallo deaurato ac caelato, quam Pius IX Pont. Max. dono dedit. Theca ipsa duobus portis custoditur ex aere elaboratis per fratres Antonium ac Petrum Pullarios (Pollaioli), monumentorum Sixti IV et Innocentii VIII ad Vaticanum auctores. In portis miram artem ac caelaturas insignes admirari datum est; quas inter: divum Petrum ab Herode damnatum et ad carcerem a sa-

---

(1) In Chron. ad ann. 969 Rer. Germ.

(2) *Veter. Monum.* Tom. V. Etiam Baronius de prodigio loquitur ad annum 969.

tellibus ductum; nec non ipsum ex eodem carcere ab angelo liberatum. Has litterasinsculptas ibi legimus: *Sixtus Quartus Pont. Max. — Iul. Card. S. Petri ad Vincula S. Romanae Eccles. Maior Penitentiarius MCCCCLXXVII* (1).

Locus vero ubi Vincula B. Petri ac Machabaeorum corpora asservantur, recurrente anno quinquagesimo a consecratione episcopali Pii IX, quam in basilica Eudoxiana accepit, hypogeo pernobili ac fastigio columnis sustentato, cura Sodalitatis a Vinculis Petri Apostoli nobilitatus est. Ex hac inscriptione constat:

SODALES A VINCVLIS PETRI AP.
PECVNIA REDACTA EX CATENIS
AD EORVNDEM VINCVLORVM EXEMPLVM
ELABORATIS
ALTARE CVM FASTIGIO
ET QVIDQVID CIRCVM EST OPERIS
EXTRVENDVM CVR A. MDCCCLXXVII
AB EPISCOPALI CONSECRATIONE PII IX P. M.
IN HAC BASILICA QVINQVAGESIMO

JOSEPH SAC. CASCIOLI.

---

(1) Iulianus Cardinalis, postea Iulius II Pont. Max., ac Sixtus IV, opus praeclarum artificibus supra memoratis commiserunt.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

IX.

DE OCCURSU ET CONCURSU DEDICATIONIS ET PATRONI.

Caius Episcopus Cathedralem Ecclesiam suam fere integre renovatam consecraturus, a S. R. Congregatione petiit et obtinuit indultum, ut deinceps uno eodemque die Ecclesiarum omnium dioeceseos anniversarium Dedicationis ritu solemniori celebraretur. At vel ab ipso primo anniversario Dedicationis, quod Dominica II post Pascha Episcopus statuerat, licet Dedicationis dies fuisset 25 Martii, graves in quadam parochiali benedicta tantum Ecclesia, exortae sunt difficultates. Nam anniversarium Dedicationis occurrit accidentaliter cum festo Patroni loci, quod maxima semper cum populi frequentia recoli consueverat. Hinc quidam tenebant transferendum esse anniversarium Dedicationis, quidam vero de hoc tamquam de festo Domini agendum defendebant, et loci Patronum transferendum. Alii vero dicebant, eiusmodi Dedicationis festum, utpote alienae Ecclesiae esse secundarium, eique praelationem denegandam super Patrono loci indubie primario. Nec defuerunt qui parum obsequentes Episcopo docebant, hoc anniversarii festum in Dominica esse contra legem; quia Episcopus nequibat de

iure eiusmodi seligere diem, cum consecrationem Ecclesiae extra Dominicam peregisset, consequenter optimo iure illud in aliam diem etiam perpetuo transferri posse. Interim Patronus loci pro eo anno tali die celebratus fuit, et ad primam diem liberam amandata Dedicatio. Quaeritur:

1. *Quanta sit prae aliis festis solemnitas Dedicationis Ecclesiae eiusque anniversarii celebratio, seu antiquitate, seu Rubricis Breviarii Romani inspectis?*

2. *Quaenam sint iura Episcopi circa diem statuendum pro anniversario Dedicationis, et num quemcumque diem seligere possit, vel quales nequeat?*

3. *Anniversarium Dedicationis Ecclesiae propriae, vel etiam alienae, est ne primarium, maxime si ab omnibus eodem die recolatur?*

4. *Occurrente aut Concurrente anniversario Dedicationis omnium Ecclesiarum cum festo patroni loci, cui praelatio competit? Quidque de tota facti serie censendum, ut in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Enrici Benedetti e Seminario Romano alumni, habita in Ecclesia Congnis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 30 Maii 1894: acta Epitoma a Rmo Dom. Enrico Chatillon ex Ordine Praedicatorum.

I. Primo inquiritur de solemnitate Dedicationis Ecclesiae eiusque anniversarii, seu antiquitate seu Rubricis Breviarii Romani perpensis.

Dedicationem Ecclesiarum, parique proportione eiusdem annuam celebritatem fuisse ubique locorum maximam, nemini dubitandum. Dedicatio

enim idem ac consecrare Ecclesiam, ut vero Deo, omni cultu dignissimo, hostiae solemniter offerrentur in antiquo foedere, divinam figurantes, quae in Christi Ecclesia eidem erat in universo orbe offerenda. Eapropter maxima fuit solemnitas, qua templum dedicavit Salomon, uti pluries sacra Biblia referunt, ac maxima qua recolebatur quotannis ab Israel eiusdem Dedicationis celebritas (*Ioan. 10, 22*), quam Christus ipse solemniorem praesentia sua reddidit. A Synagoga exemplo sumpto, ab ipso Apostolorum aevo, maiori qua fieri potuit solemnitate Ecclesiae consecrari coeperunt, uti eruitur ex Martyrologiis Ss. Hieronymi, et Rabani, in quibus die prima, seu Calendis Augusti legitur: Romae Dedicatio primae Ecclesiae a B. Petro constructae et consecratae. Quod Martyrologium Nokteri expressius notat dicens: *Romae statio ad S. Petrum ad Vincula, quam Ecclesiam ipse primus in Europa construxit et consecravit.* Hinc Catalanus refert, a Materno B. Petri discipulo plures fuisse in Belgica regione consecratas Ecclesias, quod magnum Chronicon belgicum testatur. Solemnitatem eamdem ostendunt testes innumeri, referentes Ecclesiarum consecrationes haud semper ab uno, sed a pluribus saepe antiquitus Episcopis fuisse peractas: uti Eusebius (*Lib. IV de vita Constant. cap. XLIII*) fidem facit de templi Ierosolymitani Dedicatione, cui astitit plena Episcoporum Synodus. Illi consonant Socrates (*Lib. I Historiae, cap. 28*), et Sozomenus (*Lib. II, cap. 26*): additque Theodoretus plures tunc temporis praefatos Episcopos consecrasse Ecclesias. Quod in Oriente in more fuisse non solum, sed et in Occidente, palam fit ex au-

ctoritate Augustini in Epistola 169 ad Nobilium Episcopum, qui eum ad solemnem novae Ecclesiae Dedicationis functionem invitaverat, ex Arausicana Synodo (*Can. X*), ex Venantio Fortunato Pictavorum Antistite, qui de Dedicatione canit: « Convocat egregios sacra ad solemnia Patres » (*Lib. 3, carm. 6*): nec non ex aliis Synodis, uti et testibus omni exceptione maioribus.

Quod vero de Dedicatione diximus, de eiusdem anniversario pariter est intelligendum. Siquidem Canon XV apud Gratianum (*Distinct. 1*) aperte praescribit, solemnitates Dedicationum Ecclesiarum... per singulos annos esse celebrandas. Soxomenus autem (*Lib. II, cap. XXV*) exemplum refert de Ierosolymitano templo, dicens: *ex eo tempore*, (quo videlicet consecratum fuit) *solemnem quotannis festivitatem admodum splendide ab Hierosolymitana Ecclesia celebratam fuisse.* Hinc et Catalanus scribit: « Apud alios auctores, et in antiquis Pontificalibus Libris passim invenies testimonia de ipso anniversario die Dedicationis ». Ceterum, si Ecclesiarum dedicandarum consuetudinem Apostolica sapientia a Synagoga accepit, ab eadem et earumdem anniversarii accepisse usum fas est admittere: quod et Dedicationis et anniversarii solemnitatem satis superque significat, cum nonnisi de solemnioribus actis anniversaria memoria recolatur (*Joan. 10, 22*).

Rubricas autem eamdem, de qua hucusque, solemnitatem maximam praedicare, qua Dedicationis Ecclesiae anniversarium celebrandum est, eas vel obiter volventi facillime patet. Sane, Titulum VII, legas, perspiciesque ab ipso numero 1, Dedicationem inter praecipuas festivitates recen-

sitam, hoc est inter Pascha Resurrectionis, Ascensionem, Pentecostem, etc. de quibus omnibus, ex eadem ratione solemnitatis, octava praescribitur. Perpendas Titulum IX (*num. 3*), eritque videre Dedicationis festum, utpote solemnitatis maximae, maioribus Dominicis 2 classis praelatum: in quibus de illo agendum, quamvis aliqua ex dictis Dominicis ad ritum simplicem sit redigenda. Ex eadem ratione numerus 5 eiusdem Tituli praecipit, nullam, ex generali lege, in festo Dedicationis commemorationem agendam. Item eruitur ex Titulo X atque XI (*num. 1*), qui peculiari privilegio donant festa, quae in propriis Ecclesiis solemniter celebrantur, inter haec autem praecipue Dedicatio comprehenditur. Eapropter huiusmodi festum solis duplicibus 1. classis universalis Ecclesiae, quibuscum in ritu et octava convenit, locum cedit, nonnullisque aliis de tempore, sed aliis quibuscumque vi Rubricarum praeferendum est. Quinimo ad eamdem veritatem ulterius demonstrandam meminisse iuvabit, quondam Dedicationis anniversarium cum vigiliis praecedentibus fuisse celebratum, uti constat ex Concilio Oxoniensi: Moguntinum autem edidit Decretum, ut idem festum cum feriatione celebraretur. Quae omnia abunde confirmant, solemnitatem, tam essentialem quam externam anniversarii Dedicationis maximi semper fuisse factam; et impraesenti etiam, in plurimis Ecclesiis die Dominico recolitur, ut maiori cum solemnitate celebrari valeat. Hanc autem solemnitatem apprime respondere solemnioribus ritibus et caeremoniis, quae in ipsa Dedicatione peraguntur, uti ex Pontificali codice manifestum fit, neminem latet.

II. Quaeritur secundo quibus iuribus potiatur Episcopus in die statuenda pro anniversario Dedicationis.

Uti per se patet, anniversarium Dedicationis illa est dies, quae post annum iterum redit ab eadem Dedicatione peracta; non tamen feria vel Dominica, privilegio secluso, ad hoc quod attinet negotium consideratur, sed dies tantum mensis (*Cenomanen. 12 Sept. 1840 ad 1*). At pluribus iustisque de causis evenire potest, ut die hac anniversaria dictum festum nequeat recoli; hinc S.R.C. potestatem facit Episcopo consecranti, alium diem determinandi, ut anniversarium Dedicationis quotannis solemniter celebrari queat. Hoc unicum ius, quod competit Episcopo; sed nonnulla super eo animadvertenda sunt. *a*) Diei mutatio fieri per Episcopum poterit in actu solummodo consecrationis, hoc est post Indulgentiae publicationem (*Oppiden. 24 Maii 1844*). Hinc *b*) dictam mutationem solus Consecrans, non alius facere potest, etsi Ordinarius, nisi et ipse sit Consecrator. *c*) Si de die consecrationis non constet, Episcopus Ordinarius non habet ius (1) diem pro anniversario seligendi, sed S. R. Congñem consulere fas est (*Maioricen. 13 Aug. 1667 ad 7*).

At praecipua, quae hic oritur quaestio, respicit qualitatem diei, quem seligere Episcopus potest. Hinc primo statuimus, impeditos esse pro

---

(1) Decreta quaedam contrarium declarare videntur: ne ea consideres, cum Decretum citatum apertissime statuat, dictum ius non inesse Episcopo. Ceterum illa e nova collectione authentica iam expuncta sunt.

dicta mutatione agenda dies illos, quos Ecclesia potioribus festis, sive Mysteriorum, sive Sanctorum, sive de tempore, consecravit. Eiusmodi sunt omnia festa solemniora duplicia 1. cl. universalis Ecclesiae, et Dominicae 1. classis. Haec enim festa nulli alii cedunt vi Rubricarum, neque ipsi Dedicationis anniversario occurrenti; ergo neque his diebus statui potest Dedicationis anniversarium, sed alia die reponendum. Secundo statuimus, ex ratione opposita, duplicia II classis, uti Dominicas eiusdem ritus, pro tali anniversario reponendo non esse, nudo saltem inspecto iure, impeditos. Etenim, si in his diebus Dedicationis anniversarium per accidens occurrat, recolitur, et aliud ex dictis festis aut ad aliam diem amandatur, aut instar simplicis recolitur. Ergo dicti dies eligi quoque possunt pro dicto anniversario celebrando; hoc enim, ritu et solemnitate inspectis, potius illis est. Tertio, cum Guyeto et Cavalerio statuendum, praefatos dies seligere non esse conveniens, ne aliqua festa, quae recoluntur in universa Ecclesia, quandoque etiam cum feriatione, uti ex. gr. Purificatio et Nativitas Deiparae, ad aliam diem amandentur, quod et de Dominicis 2. classis a fortiori comprobatur, quae proinde ad instar simplicium redigenda forent; esset enim id ab universa Ecclesia sine necessitate nimis discrepare, tantumque festum minus solemne reddere, facile enim octava illius redditur impedita. Quarto, si in loco indultum extet Dedicationis omnium Ecclesiarum anniversarium uno eodemque die celebrandi, perperam Episcopus consecrator aliam diem seligeret; ut eo in casu illius libertas coarctata maneat, et nonnisi iam ex in-

dulto statutam eligere possit. Quinto denique statuendum, Episcopum, etsi in Dominica Ecclesiam aliquam dedicet, ius non habet Dedicationis anniversarium die Dominica statuendi. Namque ex supercitato Decreto in *Cenomanen*, non dies mobilis est consideranda, sed mensis, Dominica autem non fixa, sed mobilis dies est: ut anniversarium de iure in die mensis sit statuenda, qua Dedicatio peracta fuit. In oppositum affertur auctoritas Cavalerii; sed re maturae perpensa, respondendum, auctorem citatum verba facere de iam invecta consuetudine anniversarium die Dominico recolendi (*Vid. lib. I, cap. I, Decr. 1, n. 26 et 27, Decr. III, n. VIII*).

III. Quaeritur tertio, num Ecclesiae Dedicatio, sive propriae sive alienae, sit festum primarium, maxime ubi Dedicatio omnium Ecclesiarum loci una eademque die celebratur.

Inversum tenentes ordinem, ante primam obiter de secunda propositi quaesiti parte dicamus, ut illam postea penitius consideremus. Certum est anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum, pro iis quae consecratae sunt, esse festum primarium, neque de hoc quaestio exurgit, est enim Dedicatio Ecclesiae propriae. Quid autem censendum ad eas quod spectat, quae sunt tantum benedictae? Arbitramur Dedicationis Ecclesiae alienae anniversarium esse *per se* festum secundarium, uti mox demonstrare conabimur, in casu tamen fieri per accidens primarium; quia anniversario Dedicationis Ecclesiae propriae aequiparatur ex privilegio ad omnia quod attinet iura, nempe ad ritum, ad octavam, ad solemnitatem externam, consequenter ad privilegium quod spectat prae-

valendi reliquis solemnitatibus, maximis universalis Ecclesiae tantum exceptis. Quo posito, quaestio huiusmodi pro praxi nulla pollet gravitate. uti enim primarium hoc anniversarium, vel est vel considerandum est.

Sed maxime gravis est prima quaestio, praxi inspecta, Dedicatio enim alienae Ecclesiae occurrere potest et concurrere cum aliis festis primariis vel secundariis eiusdem ritus: hinc incertitudo super festo, quod praeferri, et alio quod cedere debet. Itaque praenotamus, quando dicitur Dedicatio Ecclesiae alienae, ita rem esse intelligendam, ut Ecclesia non sit omni sensu aliena, de hac enim non potest festum recoli, sed ut sit tantum minus propria. Hoc sensu dicitur Dedicatio Ecclesiae Cathedralis extra ipsam, esse Ecclesiae alienae, id est, non propriae seu minus propriae: quatenus videlicet pro dioecesano clero, et pro Regularibus in civitate Episcopali degentibus Ecclesia cathedralis minus propria est, quam pro clero eidem adscripto. Quo praenotato, arbitramur, Dedicationem Ecclesiae propriae esse festum primarium, Ecclesiae vero non propriae festum secundarium. Ratio est, quia licet Dedicatio idem semper habeat obiectum; nihilominus maximae videtur esse gravitatis, cum respicit Ecclesiam propriam, satis minoris autem gravitatis apparet cum agitur de Ecclesia, quae latiori sensu propria dicitur, ut non propria, seu aliena nuncupari consueverit.

Animadvertendum enim hactenus auctores omnes inter Dedicationem Ecclesiae propriae et non propriae semper posuisse discrimen, quod ex ipso Guyeto acceptum videtur. Hic enim verba faciens

de Dedicatione Cathedralis Ecclesiae, ait cum Gavanto, eam celebrari posse tam in civitate, quam in dioecesi, ritu nihilominus duplici minori extra civitatem, more utique Dedicationis Basilicae SS. Salvatoris et Basilicarum Petri et Pauli. Quinimo addit: « Si habetur ratio Rubricarum, cum et Rubrica 9, De Commemorationibus num. 5, et tabella ipsa duplicium primae classis expresse habeant *Dedicationem propriae Ecclesiae*, videntur profecto *aliam omnem* ab hoc gradu removere (*Lib. II, cap. X, quaest. 3*) » Quid autem intelligere potuit et voluit per *aliam omnem*, quam opponit Dedicationi *Ecclesiae propriae*, nisi Dedicationem Ecclesiae *non propriae*, seu *alienae*, seu *minus propriae*, quocumque eam nomine appellare volueris?

Hinc et Cavalerius loquens de Dedicatione Ecclesiae propriae et Dedicatione Ecclesiae Cathedralis, docet in occurrentia esse illam isti praeferendam, quia: « festum quodlibet quo *magis proprium* est, eo quibusvis aliis festis *propriis* aequalibus est praeferendum (*Tom. I, cap. 1, Decr. XIII, n. XVIII*). » Ex quo patet, Dedicationem Cathedralis Ecclesiae, utique extra ipsam, *minus proprium* esse festum, quam Dedicationem Ecclesiae illius, quae *propria* severiori sensu dicitur. Sed et ipsa S. R. C. eodem sensu se exprimit in Decreto *Ord. Min. S. Franc. de Observ.* d. d. 14 Maii 1856 ad 3, cum admittat explicite *festum Dedicationis Ecclesiae non propriae.* Hinc quaestio utrum Dedicatio Ecclesiae propriae sit primarium, Ecclesiae vero alienae secundarium. Videtur namque, unum idemque festum esse non posse primarium simul et secundarium: ut si Dedicatio Ecclesiae propriae

sit primarium, quod omnes concedunt, fas sit admittamus, etiam Dedicationem Ecclesiae non propriae primarium esse.

At fortasse aliter res se habet. Nam primo qualitas primarii et secundarii, non tantum ex rei natura dependet, sed etiam ex voluntate Ecclesiae. Ideoque aliquod festum per se primarium, nil obstat quominus inter secundaria habeatur, et vicissim. Ita ex gr. Natalis dies uniuscuiusque Sancti *per se* primarium est festum, nemine contradicente; et nihilominus Natalis dies, seu Decollatio S. Ioannis Baptistae, secundarium est. Festum Reliquiarum, quae in Ecclesiis asservantur per se secundarium iudicatur, sed ex dispositione S. R. Congregationis inter primaria recensendum est. Inventio S. Crucis, Ss. Iesu Nomen, Cor Ss. Mariae etc. etc. (1) festa secundaria per se sunt; si vero iis festis qualitas accedat titularis, primaria fiunt. Adeo ut habeantur nonnulla festa ex causis expositis, quae et primaria sunt et secundaria, sub diverso quidem respectu: primaria sunt quaedam in propriis Ecclesiis, extra has vero secundaria. Secundarium enim rationem habet quasi dicam minus principalis; et sicut aliquod festum magis esse potest pro aliquibus Ecclesiis principale, primarium eapropter habetur: quod si pro aliis Ecclesiis minus principale sit, videtur nil impedire, quominus e converso secundarium dicatur.

---

(1) Peculiariter observandum festum Ss. Cordis Iesu, quod indubie secundarium est, et nihilominus S. R. C. in recentiori Decreto *Macaonen.* declarat: « Attento speciali privilegio... in Regno Lusitaniae est *per accidens primarium* (*12 Febr. 1690 ad V*) ».

His positis, dicendum esse videtur, Dedicationem Ecclesiae esse quidem per se festum primarium; at notabile satis discrimen intercedit inter Dedicationem, quae in propria Ecclesia et ipsius Ecclesiae recolitur, et Dedicationem, quae in aliena Ecclesia recolitur, et propriae ipsius Ecclesiae non est. Eiusdem in casu Dedicatio Ecclesiae, maximae est gravitatis si eiusmodi Ecclesia sit propria: si vero non sit propria, seu minus propria, eiusmodi gravitas satis abunde minuitur. In prima ergo hypothesi festum Dedicationis primarium erit, sed in altero casu nonnisi secundarium. Utraque primarium festum erit per se, sed haec altera secundarium festum per accidens evadit.

Hoc sensu Guyetus loquitur, comparationem instituens inter festum Patroni et festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, et negans huic festo extra Cathedralem deberi octavam. Namque ait ipse: « Patronus loci aeque primo singulas loci Ecclesias attingit, Dedicatio vero Ecclesiae Cathedralis non item, primario enim ipsam tantum Cathedralem spectat, secundario vero et ex consequenti, ceteras (*Lib. I, cap. XVIII, quaest. 2*) ».

Peculialiter notandum, huiusmodi doctrinam ipsissimam esse S. R. Tribunalis, quam in supercitato Decreto tenet et docet, dicens: « Festum Dedicationis Ecclesiae non propriae *utpote secundarium,* in paritate ritus esse omnibus festis etiam secundariis Christi Domini et primariis B. M. Virginis, ac Sanctorum in occurrentia postponendum, etc. (*Loc. sup. cit.*) ».

At potest obiici: in Catalogo festorum, festum Dedicationis Ecclesiae non propriae locum non

habet, ergo eiusmodi festum non est admittendum; eoque magis quia festa Dedicationum trium Basilicarum Urbis inter primaria recensentur pro universa Ecclesia. Ad primam quod attinet partem propositae difficultatis responderi potest, ibi Decretum Generale nonnisi de Dedicatione propriae Ecclesiae verba facere, licet verbam *propriae* siluerit. Quod vero spectat alteram partem, nobis non videtur computanda sequenti de ratione, quam Cavalerius suppeditat, dum rationes affert, ob quas Dedicationum festa nimis extendi non debeant, et maxime ne fiat officii ferialis strages: « quam unice ob causam, ait, mihi credere lubet, principalium Basilicarum Urbis Dedicationum festa, quae alias ob sacram et hierarchicam, quam in totius orbis habent Ecclesias iurisdictionem, ubique solemniter celebrari deberent, extra Urbem nonnisi officium duplex minus sine octava sortiuntur (*Tom. I, cap. I, Decr. VI, n. XIII*) ». En, ni fallimur, ratio sapientior, et praefatarum Dedicationum Ecclesiarum in toto orbe celebrationis, et ritus demissioris, qui maxima cum aequitate nuper erectus est ad dup. maius; et en quoque, si quid videmus, ratio, ob quam eiusmodi Dedicationes iure merito inter primaria festa fuerint recensitae. Verum allata ratio non credimus pro aliarum Ecclesiarum Dedicationibus, extra illas, comprobari posse: adeo ut non primaria, sed secundaria festa iudicari potius debeant.

IV. Quaeritur tandem quarto, cui praecedentia competat, occurrentibus vel concurrentibus simul Dedicationis anniversario omnium Ecclesiarum et Patrono: quidque de tota facti serie in casu exposita sit iudicandum.

S. R. C. antiquiori tempore censuit, Dedicationem esse festum Domini (*Ordo Min. Observ. S. Franc. 27 Mart. 1779 ad 10*), postea vero oppositam amplexa est sententiam, uti constat abunde ex Decretis *Ord. Cleric. Min. Villae Matrit. 13 Mart. 1804, ad 3 et 4 : Brixien. 20 Sept. 1806 ad 9 et 10:* nec non ex rationibus, quas Gardellinius affert in nota ad Decretum *Orbis d. d. 31 Mart. 1821*, confirmatum a Pio Papa VII, *d. 3 Apr.* eodem anno. Porro quaestio proposita ab hac dependet; si enim Dedicatio habeatur ut festum Domini, Patrono, sicut et Titulo, praeferenda est, secus postponenda. Nos arbitramur, usquedum controversia definiatur, Dedicationem non esse festum Domini. Primo, quia in antiquitate peculiare non celebrabatur Dedicationis festum seorsim a Titulo, sed utrumque unum constituebat festum: de quo et in praesenti manet vestigium in Archibasilica S. Mariae maioris de Urbe, quae Dedicationem una cum Titulo celebrat die 5 Augusti. Hinc et insigniores quondam Urbis Ecclesiae Tituli sunt appellatae, quod adhuc nomen retinent. Porro Deo dedicantur Ecclesiae; sed Deum aut Dominum fuisse Ecclesiae Titulum nullibi reperimus (*V. Guyetum, Lib. 1, cap. VI, quaest. 3*): quod ostendit, Deo quidem dicari Ecclesias, sed obiectum, directum saltem, festi Dedicationis non esse Deum. Secundo, Dedicatio Ecclesiae, optime et Guyetus docet, illius est natalis (*loc. cit. cap. tert.*), quod de Domino praedicare absurdum est. Tertio, quia Dedicatio, iuxta Gardellinii sententiam, nullum respicit peculiare mysterium, sed *generalem habet relationem ad Deum, cui dedicatur templum ad divina mysteria*

in eo celebranda; sed huiusmodi ratio communis est etiam festis Sanctorum, quae licet instituta sint ad caelicolas honorandos, principaliter tamen ad Deum diriguntur. Ita auctor in praecitata nota (*Vol. III Collect. Decret. pag. 176*). Sicut ergo festa Sanctorum non sunt festa Domini, ita nec Dedicatio Ecclesiae est eiusmodi. Quarto, Rubricae nullum praestant argumentum pro aut contra; quandoque enim Dedicationem praeferre videntur Titulo et Patrono (*Tit. VII, n. 1*), quandoque et pluries videntur postponere. Ita in mox citato Titulo (*n. 3*), bis Rubricae nominant Patronum et Titulum ante Dedicationem: idem legitur Titulo IX (*num. 3*). Quod si in tabellis Dedicatio recensetur ante Patronum et Titulum, nihilominus primum *Notandum* rursus Patronum et Titulum ante Dedicationem ponit. Ex quo concludendum, Rubricas non potuisse considerare Dedicationem tamquam festum Domini, secus aliis praedictis festis semper illam praeposuissent. Cum itaque Dedicatio Ecclesiae, iuxta hanc sententiam, considerari nequeat ut festum Domini, aliunde Patronus eodem ritu polleat, maiorique solemnitate propter feriationem, concludi posse arbitramur, duobus his festis occurrentibus et concurrentibus, Patrono haud vero Dedicationi esse tribuendam praecedentiam.

Quod iudicium attinet de facto ut in casu exponitur, notamus primo, cum facultate celebrandi Dedicationem omnium Ecclesiarum dioecesis ordinario quaeri etiam diem determinatam, qua celebretur. Si ergo Episcopus Dominicam II post Pascha pro hoc festo statuisset, adhaerens dispositioni Sacri Tribunalis Rituum, optime se ges-

sisset: si vero a se dictam selegisset Dominicam, id fuisset operatus, de quo illi non erat potestas, ut superius vidimus. Secundo, errasse credimus eos, qui Dedicationem in casu festum secundarium censuerunt, etsi enim eiusmodi esse possit *per se*, *per accidens* primarium est, vel tamquam primarium indubie habendum est. Tertio, Patronus ex sententia, quam defendimus, iure celebrandus erat in casu, licet occurrente Dedicatione; at, cum grave incommodum sit Dedicationem in casu ad aliam diem amandare, est enim contra uniformitatis finem, pro quo consequendo instituta fuit, consultius erat S. R. Congñem consulere. Quarto, perpetua Dedicationis omnium Ecclesiarum translatio approbari non posset, ex nuper allato momento; multoque minus obsequii defectus in Episcopum, cuius agendi ratio cohonestari poterat, ut superius dictum est.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

DECLARATIO.

Solutor, in praecedenti numero, Dubio V ad pag. 498, aliquid aberrationis passus est, quod summae nobis est curae ut corrigatur: et super eo a Lectoribus nostris veniam petimus. Die 10 Februarii in aliquibus locis fiunt Vesperae de Passione, et specimen Calendarii notat primam commemorationem de praecedenti, nempe de

S. Scholastica, inde de Ss. Septem Fundatoribus: dictum est autem, utrumque concurrere, scilicet S. Scholasticam et Ss. Fundatores (quod falsum est): consequenter, Ss. Fundatores commemorandos ante S. Scholasticam (quod proinde et veritati minus consonat). Haec certa veritas: Die 11 Februarii occurrit festum Ss. Fundatorum; sed aliquibus locis faciendum est de Passione, consequenter Ss. Fundatores (*dup. min.*) ad simplicem ritum redigendi. Die ergo praecedenti, nempe 10 mensis, ad Vesperas, concurrentibus S. Scolastica et Passione, hoc festum, utpote potioris ritus, integras sumit sibi Vesperas, sola data commemoratione praecedenti, scilicet S. Scholasticae. Ergo Ss. Fundatores, cum officium integrum habere nequeant, neque primas Vesperas habere possunt, neque proinde concurrere. Iure merito igitur specimen Calendarii ponit primam commemorationem de S. Scholastica, quae concurrit, ante aliam de Fundatoribus, qui non concurrunt. Nullus ergo error est in calendarii specimine, quod optime dictas Vesperas disponit, ordinatque commemorationes.

I. *E Germania.* **De Officio Sanctae Mariae, in Sabbato, praeceptivo vel non.** Officium S. Mariae in Sabbato, est ne praeceptivum post officia ad libitum concessa?

Resp. Praefato dubio cl. A. Carpo sequenti modo respondet: " Officium S. Mariae in Sabbato a S. Pio V subrogatum fuit obligationi, quae antea vigebat, recitandi nimirum quotidie officium parvum eiusdem Deiparae una cum officio divino. Quapropter *ipsum est de praecepto,* nec nisi lato sensu nuncupari potest votivum,

quia nempe ab Ecclesiae voto ducit originem. *Consulito* Gavant. Sect. 8, cap. 6 *(Biblioth. Lit. pars secunda, n. 207)*. „ Haec autem doctrina citati Gavanti indubie est, uti oculis nostris perspeximus.

Advertas nihilominus, impraesenti pluribus Communitatibus concessum fuisse privilegium, vi cuius in omnibus Sabbatis, quibusdam exceptis, officio novem lectionum non impeditis, officium Immaculatae Deiparae recitare valent. Praeterea omnes et singuli ad officium divinum obligati, post Decretum *Urbis et Orbis* a Leone Papae XIII datum d. 5 Iul. 1883 in omnibus Sabbatis, quibusdam pariter exceptis, et uti supra non impeditis, recitare possunt etiam officium ad libitum de Deipara Immaculata. Patet ergo, tam illis quam istis favere praefatum Indultum; et consequenter pro iis officium S. Mariae in Sabbato esse non posse praeceptivum.

Attendenda etiam sunt duo Decreta sequentia, in *Panormitana* 27 Apr. 1697, et in *Tarvisina* 7 Februarii 1699, quorum dispositio est: " Officium semel in hebdomada concessum, recitari potest die Sabbati, si tota hebdomada sit impedita, et in tali casu omittendum est officium S. Mariae in Sabbato. „ Tetamus autem, Cavalerii quoque auctoritati innixus, haec ad rem animadvertit: Nota, quod Decretum procedit de officiis votivis nulli affixis diei ex praecedentibus Sabbatum. Licet autem in Decreto dicatur, praedictum officium reponi posse in Sabbato, si tota hebdomada fuerit impedita; non videtur tamen id necessarium, sed simpliciter officium S. Mariae in Sabbato non impedire officium votivum praedictum; et illa verba limitativa potius invecta fuisse in responsionem ratione petitionis exhibitae Sacrae Congñi, quae fortasse fuit: num officium semel in hebdomada concessum recitari possit die Sabbati, *si tota hebdomada*

sit impedita? (*Tract. I, Lib. II, pars I, n. 5*). Nihilominus tam Cavalerius quam Tetamus id negant de officiis votivis *pro prima die non impedita* concessis; quia in die prima, si libera fuerit, recitari debent, pro qua concessa fuerunt. Animadvertunt tamen, etiam officium votivum in hebdomada concessum, non convenire ut reponatur in Sabbato, si aliqua anterior dies sit libera, *ob respectum et obsequium SS. Virginis*, ne eius officium omittatur (*Loc. cit.*).

Quid vero de iis, qui ad chorum tenentur, sed quavis de causa choro non assistunt? S. R. C. respondet: " Detur Decretum 10 Nov. 1883 (*Alben. 12 Februarii 1884 ad VII*) „. Cum autem quaesitum explicite postulaverit, *utrum quilibet e Capitulo legitime absens a choro, possit private recitare officium votivum aut feriale pro lubitu*, et S. C. superius responsum dederit, facile inferes, Capitulares, etsi e choro absint, recitare non posse aliud officium quam quod recitatur in choro. Quia libertas iis tantum ex Indulto conceditur, *qui nullo canonico titulo ad chorum tenentur.* Tu vero oppones, Decretum *Urbis et Orbis* agere de privata recitatione, quae valet etiam pro individuis choro addictis, quando e choro absint. Sed responderi potest, negando assertum; primo, quia iuxta Decretum *Alben.*, pro singulis de clero, qui private recitare possunt officia votiva ad libitum, nonnisi illi intelligi possunt et debent, *qui nullo canonico titulo ad chorum tenentur:* secundo, quia chorales, etsi choro non intersint, ad chori calendarium tenentur, ut eorum recitatio una esse debeat, ad qualitatem quod attinet officii, cum recitatione totius corporis cleri, ad quod pertinent. Ceterum, acceptatione officiorum votivorum statuta iuxta praefatum Decretum *Alben.*, Communitati ab ea re-

cedere non licet; sed Communitas ex individuis constat: ergo neque istis ab eodem recedere licet.

Proinde Canonici, aliique omnes choro addicti, in Sabbatis non impeditis, quamvis choro non adsint, tenentur officium facere de S. Maria in Sabbato, si votiva officia non acceptarunt, et de Immaculata votivum facere, si votiva officia receperunt.

Ex quibus sequitur, officium S. Mariae in Sabato, severe loquendo, non posse dici *absolute* praeceptivum, quod cum Gavanto superius docuit a Carpo, quem retulimus; pro eo enim recitari quandoque potest aut debet officium aliud votivum, iuxta S. R. Congregationis Decreta.

CONSULTATIO

DE ORDINE IN COMMEMORATIONIBUS SERVANDO

AD UTRASQUE VESPERAS

Ne minus comes esse videamur, praesentem non renuimus in nostris paginis inserere articulum, licet de re iam pluries pertractata, ac nihil propemodum novi habentem. Nequivimus nihilominus, quin opportunis locis notas adderemus, quibus aliqua a veritate aliena revelabuntur, et obiectis, quamvis consultationum instar propositis, satis fiet.

Nescio an me fugiat vera generalis decreti intelligentia nuperrime in lucem editi relate ad ordinem tenendum in agendis commemorationibus ad Vesperas. Sed illud non videtur quadrare cum Rubricis neque cum variis Decretis, neque cum principiis Liturgiae

certis. Quapropter *Ephem. Liturg.*, maxima auctoritate pollentes in orbe terrarum, si meas in hac parte voluerint illuminare tenebras, non solum mihi, at imo innumeris suis Lectoribus rem pergratam facient (1); et favente earum auxilio, Kalendarium unusquisque poterit pro anno 1896 in tuto construere (2).

1ª Difficultas.

Rubrica aperte docet quod semper (3) Dominica praeferri debet omni festo semiduplici, tam in occurrentia quam in concurrentia ad utrasque Vesperas. Testis est Titulus IX, n. 11, ubi legitur: *" quando contingit fieri plures commemorationes* (4), *servetur hic*

(1) Id supponit cl. Academicus noster, sed veritati non consonat; plures enim periti de praefati Decreti dispositione scripserunt nobis, sibi gaudentes et S. R. Congregationi gratulantes, quod per illud Decretum, et Rubricis non oppositum, et earum spiritui inhaerens, rectoque liturgico sensui plane conforme, universas fere quaestiones, quae Liturgicos hactenus exagitavit, veluti uno verbo resolvit.

(2) Dispositio Decreti satis est perspicua, neque responsiones nostrae in id influere vel minimum possunt; quomodo ergo, post has solummodo, unusquisque poterit pro anno 1896 Calendarium in tuto construere? Candida simplicitas deficere videtur.

(3) Li *semper* non est a Rubricis, sed ab obiiciente additum; et ipsae nusquam docent, commemorationem Dominicae praeferendam esse *semper* commemorationi semiduplicis cuiuscumque.

(4) Distingue cum Decreto, et concordabis: « Quando contingit fieri plures commemorationes, servetur hic ordo, De Dominica ante festum semiduplex »: si commemorationes sunt eiusdem ordinis, *concedo*, secus *nego*. Eadem adhibita distinctione in Rubrica post tabellam concurrentiae, eam cum Decreto concordare nullius negotii res est.

ordo: de Dominica ante festum semiduplex „. Testis quoque Tabella concurrentiae, ubi similiter legitur: “ *cum plures fiunt commemorationes, servetur hic ordo: De Dominica, de Semiduplici* „. Quod ita est ad mentem Tituli I: “ *Semiduplici festo concurrente cum Dominica, a Capitulo fit de sequenti et commemoratio praecedentis* „, et vice versa: “ *Dominica concurrente cum sequenti festo semiduplici, omnia de Dominica cum commemoratione sequentis* (1) „, ut Academia Liturgica in *Ephem. Liturg.* anni 1891, pag. 688, sine ulla haesitationis specie et velut axioma proferat: “ *nulla ratio cohonestare valet praelationem semiduplicis alicuius sancti in conflictu cum semiduplici dominicali* „, et cl. noster doct. Piacenza, qui putat Congregationem per suum decretum favere eius doctrinae, non aliter sentiebat anno 1888, pag. 229 et 625. Nulla ergo in hac parte dissidentia (2).

---

(1) Rubrica, quae hic ponitur, nullam, ne apparentem quidem, oppositionem dicit Decreto. Quaeri interim potest, si Dominica *semper* praeferenda est semiduplici, uti adm. Rev. consulens falso asserebat, qua de causa, semiduplici concurrente cum Dominica, huic integras non tribuunt Vesperas Rubricae, sed tantum *a capitulo*. Respondebis, quia Dominica non habet psalmos in primis Vesperis. Sed subsumo: quare cum de 7mo infra octavam die actum est, si de Dominica maiori agendum est, psalmos haec mutuat a Sabbato? Repones, quia dies infra octavam absoluti sunt, et de die octava fieri non potest, hinc necessitas sumendi e Sabbato Vesperarum psalmos. At subsumitur cum Guyeto et aliis, optime posse fieri de infra octavam, ob rationes, quas notas supponimus; et nihilominus Rubricae praeferunt semiduplicem Dominicae quod Vesperas attinet. Qua de ratione, nisi quia concurrit? Inferes Rubricis, maxime earum spiritui, nullo pacto opponi, si cum de semiduplici aut simplici concurrente agatur, et de Dominica quae concurrere non valet, quia ad instar simplicis redacta, illud huic praeferatur.

(2) De sentiendi ratione seu *Ephemeridum*, seu Doct. Piacenza nolumus tempus terere: Roma locuta est, et causa finita est, adeo ut unusquisque nunc debeat praefato se conformare Decreto.

Poterit ne autem haec rubrica subsistere cum decreto 5 Februarii 1895 (1)? Perpendant *Ephemerides Liturgicae*, inter multos casus, unum qui apud nos eveniet anno proximiori 1896. Die 20 Iunii, in Sabbato fiet de Conceptione Immaculata *semid.*; in Dominica, de S. Aloysio Gonzagae *Dupl.*; et in feria II, de S. Paulino, *simpl*, (2).

Si servetur decretum noviter editum, videtur quod in Sabbato Vesperae erunt de S. Aloisio cum 1ª Commemoratione de Conceptione Immaculata, et postea tantum de Dominica: quod non concordat cum Rubrica supra relata; et item in Dominica, Vesperae erunt de S. Aloisio cum 1ª commemoratione S. Pau-

---

(1) Maxime, respondemus; et facta superiori distinctione, negotium omnino patescit. Hinc cl. Coadiutorem nostrum lacessere audemus, ad demonstrandum: quo loco Rubricae praedicent, commemorationem Dominicae, ad instar simplicis redactae, de qua tota quaestio, praeferendam esse commemorationi semiduplicis, quod concurrit. Praemonemus tamen, hanc legem esse debere ex Rubrica, non ex ratiocinio; quia pro nobis sapientius quam omnes credimus ratiocinatum fuisse S. R. Tribunal in edendo Generali Decreto.

(2) Exemplum adducitur tot aliis iam adductis prorsus simile, ut oppositio ostendatur inter Rubricam et Decretum. Fit in Sabbato de Immaculata (*semidupl.*), faciendum in Dominica sequenti de S. Aloisio Gonzaga (*dup.*): et in feria II de S. Paulino (*simp.*). Nunc autem, centena vice repetitur, in Sabbato post Vesperas de S. Aloisio facienda esset prima commemoratio de Immaculata, secunda de Dominica, iuxta Rubricam, tertia de S. Paulino: dum e contra iuxta Decretum prima com. esse debet de Immaculata, secunda de S. Paulino, tertia de Dominica. Quomodo ergo Rubricae cohaeret Decretum? Et nos pro centena vice repetimus, falsum esse primam commemorationem in casu, post aliam de Immaculata, esse debere iuxta Rubricam de Dominica; quia Rubrica superius citata legem exhibet generalem super commemorationi-

lini, et postea tantum de Dominica, quamvis Rubrica aliter rem disponat, ut ex antea dictis prorsus liquet.

Hinc, ni fallor, superest ut *Ephem. Liturgicarum* sapientia viam conciliationis nobis adaperiat, et propugnando simul et Rubricam et Decretum, problema scientifice resolvat (1).

2ª Difficultas.

Rubrica, statuendo ordinem servandum cum plures fieri debent commemorationes, solum attendit, tam in Titulo IX, n. 10, quam in Tabella concurrentiae, ad ritum et nobilitatem officii, independenter ab omni privilegio quod potest superaddi illi. Qua de causa, volendo ut de Duplici, *licet agatur tamquam simplex*, fiat ante Dominicam, de Dominica ante festum semiduplex, de semiduplici, *etiam quando reducitur ad modum simplicis*, ante diem infra Octavam, de die infra Octavam ante ferias Adventus, etc., et de dictis feriis ante

---

bus eiusdem ordinis, non vero diversi ordinis. Atqui in casu habentur commemorationes diversi ordinis, videlicet officiorum concurrentium et non concurrentium; illae autem commemorationes potiores sunt istis, et consequenter sunt praeferendae iuxta Rubricam, quam S. R. C. authentice interpretatur per Decretum. Ergo, iuxta Rubricam et Decretum com. Dominicae in casu postponenda est commemorationi S. Paulini, et sapientissime; quia tam Dominica quam S. Paulinus sunt in casu simplicis ritus, sed hic concurrit, illa non concurrit in Vesperis; ergo primo commemorabitur S. Paulinus, postea Dominica.

(1) Hinc patet Rubricam et Decretum optime inter se cohaerere, et problema, quod non satis arduum iudicamus, esse a longo iam tempore resolutum.

festum simplex, haec duplex Rubrica nonnisi casus ordinarios comprehendit et — res forsitan nimis oblita in discussionibus Doct. Piacenza cum cl. Lafrasse — non ergo respicit officia privilegiata, ut Dominicas 1[ae] et 2[ae] classis, etc. (1), et sedulo itaque proscribenda sunt in praesenti de exemplis proponendis. Aliter unusquisque posset transire de casu ad casum, et omnis discussio evaderet impossibilis vel in confusionem abiret.

His positis, in quadam dioecesi supponimus celebrari debere Festum SS. Cordis B. M. V. *Dupl. mai.* in die 6 Iunii 1896, quatenus primo sabbato Iunii adnexum, et idcirco simplificari festum S. Norberti, *Dupl.* Quomodo ordinabuntur Vesperae Sabbati, si in die sequenti fiat de Dominica cum commemoratione Octavae Corporis Christi?

Cum ex Rubrica agendum sit de Duplici, licet agatur tanquam simplex, ante Dominicam (2), in

---

(1) Convenire non possumus, sed neque debemus. Praelatio in casu a ritu rationem sumit primo, secundo a dignitate officii. Hinc duplex, licet simplex factum praeponitur generaliter semiduplici Dominicali, hoc praeponitur semiduplici Sanctorum, semiduplex Sanctorum semiduplici de infra octavam etc. Atqui Dominica privilegiata est dignior aliis Dominicis, sed par est ritu; ergo falso asseritur, dictam Rubricam eiusmodi Dominicas non comprehendere. Nonne et Dominicae privilegiatae, saltem 2 classis, redigi possunt ad instar simplicis ob occurrens festum 1 classis? Et tunc nonne huiusce Rubricae sequuntur legem? Vel quam aliam legem sequi debent? Non sufficit asserere, sed probandum: interim absolute negamus assertum.

(2) Supponuntur ordinandae Vesperae diei 6 Iunii quod incidit in Sabbatum: in quo fit de SS. Corde B. M. V., redacto ad ritum simplicem S. Norberto, cum die sequenti faciendum sit de Dominica cum com. octavae Corporis Christi. Sequenti autem modo

Vesperis SS. Cordis B. M. V. videtur quod 1ª Commemoratio habenda sit de S. Norberto, non obstante eius simplificatione, quia duplex est (1); 2ª de Dominica, et 3ª de Octava Corporis Christi. Sed si attendatur ad decretum, 1ª Commemoratio erit de Dominica, 2ª de S. Norberto, ritus quanquam Duplicis, quia simplificatur, et 3ª de infra Octavam.

Quapropter ego, in hac tanta perplexitate, ad *Ephem. Liturgicas* recurro ut fiat lux, et Kalendaria iam possint bene ordinari ad mentem tam Rubricarum quam huius decreti (2).

---

ordinat: Vesperae de SS. Corde, et prima com. de S. Norberto; quia de duplici, etsi ad instar simplicis redacto, facienda est commemoratio ante Dominicam, iuxta Rubricam. Sed repetimus modum hunc Vesperas ordinandi esse mendosum iuxta Rubricam; quia de duplici etsi redacto ad instar simplicis agendam esse commemorationem ante Dominicam, quando et haec reducitur ad instar simplicis, ita ut ambo sint in eadem conditione simplicium, *concedo:* eodem vero agendum esse modo quando Dominica est semiduplex, et duplex factum est simplex, *nego.* Ratio eadem est semper, quia in primo casu nec S. Norbertus nec Dominica concurrit: in altero autem S. Norbertus non concurrit sed concurrit Dominica, quae proinde et illi est praeferenda iuxta Rubricam.

(1) Falsum est: videlicet, S. Norbertus est dup. sed factus simplex, Dominica autem est semiduplex. Dicat ergo Rev. Academicus noster, ubi Rubrica doceat, festum duplex ad instar simplicis redactum, praeferendum esse Dominicae, licet de ea uti semiduplici agendum sit.

(2) Perplexitas ergo cesset, lux splendet, et apprime Calendaria ordinari possunt: quod ceterum solo cum fulgore Decreti optime obtineri iam poterat.

3ª Difficultas.

Rubrica, in Titulo XI, n. 10, declarando sub forma exempli influxum officii privilegiati *in concurrentiam*, eius actionem restringit et limitat super *sola officia in eo occurrentia* (1), et merito: quia privilegium nondum existit ad primas Vesperas, et ad secundas iam cessavit: unde per nullam partem attingere valet officia quae pertinent ad alteram diem sive praecedentem sive sequentem, et propterea non aliter tractanda sunt ac si concurrerent cum officio ordinario. Hinc tota huius Tituli oeconomia est facere ut ordo Commemorationum, qualis habetur in occurrentia pro officiis *in diem privilegiatam* incidentibus, talis habeatur in concurrentia, quemadmodum pro officiis quae praecedunt aut sequuntur diem privilegiatam, resultat ex Tabella concurrentiae eumdem quoque servari ordinem tam in concurrentia quam in occurrentia, vi solius eorum ritus, vel habita tantum ratione ad ritum quo descripta sunt in Kalendario; et proinde scopus huius Rubricae est reducere legem Commemorationum ad unitatem, quae certe laesa fuisset, (tribuendo verbi gratia Vesperas alicui Duplici, quod in crastino tamen postponi debet alicui Dominicae, quatenus privile-

(1) Non tamen diffitebitur cl. Academicus, agi in casu de feria privilegiata de qua agendum est, et de simplici in ea occurrente. Quemnam ergo influxum habere potest in concursu feria super officium simplex, de quo agi non potest? Ceterum aufert ab eo ius ad primas Vesperas, quia eius officium ad nihilum redegit. Hoc autem significat, feriam influxisse in occurrentiam officii nobilioris, et propter hoc etiam in concurrentiam, iuxta citatam Rubricam: contra id quod sustinet cl. Academicus noster.

giatae seu 1[ae] vel 2[ae] classis), si privilegium non attigisset saltem *indirecte in concurrentia*, et quasi per viam retroactivam officia *in sua propria die* occurrentia simplificasset ad Vesperas, nonobstante eorum ritu nobiliori (1).

Hoc bene comprehenso, officia tam de die praecedenti quam de die sequenti admittuntur ad concurrentiam iuxta ordinem quem retinent tota die ad occurrentiam, nec plus, nec minus (2). Omnia ex utra-

---

(1) Itaque influxum privilegiati officii ad solam occurrentiam *directe* restringi, non autem ad concurrentiam aliorum officiorum, verum est: uti quoque admittendum, illum se etiam extendere, *indirecte* tamen, ad ipsam concurrentiam. Hinc duplex minus occurrens in feria IV Cinerum redigitur ad instar simplicis: en influxus in occurrentia; sed neque Vesperae propter hoc de eodem duplici, sint primae sint secundae, haberi possunt: en in concurrentia influxus, directus ille, iste indirectus: ille est causa, iste est effectus. Hoc autem idem est ac dicere, influxum officii privilegiati causare in occursu depressionem officii nobilioris; et eadem de causa consequenter deprimi officium idem nobilius in concursu, cum ius ad Vesperas nobiliori officio ab influxu praefato adimatur, adeoque non possit concurrere. At prorsus non videmus scopum Tit. XI reducendi ad unitatem legem commemorationum, de qua ne verbum quidem in toto Titulo, scopum, inquam, quem videt cl. Academicus noster. Namque singulos numeros perpendenti facile patebit, Rubricam de duobus continue et solum festis loqui, ex quibus, aut alterum integras habet Vesperas, et alterum commemorationem vel nihil: aut alterum dimidiat Vesperas cum altero.

(2) Hic dicendi modus, *nec plus nec minus*, quid nimis sonat. Certe ordo commemorationum tenendus in occursu, retinendus est et in concursu; at respectus necessario ad officium de quo actum est vel agi debet, negligi omnino nequit. Hoc si addatur, libenter concedimus quae ibi dicuntur.

Pone in Sabbato ante Sexagesimam factum fuisse de duplici, et in ipsa Dominica sequenti duplex ad simplicem ritum redigendum occurrere: quomodo Vesperas ordinabis? Integrae de

que parte vellent habere Vesperas (1); sed modo unum dumtaxat, attingit metam et sibi totas vindicat Vesperas cum simplici mentione honorabili pro aliis; modo duo, *ex aequo* ad metam perveniunt et ideo inter se dimidiantur Vesperae cum simplici mentione honorabili pro caeteris. In hoc ultimo casu, semper prima commemoratio est de praecedenti; sed in altero, cum quaelibet alia gaudeant mera et simplici commemoratione (2), 1ª Commemoratio pertinet ad officium quod,

---

praecedenti duplici erunt Vesperae; sed quaenam prima commemoratio? Certe de Dominica, ita disponente Decreto *Nitrien.* d. d. 15 Nov. 1890 ad 2. Quare? Primo, quia concurrit Dominica, licet semiduplex: non concurrit duplex sequens, quod ad instar simplicis est redigendum. Secundo, quia ordo habendus in occursu, etiam in concursu retinendus: sicut ergo duplex simplex factum repugnat ut primas habeat in occursu, ut idem teneatur ordo postponetur et in concursu. In hoc convenimus.

(1) Si agatur de omnibus duobus officiis, ex quibus alterum factum est, alterum faciendum, quod asseritur concedimus; si vero de aliis verbum sit, quae redacta ad ritum simplicem fuerunt, assertum toto iure negamus. Quomodo enim haec officia habere vellent Vesperas, si non habuerunt officium? Ad rem facit Rubrica (*Tit. XI, n. 10*), quae docet: *Festum..... quod non habeat officium, nec etiam convenit illud habere..... Vesperas.* Si ergo ius ad Vesperas illi non est, inaniter illas optat, immo oppositum iure praesumendum.

(2) A cl. Academico nostro petimus: Unde ex Rubricis constat, primam commemorationem competere concurrenti officio, si psalmos Vesperarum habuit, non competere ex opposito, si eosdem psalmos non habuit? Hoc ex lege probandum est, non asserendum tantum; credimus enim, psalmos habere Vesperarum, et ius ad illos, in casu idem prorsus esse. Hinc quae sequuntur circa praemium in athaenei concursu obtinendum, recte non procedunt. Ratio est, quia officia quae recoluntur, et quae tantum uti simplicia commemorantur, in dispari conditione versantur: ut sicut haec nequeunt ius habere ad Vesperas, quod illa habent, ita nequeant et praecedentiam super illa possidere quoad commemorationem.

sublato obice, haberet Vesperas aut Capitulum, 2[a] ad officium quod concurrens cum praecedenti haberet Psalmos Vesperarum, et sic deinceps. Differentia inter casum ubi dimidiantur Vesperae, et casum ubi unum sibi totas vindicat Vesperas, provenit ex eo quod in priore alterum concurrens non habet solum commemorationem sed habuit insuper Psalmos (quod facit illud prae caeteris esse melioris conditionis), dum in posteriore singula non habent plus quam meram commemorationem, et ideo illud absolute primas tenet, quod postea magis appropinquat Vesperas, sicut uno suppresso secundum praemium in Athaenei concursu fit ipso facto primum, quia post primum nullum est quod plus iuris ad hoc habeat. Quando dimidiantur Vesperae, alterum concurrens complet quod deest Vesperarum in posteriore, quod a Capitulo incipit, et cum iam compleri debeant Vesperae antequam ulterius progrediendum sit, ita prima commemoratio nonnisi de praecedenti esse potest. Sed quando Vesperae iam complentur per unum de duobus concurrentibus independenter ab altero, nihil refert utrum prima commemoratio stet ex ipsa parte officii quod gaudet Vesperis integris, nec ne; nulla per hoc laeditur Rubrica, et sicut pro illis qui, in duplicem divisi seriem ex adverso stantem, currunt in stadio, post bravium victori concessum non ideo prima honorabilis mentio pertinet ad seriem oppositam, sed qui post victorem in eadem serie venit comparatur cum primo alterius seriei, et de pleno iure ei ex alterutra serie adiudicatur qui magis metam post victorem appropinquavit; ita in casu officium quod post illud fruens Vesperis in eadem serie venit, comparari debet cum primo alterius seriei concurrentis, et adiudicari nequit prima commemoratio nisi ex alterutra serie officio quod post alterum Ve-

speris gaudens magis Vesperas appropinquat, sibi vindicando, amoto priore, aut Vesperas integras, aut Capitulum (1). Hoc dictitat simplex ratio; unde nescio quomodo supradicta conciliare cum novo decreto.

Sumamus exemplum a patronis controversiae allegatum. Anno 1894 nuper elapso, in quadam dioecesi, recolebatur festum Sacrae Familiae *Dupl. mai.* in die 21 Ianuarii, et propterea simplificata fuerunt et officium S. Agnetis *Dupl.* et etiam per privilegium Dominica Septuagesimae. Quum die 20 Ianuarii celebraretur festum S. Liberatae *semid.*, inquiritur quomodo ordinandae erant Vesperae in Sabbato?

Ante omnia, cum officia uniuscuiusque seriei non concurrere debent nisi iuxta eumdem ordinem quem habent in occurrentia, iam oportet hunc ordinem determinare, et per viam consequentiae tunc certe non laedemus Rubricam Tituli XI, n. 10, et facilius omnia ad mentem eius faciemus. Porro in occurrentia habebimus: 1° Festum S. Familiae, 2° Septuagesima, 3° S. Agnes. Ergo pariter hic ordo servabitur pro concurrentia cum S. Liberata quae stat sola ex parte adversa (2).

---

(1) Speciosa paritas de iis qui in stadio currunt; sed officia redacta ad instar simplicium vi currendi destituuntur, propter quod tota argumentandi ratio plane ruit.

(2) Huiusmodi ratiocinandi modum ecquis intelligere valet? Supponitur die dominico officium fieri de Sacra Familia, proindeque ad simplicem ritum redacta esse duo officia, nempe Dominicae Septuagesimae et S. Agnetis eodem die occurrentia, cum in Sabbato actum sit officium semiduplex S. Liberatae. Dicitur autem haberi in occurrentia 1. Sacra Familia, 2. Dom. Septuagesimae, 3. S. Agnes: gratias agimus. Sed S. Liberata occurrit Sabbato praecedenti, de eaque factum est officium, ac proinde ius habet ad secundas Vesperas, quo destituuntur Dom. Septuagesimae et S. Agnes. Hinc ordo servandus in occurrentia die dominico, in

His positis, S. Liberata pugnat 1° loco cum festo sacrae Familiae ad Vesperas obtinendas, sed prorsus debellatur, et omnia fiunt de Duplici maiori, teste n° 4 Tituli XI. Restat igitur ut comparetur 2° loco, ad primam commemorationem habendam, cum Septuagesima quae, seposito festo S. Familiae prior stat ex parte altera. Sed relate ad officia diei antecedentis aut sequentis, quum Septuagesima in concurrentia habeatur ut Dominica communis et ordinaria, nonnisi ex aequo, ut ita dicam, obtinet commemorationem hanc cum S. Liberata. Quia autem, si ageretur de Vesperis inter se dimidiatis, Dominica haberet Capitulum et S. Liberata commemoraretur postea, teste n° 4 eiusdem Tituli XI iam praecitato, ita mentio prima ad mentem huius Rubrieae tribuitur Septuagesimae, et secunda pertinet ad S. Liberatam, minime vero ad S. Agnetem, quia nonobstante Septuagesima, S. Liberata dimidiaret Vesperas et iam compleri debent Vesperae antequam ulterius progrediendum sit: dum S. Agnes, stante Septuagesima, non plus habere valet in casu quam meram commemorationem, et proinde venit 3° loco sine pugna,

---

quo abstrahitur a S. Liberata, servari non poterit in Sabbato, in quo ab eadem Sancta abstrahere nequis: quippe quae pugnat cum Sacra Familia, cum qua nec Dominica Septuagesimae pugnat, nec S. Agnes. Ratio est supercitata Rubrica, quae praedicat Vesperas non posse fieri de eo, de quo officium non potest fieri.

Verum ergo est S. Liberatam concurrere et vinci a Vesperis Sacrae Familiae; sed falsum est, illam esse propter hoc comparandam cum Dominica Septuagesimae, quia haec ad Vesperas ius nullum habere potest iuxta Rubricas; ergo neque praecedentiam quod attinet commemorationem.

deficiente parte adversa (1). Haec bene notent Dom. Lafrasse et Doct. Piacenza, ut videant in quo non concordamus cum suis respective dictis, anno 1893, pag. 684 et 688, et anno 1894, pag. 35 et 472. Anomalia quidem est apud unum ut S. Liberata reiiciatur post S. Agnetem, sed apud alterum anomalia est ut S. Liberata ponatur ante Dominicam (2); et haec ordinatio discrepat cum Rubricis, quae ubique praeferunt Dominicam Semiduplici.

Quamobrem, videns ex altera parte quod novum decretum in casu proposito me obligat tamen ad com-

---

(1) Vires deficiunt in S. Liberata quoad Vesperas, at non deficiunt quoad ius ad illas; sed in Dominica Septuagesimae et S. Agnete vires deficiunt et quoad Vesperas et quoad ius ad illas. Inutile autem est dicere: si ageretur de Dominica, Vesperae dimidiarentur, et S. Liberata commemoraretur post Dominicam; quia revera hypothesis non subsistit, et Dominica nec Vesperas habet, nec ius ad illas. Nos enim quaerimus, quid sit agendum casu quo non fit de Dominica, non vero quid fieret, si de eadem ageretur. Ergo S. Liberata ponenda ante Dominicam, et non postea. Rubrica autem quae praefert Dominicam semiduplici ad simplicem ritum redacto, ita est intelligenda, ut ei praeferenda sit, quando tam Dominica, quam semiduplex paris sunt conditionis, quando nempe utrumque redigitur ad instar simplicis, et neutrum concurrere potest; sed quando alterutrum concurrit, primas habere debet prae alio. Hic est sensus Rubricae post Decretum Generale recens; illoque posito, Decretum et Rubrica apprime cohaerent, et conciliatione non indigent.

(2) Anomalia apparens, nullo pacto vera. S. Liberata pugnat cum S. Familia ab eaque debellatur; sed debellari non potest Dominica Septuagesimae, quippe quae vi pugnandi carens. Illa ergo potior est ista, et pumilioni assimilari potest, certamen ineunte cum gigante, a quo fortiori ad terram proiicitur; sed Dominica Septuasimae, sit gigas in casu, fractus est viribus, adstat pugnae, quam committere non valet, quo proinde melioris est conditionis ipse pumilio.

memorandum S. Liberatam ante Dominicam, seu officium quod haberet Psalmos ante officium quod haberet Capitulum, peropto ut *Ephem. Liturgicae* concilient utrumque in veritate, conformiter tam decreto quam Rubricis (1).

4ª Difficultas.

Generale decretum super festis primariis et secundariis nequit contradicere decreto generali *Commemorationum ad Vesperas*, et vice versa; sed plura evenient apud nos in proximiori anno quae tamen inconciliabilia videntur (2).

Verbi gratia, die 26 Aprilis in qua simul occurrent Dom. III post Pascha et festum Ss. Cleti et Marcellini *semid.*, celebrabitur Patrocinium S. Ioseph, et feria II fiet de Ss. Angelis *semid.* Si decretum sequar super commemorationibus, in Vesp. Patrocinii, 1ª Com. erit de Ss. Angelis (licet secundarium); 2ª Dominicae quae tamen praeferri debet omni semiduplici (3); 3ª Ss. Cleti, etc., licet primarium festum. Sed contra, si attendam ad decretum super festis primariis, 1ª Com. erit de Dominica conformiter ad Rubricam, 2ª Ss. Cleti etc., si tamen officia votiva comprehendantur in decreto citato, et 3ª Ss. Angelorum, quatenus secundarium (4).

---

(1) Rubricam interpretetur Academicus noster, uti superius docuimus, et tam illa quam Decretum apprime cohaerebunt.

(2) Indubie contradicere non debet, sed neque contradicit Decretum de primariis et secundariis festis cum generali Decreto.

(3) Falsum est, nisi distinguas: semiduplex Dominicale praefertur semiduplici Sanctorum quando utrumque paris est conditionis, secus praevalet semiduplex melioris conditionis.

(4) Inconveniens est hypotheticum, nam agitur in allatis exemplis de festis ad simplicem ritum redactis, seu de semplicibus;

Item, die 2 Augusti, fiet de S. Alphonso *Dupl.* simul occurrente cum Dominica X post Pentecosten, et in feria II de Inventione S. Stephani, *semid.* Porro vi decreti super Commemorationibus, in Vesp. S. Alphonsi, 1ª Com. erit de sequenti, quamvis sit secundarium, et postea tantum Dominicae, licet contrarium doceat Rubrica, etiamsi foret primarium. Sed vi decreti super secundariis festis, 1ª Com. erit de Dom. et 2ª de sequenti, conformiter ad Rubricas (1).

Quomodo facere, ut non existat huiuscemodi anomalia? Respondeant, quaeso, *Ephemerides Liturgicae*, et cum reverentia accipiemus earum dicta semper sapientiam redolentia (2).

5ª Difficultas.

Axioma in Liturgia est, quod officium habens ius ad Capitulum melioris conditionis est quam officium ius habens dumtaxat ad Psalmos, et hoc ultimum

---

at plane indubium est, Decretum de primariis et secundariis festis festa simplicia, proinde etiam quae uti simplicia haberi debent, non respicere. Nonne autem officium semiduplex si concurrat, potioris est iuris festo simplici, quod concurrere nequit? Quid interest, si sit secundarium, quando simplex nec primarium est, nec secundarium?

(1) Idem dicas de exemplo hic allato; et Rubrica aut Decreta nusquam docent, commemorationem Dominicae uti simplicis praeferendam esse commemorationi de officio diei semiduplici secundario: recole quae superius diximus super vera intelligentia Rubricae [*V. Not.* (*1*) *pag. X*]. Eapropter quae hic asseruntur, ex arbitrio sunt deprompta, tantum ut astruatur incohaerentia inter Decretum et Rubricam; sed nullo solido fundamento innituntur, nullamque detegere valent anomaliam, ut prorsus sint reiicienda.

(2) Dicta satis esse credimus.

melioris iuris quam officium sibi simplicem commemorationem vindicans. Sed quomodo illud principium servabitur cum novo generali decreto? Non liquet (1).

Sit in exemplum: die 17 Sept. 1899, Dom. III Sept., occurret Festivitas septem Dolorum B. M. V., et ideo simplificabitur Impressio SS. Stigmatum S. Francisci *Dupl.* Cum in die 16 actum est de Ss. Cornelio et Cypriano *semid.* cum commemoratione de

---

(1) Axioma esse dicitur, officium ius habens ad Capitulum melioris esse conditionis quam aliud ius habens ad psalmos. Reponimus: axioma accipitur vel pro effato communiter recepto, vel pro certa evidentique veritate. Si primum, nos fatemur huiusmodi axioma a cl. Academico nostro pro prima vice prolatum legisse, nisi ab ipsomet quoque excogitatum dicendum sit: vel certe assertum ut verum probetur, exemplis demonstrandum esset, antequam illud admittere cogamur: interim negamus. Si alterum, in quo primum fundatur, aut falsum revelatur axioma, aut tam parvi valet, ut fere nihili reputandum sit. Sane, duo concurrunt officia in omnibus iuribus aequalia, alterum habet ius ad psalmos usque ad Capitulum, et postea ad commemorationem cum versibus et Oratione: alterum ius habet ad Capitulum, hymnum, versiculos, canticum et commemorationem cum Oratione. Quare autem hoc melioris dicendum conditionis quam illud? Vesperae dimidiantur, primum habet ius ad potiorem partem, quae ex psalmis constituitur, alterum ad reliquam partem, quae minoris est ponderis. Quo ergo sensu dicitur istud melioris, quam illud, conditionis? Arbitramur esse paris, non melioris conditionis, et toto iure; quia conditio huiusmodi fundatur in utriusque iuribus, quae cum sint aequalia in utroque, nonnisi aequalem conditionem gignere valent. Nisi sustinere velis, melioris conditionis appellari Vesperas a Capitulo, quatenus sunt primae; sed cum hoc ex necessitate oriatur, nihil vel fere nihil profecto valet eiusmodi conditio melior, ad probandum quod cl. Academicus probare contendit. Officium iure fruens ad integras vel dimidiatas Vesperas melioris esse conditionis quam aliud, quod iure tantum gaudet ad commemorationem, hoc intelligitur et veluti axioma teneri certe potest ac debet; sed

infra Octavam S. Nicomedis, Titularis meae ecclesiae, in Vesp. Sabbati habebimus totum officium de Festivitate B. M. V., et 1ª com. erit de Ss. Stigmatibus, 2ª de Dom., 3ª de praecedenti, et 4ª de infra Oct. Titularis iuxta hoc axioma, confirmatum a regula generali in 2ª difficultate relata, et a decreto 18 Dec. 1779 (1), formaliter statuente commemorationem sanctorum simplificatorum, de quibus in eo tantum agitur, faciendam esse in hoc ordine, scilicet: *de quo, secluso impedimento, celebrarentur Vesperae; de quo fieret Capitulum; de quo recitarentur dimidiae* ante quaslibet

---

duo officia, ex quibus alterum ad Vesperas usque ad Capitulum, alterum ad reliquum Vesperarum ius habet, disparis esse conditionis, hoc, inquam, nec potest nec debet admitti, et axioma tamquam falsum reiiciendum.

Inferes, exempla quae hic afferuntur, minus nihilo probare; et seu iuxta Rubricae pluries citatae authenticam intelligentiam, seu iuxta Generale Decretum super ordine Commemorationum in Vesperis, Dominica ad simplicem ritum redacta, quae concurrere non valet, non esse praeferendam semiduplici concurrenti in commemoratione.

(1) Res plane singularis, quae (parcat nobis adm. Rev. Fourneret), quamdam pertinaciam in proprio sentiendi modo detegit! Citatur Decretum antiquius, quod diversa ratione auctores interpretantur, et super cuius aequa intelligentia tandiu est disputatum: iuxta opinionem propriam explicatur et ab alia interpretatione abstrahitur, quae eidem opinioni adversatur: inde concluditur, non posse recens Generale Decretum servari sine contradictione. Haec ratiocinandi ratio graviter peccat, et emendanda est sequenti modo: Decretum antiquius, tot controversiarum causa, aut interpretandum est in favorem sententiae, quae distinguit inter impedimentum occurrentiae et impedimentum concurrentiae, ut prima commemoratio, post aliam diei, concurrentis officii esse debeat: aut revocatum censeri debet per novum recentius, cui citra controversiam standum est. Hoc profecto non implicat, et implicare non potest.

alias. Si autem nos unice stare volumus decreto super Commemorationibus recenter edito, in Vesperis Festivitatis B. M. V. 1ª Com. erit de praecedenti, quamvis semiduplex tantum, 2ª de SS. Stigmatibus, licet Duplex, 3ª de Dom. et 4ª de infra Octavam. Quod videtur implicare (1).

Item hoc anno 1895, festum SS. Rosarii incidet in diem 6 Octobris et simplificabitur festum S. Brunonis *Dupl.* cum Dominica occurrente. Dato quod in crastino fiet de S. Marco *simpl.*, duplex adhuc modus est ordinandi Vesperas. Attento nostro axiomate ab omnibus hucusque liturgicis melioris notae admisso, in Vesp. B. M. V., 1ª com. erit de S. Brunone, 2ª de Dom., 3ª de S. Marco, 4ª de SS. Sergio, etc. Sed iuxta novum generale decretum, 1ª Com. erit de S. Marco, licet simplex, 2ª de S. Brunone, quamvis Duplex, 3ª de Dom. quae tamem praefertur omni semiduplici, et 4ª de SS. Sergio, etc.

Ubi veritas est? Dicant *Ephem. Liturgicae* ad utilitatem redactionis Kalendariorum officiumque uniformiter recitandum, ita ut simul serventur Rubricae et decreta (2).

Scire credo unam vel alteram ex hic difficultatibus fuisse ad solutionem opportunam recenter propositam

(1) Sed non implicat iuxta superius exposita.

(2) Cum praefatum axioma nihili sit vel fere nihili faciendum, primus modus Vesperas ordinandi impraesenti mendosus est, et alter indubie admittendus. Hoc est: 1.ª Com. erit de S. Marco, licet simplex, quia concurrit: 2.ª de S. Brunone, quia licet duplex, est redactus ad ritum simplicem, et iuxta Rubricam nequit concurrere: 3.ª de Dominica, quia est semiduplex, et uti S. Bruno concurrere nequit, cum sit ad instar simplicis redacta. Haec est veritas, iuxta quam calendaria redigenda nunc sunt, et cui respondent Rubricae et Decreta.

Sacrae Rituum Congregationi. Interim urget redactio Kalendariorum, et multi cupiunt ad opus aggrediendum, *Ephemeridum* habere sententiam. Placeat igitur illustri earum Moderatori, si possibile est, quam primum respondere, et meos humillimae reverentiae sensus accipere (1).

A. Fourneret, *curé de Lannes*
ex Acad. Liturg. Romana.

Dissertatiuncula de Sacro Pallio

I. Pallium, si in materia sua consideratur, nihil aliud est quam fascia quaedam lanea albi coloris, sex crucibus nigris decorata, quae humeris et pectori advolvitur, cuius extrema aliquantulum defluunt, et quam super planetam deferunt Summus Pontifex, aliique quibus tale ius competit.

Pallia apud Latinos conficiuntur ex lana alba et quidem ex lana agnorum candidorum sine macula, qui in die S. Agnetis, in eiusdem ecclesia, via Nomentana, singulis annis offerri ad Missam solemnem et benedici solent ac in aliquo Sanctimonialium monasterio nutriri, dum tempus ipsos tondendi veniat. Ex horum autem lana contexta pallia in Basilica Vaticana a Summo Pontifice, in vigilia Natalis SS. Apostolorum Petri et Pauli benedicuntur et prope sacrum corpus B. Petri collocantur ibi assidue servanda, donec a Summo

(1) Nobis post hactenus dicta non remanet, nisi et nostros humillimae reverentiae sensus cl. Academico nostro reddere.

Pontifice alicui Antistiti mittantur. Utrum tamen antiquitus pallia ex lana semper conficerentur non consentiunt auctores, videtur tamen sententia negans praeferenda; nam Iohannes Diaconus apertis verbis refert S. Gregorium habuisse pallium ex bisso contextum. Olim cruces, quibus pallia ornantur, purpureae erant, raro nigrae, ut docet Georgius (1) et ut videre est in musivis S. Praxedis, S. Caeciliae et S. Mariae transtyberim; saeculo autem XIII iam declinante nonnisi nigrae fuere cruces pallii, eaeque numero sex, dum tempore Innocentii III quatuor tantum erant, ut ille docet Pontifex (de offic. miss.). Circa tamen numerum crucium, nihil videtur in primis Ecclesiae saeculis statutum fuisse, nam dum pallium S. Callixti Papae in musivo S. Mariae transtyberim quinque cruces praesefert, pallium SS. Cornelii, Cypriani, Sixti IV et Optati in caemeterio Callixti una tantum cruce insignitur.

Apud Graecos, licet antiquitus laneum fuisset pallium quod ὠμοφόριον et ἐπωμάδιον vocant, nunc tamen, ait (2) Vespasiani, aliqua ex pretiosa materia et praesertim aurophrygiata pallia alba quidem conficiuntur; color tamen albus in Orientalis Ecclesiae disciplina non ita rigorose praescribitur, ut aliquando non conficiantur pallia quae eiusdem coloris sunt, ac alia sacra indumenta. Apud Graecos pallium latius est et pendentes vittae sunt longiores, cruces vero rubei coloris sunt auro saepe

(1) Georgius Rhodiginus, De Liturgia Romani Pontificis, L. I, c. 25.

(2) Vespasiani, De Sacri Pallii origine, p. 10.

admixtae, et ovis figuram ea Pallii parte quae humeris respondet addere consueverunt.

II. Paucis his notionibus de pallii materia praehabitis, gradum nunc faciamus, inquirentes quaenam sit huius sacri indumenti origo. Auctores qui de hoc argumento scripserunt in tres plane inter se discrepantes abeunt sententias.

I^a Sententia. Pallium iuxta Baronium et Gagliardum est vestis sacerdotalis inducta ab Ecclesia ad imitationem Ephod et Rationalis, quae in veteri Legę a Summo Sacerdote adhibebatur. Haec autem sententia reiicienda videtur quia 1° nullo historico innititur fundamento, 2° Ephod et Rationale Iudaeorum aliam praeseferunt formam ac pallium, 3° Ephod et Rationale utebatur Summus Sacerdos ad significandum se esse mediatorem inter Deum et homines, dum pallium indicat iurisdictionem supraepiscopalem.

II^a Sententia. Iuxta Ruinart, Petrum de Marca, Van Espen et Berardi, pallium originem civilem habet, ex concessione nempe pallii imperialis facta ab Imperatoribus Summis Pontificibus. Ad tuendam hanc sententiam afferuntur: 1° documentum ex quo eruitur Constantinum Magnum donasse Beato Silvestro Papae superhumerale seu Lorum quo Imperatores ipsi decorabantur, et 2° Epistola 1ª Vigilii ad Auxonium Arelatensem Archiepiscopum, et 2ª epistola Gregorii Magni ad Brunechilden, ex quibus ostenditur pallium concessum non fuisse praedicto Auxonio et Syagrio Augustodunensi a Sede Apostolica, nisi habito assensu Imperatoris. Haec autem opinio acceptari non potest pluribus ex rationibus, quas summatim refert

cl. De Angelis (1) « Opinio omnibus argumentis est destituta, nam diploma illud Constantini est fictitium, et ante Constantinum Romani Pontifices pallio usi sunt. Neque aliquid probat quod Gregorius M. et Vigilius veniam imperialem petiissent antequam pallium aliquibus Archiepiscopis concederent; namque id fecerunt ne ullam calumniae occasionem praeberent, quod ad aliorum Regum auxilium petendum confugerent: agebatur enim de concessione pallii Archiepiscopis facta, positis extra fines imperii ..... Immo est incredibile hanc unicam vestem ut symbolum plenitudinis iurisdictionis ecclesiasticae Ecclesiam habuisse ex concessione imperiali, quasi illa iurisdictio ab Imperatoribus deflueret, cum contrarium semper Ecclesia retinuerit ». Non infiteor aliquando in ecclesiasticis documentis, ut v. g. in apostolicis litteris quo Episcopis aliquibus sacrum pallium conceditur, illud vocari *regale;* sed praeterquam hic dicendi modus non necessario intelligi debeat eo sensu quo illum intelligunt fautores sententiae quam impugnamus, animadvertendum est insuper plures esse dicendi modos, plures esse liturgicas formulas quae in ecclesia adhiberi coeperunt aliquo in tempore, quo vigebant opiniones quae sanae critices regulis non plane consonant, et deinde adhuc immutatae manent postquam compertum est auctores, qui illa primitus adhibuerunt, falsis documentis, corruptisque traditionibus deceptos fuisse. Exemplum manifestum habemus in lectionibus historicis S. Silvestri Papae, ubi adhuc legitur illum Pontificem sacro baptismate tinxisse

(1) Praelectiones Iuris Canonici. T. 1, p. 1, p. 164.

Constantinum imperatorem, dum Natalis Alexander, Papebrochius, Antonius Pagi, Emus Hergenroether et Alexander Cinti testimoniis innixi Eusebii, Socratis, Sozomenis et Theodoreti docent illum principem baptizatum fuisse Nicomediae, et quidem iuxta aliquos ab aliquo Episcopo Ariano (1).

III^a Sententia. Verior sententia est quam tuentur Vespasiani et Santi.

Apud Graecos et generatim apud Orientales pallium vestis erat quae super tunicam adhibebatur, ut apud Romanos toga. Primo autem Ecclesiae saeculo frequentissimus pallii usus per orbem, per ipsam Italiam et in Urbe etiam evaserat. Mos autem apud Orientales et a remotis usque temporibus erat ut, aliquo viro sancto demortuo, eius successor pallium eiusdem mortui viri assumeret sive obsequii caussa, sive ut ostenderetur auctoritatem dignitatemque mortui in successore perseverare. Sic in Libro Regum vidimus Eliseum assumpsisse Eliae pallium; ex Sancto Hieronymo in vita S. Pauli scimus Athanasium Alexandrinum episcopum S. Antonio proprium tradidisse pallium, illudque Paulo ipso postulante ad suum corpus pro sepultura obvolvendum fuisse adhibitum: Liberatus Diaconus in Historia Nestorianorum et Eutychianorum cap. 20 habet: « Consuetudo est Alexandriae, illum qui defuncto Episcopo succedit, excubias super defuncti corpus agere, manumque dexteram eius capiti suo imponere, et sepulto manibus suis, accipere collo suo beati Marci pallium, et tunc legitime sedere ». Ex quodam tandem

(1) Cf. Cinti — Historia critica Ecclesiae Catholicae — Vol. II. Par. I. Cap. I.

sermone de Epiphania Eusebio Caesariensi adscripto, deducitur B. Linum assumpsisse pallium S. Petri atque ita habuisse signum plenitudinis potestatis primatialis in universa Ecclesia. « Quapropter, ait cl. Santi (1), pallium quod fuerat vestis usualis et communis B. Petri coepit esse typus, signum et ornamentum ecclesiasticum, significans conservationem potestatis primatialis Petri in successoribus eius ». Progressu temporis, concessa a Romanis Pontificibus aliquibus Episcopis parte iurisdictionis supraepiscopalis exercendae in alios Episcopos, eisdem mitti coeperunt quaedam fasciae pallii B. Petri, ut indicaretur illorum potestatem supraepiscopalem esse participationem potestatis primatialis Petri residentis in Romano Pontifice. Consumpto autem tractu temporis pallio B. Petri, ne ipsa significatio simul evanesceret, inductum est ut fasciae quaedam ex lana conficerentur quae concedendae essent Episcopis maioribus, et repraesentarent fascias illas, quae primitus desumebantur ex pallio S. Petri. Cf. Santi (loco citato).

III. Ex iis quae hucusque de origine pallii diximus patet illud, si formaliter consideretur, definiri posse: ornamentum ecclesiasticum de Corpore B. Petri desumptum, a Romano Pontifice Maioribus Episcopis concessum, exprimens potestatem supraepiscopalem. Quae definitio tamen soli Pallio Pontificio convenire potest; dixi soli Pallio pontificio, nam cum tali Pallio confundendum non est pallium Orientalium, quod in praesenti saltem disciplina merum est ornamentum episcopale nihil

(1) Praelectiones Iuris canonici L. 1. Tit. VIII.

aliud significans quam pastoralem sollicitudinem, quam de ovibus sibi commissis Antistites habere debent. De huius pallii origine haec habet cl. Vespasiani (1). « Plurimae Ecclesiae Orientis per ipsos Apostolos vel eorum discipulos constitutae fuerunt: proinde ad eorum recolendam memoriam subsequentes Antistites Pallium gesserunt ad pallii Apostolici formam simile: hinc S. Marci Pallium, quod Alexandrinos Antistites sumpsisse ex Liberato vidimus: S. Iacobi pallium quod ex urbe Hierosolymitana, cum Mohamedanorum potentia in dies augeretur, ad Ignatium Constantinopolitanum Patriarcham delatum est: Antiochiae forsitan Pallium commemorativum erat S. Petri, attamen alio prorsus sub respectu ac Romanum Pallium. Hinc passim Pallium Orientis Episcopi habuerunt, et Pallium quidem ex ipso Altari ac veluti ex fundatorum sepulchro accipiebant. Romani vero Pontifices permiserunt ut Graeci morem hunc servarent ». Utrum omnino subscribendum sit huic opinioni laudati Vespasiani, an dicendum pallium orientale idem fuisse antiquitus ac latinum natura huius dissertatiunculae non sinit inquirere. Satis sit dicere *nunc temporis* 1°) pallium Orientalium esse merum ornamentum episcopale, quod apud plerasque Orientis nationes et Graecos potissimum commune est Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, 2°) illud pallium non a Romano Pontifice mitti, sed in ipso ordinationis vel inthronismi ritu ex manu Ordinantis seu ex sacro altari accipi. 3°) Antistites orientales qui pallium

(1) Op. cit. p. 61.

latinum a Summo Pontifice acceperunt, illud deferunt super pallium proprii ritus (1).

IV. Pallium superius definientes diximus illud esse indumentum sacrum, quod defertur a Summo Pontifice aliisque, quibus tale ius competit; iam vero praestat dicere quinam sint illi qui pallio uti possunt. Pallium aliquibus competit ex iure, aliis vero ex privilegio: competit ex iure illis qui plenitudine vel parte iurisdictionis supraepiscopalis fruuntur, competit ex privilegio illis qui quamvis nulla iurisdictione supraepiscopali gaudeant, facultatem tamen a Summo Pontifice obtinuerunt deferendi pallium.

Pallii usus ex primo capite competit Romano Pontifici, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis.

1° *Romanus Pontifex,* qui plenitudinem potestatis primatialis habet in universa Ecclesia, potest etiam semper et ubique deferre pallium, et eo revera utitur semper quum in Pontificalibus celebrat.

2° *Patriarchae* « Indubium est, ait cl. Farabulini (2), Sedem Apostolicam misisse pallium patriarchis variarum nationum, qui illud humiliter postulabant, ut legitur (apud Le Quien) de Patriarcha Maronitarum, saeculo VIII ineunte, et de aliis in longe remotioribus epochis ». Negandum non est aliquando ob vicissitudines temporum pallium missum non fuisse Patriarchis Orientalium, hoc tamen non obstante ex multis

---

(1) Cf. Le Brun. Explication des prières et des Cérémonies de la Messe t. 2, p. 451.

(2) Archeologia ed arte, rispetto a un raro Monumento Greco conservato nella Badia di Grottaferrata.

documentis constat, saepe per saecula pallium a Summis Pontificibus Orientalibus Patriarchis missum fuisse, et Benedictus XIV in Allocutione consistoriali diei 27 Martii 1757 (1) testatur extare decretum, die 9 Iunii 1642 datum, per quod statuitur Patriarchis Graeci Ritus Latinum Pallium esse concedendum, quoties illud positis omnibus requisitis conditionibus postularent: unde Pontifex ille pallium dedit Patriarchae Armeniae minoris et Ciliciae, Patriarchae Antiocheno Graecorum Melchitarum et Patriarchae Antiocheno Maronitarum, ut ex variis illius allocutionibus consistorialibus constat. Inter Patriarchas Orientales huius saeculi qui pallia condecorati fuerunt, celeberrimus est Ignatius Petrus Giarvi, patriarca Syrorum, qui pallium a Leone XII accepit et qui quatuor episcopos Iacobitas a schismate ad catholicam unitatem reduxit (2). Philippus Vespasiani in opere citato scripsit Pallium apud Chaldaeos deesse videri, hoc tamen de Pallio Orientali intelligendum est non de Pallio Latino, quod Patriarchae illius nationis sicut et aliis a Sede Apostolica mitti solet, et revera Summus Pontifex Leo XIII, quem Deus diu sospitem servet, pallium misit Petro Eliae Abolian, Patriarchae Babylonensi Chaldaeorum die 28 Feb. 1879, illiusque successori Georgio Ebed-Iesu Khayyath die 18 Mart. 1895. Patriarchae ritus latini, Constantinopolitanus scilicet, Alexandrinus, Antio-

(1) Cf. Magnum Bullarium. V. 19, p. 275.

(2) Los Ritos Orientales, o sea colleción de cartas sobre los ritos que se profesan en Oriente, por el P. Hugolino Masiá y Lucas.

chenus et Hierosolymitanus et ipsi pallium olim deferebant, ut constat ex Cap. *Antiqua,* de Privilegiis et Excessibus, nunc autem hoc ius ad Patriarcham Constantinopolitanum restringitur, qui solus vera iurisdictione gaudet, dum tres alii Patriarchae sunt mere titulares.

3° *Primates et Archiepiscopi.* Pallium antiquitus non omnibus Archiepiscopis competebat, illud enim mittebatur tantum Episcopis quibusdam qui habebantur ceu vicarii Romani Pontificis, qui nemep vices gerebant Summi Pontificis in certis provinciis, uti Arelatensis, Thessalonicensis etc.: sed tractu temporis paullatim factum fuit, ut illud omnibus Archiepiscopis et Primatibus concederetur, et inter insignia propria Archiepiscoporum et Primatum recenseretur. Pallio tamen non utuntur Primates et Archiepiscopi titulares, et ratio est quia illi nulla iurisdictione gaudent, quod testatur Benedictus XIII, addens se unum tantum exemplum reperisse concessionis pallii factae Archiepiscopo titulari, seu ut tunc temporis dicebatur, Archiepiscopo in partibus infidelium.

(*Continuabitur*).

EMENDATIO.

Decreto II in ultimo Ephem. numero relato, post verba « infrascripta die habitis » adde: *referente Eñio et Rñio D. Cardinali Aloisio Macchi.*

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1895.

NUNCIUM.

Rm̃us Dom. Dom. Valerianus Sebastiani ex Praelatis Romanis, qui *Comitatui* praeest pro festis iubilaribus S. Ioseph Ecclesiae catholicae Patroni in Urbe instituto, a Summo Pontifice Leone XIII benedicto, sub protectione et directione Em̃i Card. Parocchi Sanctitatis Suae vices agentis, ab Eadem Sanctitate Sua humiliter postulavit: ut Dominica tertia Adventus vertentis anni, quinto ac vicesimo redeunte, a primo quo inclytus Patriarcha totius catholici Orbis declaratus fuit Patronus, solemnia Missarum in illius honorem decantari possent in omnibus Ecclesiis, in quibus antea aliqua praemittatur per analogas preces praeparatio. Haec autem consistit in aliquibus piis exercitiis, aut per septem hebdomadas continuatis in singulis quartis feriis uniuscuiusque hebdomadae, aut per sacrum novendiale, aut saltem per solemne triduum. Petiit insuper praedictus Orator, ut in omnibus Missis privatis, quae in omnibus singulisque Ecclesiis celebrantur, fieri possit eadem Dominica S. dicti Patroni commemoratio.

Supplici libello sequenti Decreto responsum est.

I.

URBIS ET ORBIS.

SSm̃us Dominus Noster, has preces ab infrascripto Sacrorum Rituum Congñis Secretario relatas, et amplissimo commendationis officio Em̃i et Rm̃i Domini Cardinalis in Urbe Vicarii com-

munitas peramanter excipiens, benigne indulgere dignatus est:

I. Ut Dominica tertia sacri Adventus, hoc anno tantum, in cunctis Urbis et Orbis Ecclesiis, ubi pia exercitia in precibus enuntiata peragentur, unica Missa votiva solemnis de Patrocinio S. Ioseph, Deiparae Virginis Sponsi, cum *Gloria* et *Credo* cantari valeat; dummodo non occurrat Duplex primae classis, neque omittatur Missa Conventualis aut Parochialis, Officio diei respondens, ubi onus adsit eam celebrandi.

II. Ut memorata Dominica in singulis Missis lectis ubique terrarum, non occurrente Duplici primae classis, addatur Commemoratio eiusdem S. Ioseph per Orationes ex Missa Patrocinii desumptas, servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 Augusti 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. Aloisius Tripepi, *Secret.*

II.

S. IACOBI DE CHILE.

Marianus Casanova Archiepiscopus S. Iacobi de Chile Sacrae Rituum Congregationi humiliter exposuit, per Decretum ab Ipsa editum die 16 Martii 1861, plures usus ritualibus Ecclesiae legibus adversos et praetextu longaevae consuetudinis retentos, e sua Archidioecesi ac praesertim

ab Ecclesia Metropolitana fuisse sublatos. Quum tamen ad R̃mum Capitulum Metropolitanum unus Archiepiscopus et duo Episcopi titulares pertineant, aliquando dubia exoriuntur circa eorum iura ac privilegia. Hinc idem obsequentissimus Archiepiscopus ab eadem Sacra Rituum Congregatione sequentium Dubiorum solutionem efflagitavit; nimirum:

1.° An crux Archiepiscopalis possit esse duplici hasta transversali ac parallela cum alia verticali composita?

2.° An Archiepiscopi uti possint chirothecis quum ad Ecclesiam accedunt vel ab ea recedunt ante et post Missam Pontificalem?

3.° Utrum Archiepiscopus Missam celebraturus supra planetam gestare queat crucem pectoralem?

4.° An in aliena Dioecesi Episcopi suffraganei et titulares mozzetta uti possint?

5.° Et adhibere Cappam Pontificalem?

6.° An iidem pariter in aliena Dioecesi baculum pastoralem deferre valeant?

7.° Atque solemniter celebrantes sedere in sede Archiepiscopi vel Episcopi propria seu in throno, cum sola ipsius loci Ordinarii licentia?

8.° Ac tandem adhibere biretum doctorale cum quatuor apicibus, quod sit coloris violacei, cum flosculo et funiculis rubri coloris?

9.° Canonici, etsi dignitate episcopali insigniti sunt, debent ne associare Archiepiscopum cappa magna indutum ad Metropolitanam Ecclesiam accedentem, sive ut Missam Pontificalem celebret, sive ut Missae ab alio celebrandae assistat?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, omnibusque rite perpensis, rescribendum censuit:

Ad I Dilata.

Ad II et III Negative iuxta Caerem. Episcoporum et Decreta.

Ad IV Negative iuxta Decreta, praesertim in Liburnen. 23 Septembris 1848 ad 2^{um}.

Ad V detur Decretum in *Veliterna* 6 Septembris 1698.

Ad VI Affirmative ex permissione Archiepiscopi vel Episcopi Ordinarii loci, et quando tenuerint ordinationes, consecrationes aliasque functiones, in quibus iuxta regulas libri pontificalis baculo pastorali uti debent et necesse est, iuxta Caerem. Episcoporum lib. I, cap. 17, et Decret. *Bracharen.* 1 Septembris 1607.

Ad VII Dilata.

Ad VIII Negative, quoad biretum formae doctoralis, iuxta Decretum in *Venusina* 7 Decembris 1844; Affirmative quoad biretum formae Ordinariae ac coloris violacei cum flosculo et funiculis eiusdem coloris, iuxta privilegium a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII indistincte omnibus Episcopis concessum.

Ad IX Affirmative et servetur Decretum *Gnesnen.* et *Posnanien.* 20 Martii 1869.

Atque ita rescripsit. Die 6 Septembris 1895.

L. M. Card. PAROCCHI.

L. ✠ S. Aloisius Tripepi *Secret.*

ARCHAEOLOGIA SACRA

VI. — De funereis ritibus veterum Christianorum.

Si omnes civiles populi Aegypti, Graeciae, Tusciae ac Romae, ipsique Iudaei maxima usi sunt cura in sepeliendis servandisque mortuorum corporibus, hanc non minus impenderunt christiani primitivae Ecclesiae: immo toti in eo fuere ut fratrum suorum in eadem Christi fide cadavera speciali honore prosequerentur, praesertim martyrum, utpote Deo sacrata atque olim Spiritus Sancti habitaculum. Itaque sive ritus antiqui sepulturae spectentur, sive sepulcrum ipsum christianorum, praeclara elucet Ecclesiae sapientia ac diligentia magna in re funebri, cujus actus funeris causa plurimi conferunt ad eiusdem Ecclesiae incrementa, historiam, dogmata moresque cognoscendos. In obscuris enim catacumbarum secessibus, ubi cadavera sepeliebantur, circa eorum sepulcra deprehenditur fides de animae immortalitate, de vita aeterna, de loco purgationis, de communione sanctorum deque futura carnis resurrectione. Picturae in arenariis ad arcosolia et loculos, lapides supra ipsos inscripti, signa et imagines allegoricae id approbant, veterumque Ecclesiae Patrum scriptis sunt concordes.

Nolebat Paulus christianos cogitatione mortis afflictari: ad Thessalonicenses scribens ait: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et caeteri qui spem non habent* (IV. 12). Qua de re, spe resurrectionis, aliter quam ethnici, has voces in tabulis sepulcrorum adhibuere, scilicet: *depositus* — *depositio* — *dormit in pace* — *requiescit* — *quiescit in pace* — *coemeterium*, quod ex graeca voce κοιμητήριον, idem sonat ac *dormitorium*. Vo-

cabulum ipsum — *catacumbae* — quid valet nisi *iuxta accubitorium?* (κατα et cubo). Item aliis usi sunt vocibus christiani in inscriptionibus sepulcrorum, quae spiritus immortalitatem Deique fruitionem exprimunt, nempe: *vivas in Deo — in Christo — vel in* ☧ — *in pace — inter sanctos — spiritus tuus in bono — pax tibi, pax tecum*, quae est salutatio apostolica — *Deus tibi refrigeret — in refrigerio*, quod coeleste convivium denotat — *recessit, praecessit,* loco verborum mortuus est, sepultus est. Ex quibus postremis vocibus arguit clarissimus vir De Rossi de antiquitate Canonis Missae in Memento Mortuorum (1) ubi legitur: — Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos *praecesserunt* cum signo fidei et dormiunt in somno pacis. — Hac eadem ratione aiebat Hieronymus: *In christianis mors non est mors, sed dormitio et somnus* (2).

Eandem resurrectionis fidem expresserat Damasus in carmine, cujus versus usurpatos ab aliis christianis pro funebri inscriptione invenimus. Carmen hoc est:

Qui gradiens pelagi fluctus compressit amaros,
Vivere qui praestat morientia semina terrae,
Solvere qui potuit Lazaro sua vincula mortis,
Post tenebras fratrem, post tertia lumina solis,
Ad superos iterum Mariae donare sorori,
Post cineres Damasum faciet, quia surgere credo.

Idipsum legimus in epitaphio cujusdam puellae eruto e Callixti coemeterio, cuius extrema verba sic sonant:

. . . . *quod corpus pace quietum,*
Hic est sepultum, donec resurgat ab ipso (3).

---

(1) *Mus. Epig. Later.* p. 121.

(2) Epist. ad Theod.

(3) De Rossi, *Inscr. christ.*. p. 401, ubi alias huiusmodi inscriptiones reperies.

Haec quae supra protulimus testimonia pauca sunt, sed alia pene innumera legi possunt apud De Rossi, Boldettum, Bosium, Marchi aliosque qui de christiana archaeologia scripserunt, ex quibus luculenter praecipua christianae religionis dogmata confirmantur, praesertim de animarum, quae in Christo quieverunt, beatitudine.

Ecclesia primitiva admodum se sollicitam exhibuit ut fideles in extremo agone luctantes sacramentorum ac precum subsidio firmarentur; quae preces *commendatio animae* appellatae sunt. Hic idem titulus in Rituali Romano reperitur, nempe *Ordo commendationis animae*, qui ex antiquissimo oritur fonte, iuxta sententiam clarissimi Le Blant (1). Nam in picturis ac caelaturis sepulcrorum tam in arenariis, quam in coemeteriis sub diu exaedificatis frequenter intueri datum est ea facta et imagines, quas *Ordo commendationis animae* memorat. Sic inspicimus Danielem inter leones, Moisem e servitute liberatum, qui saxum percutit ut aqua populi sitis extingueretur, Paradisum, qui exprimitur per *amoena virentia*, idest plantas ac flores, uti videre est ad sepulcrum Marciae in coemeterio Syracusarum et in coemeterio Domitillae Via Ardeatina Romae (2). Item inspicimus sacrificium Isaac, Martyres animas suscipientes easque in *interiora velaminis*, seu ad Christum, introducentes (3), iudicium animarum, sedente iudice Christo et Pastorem bonum inter oves suas (4). Consideret igitur unusquisque quanta sapientia ac sollicitudine utatur Ecclesia non tantum in dogmatibus, sed etiam in ritibus, iuxta antiquum morem ac traditionem, servandis.

---

(1) *Revue archéol.* Oct. et Nov. 1878.

(2) *Constituat te Christus filius Dei vivi intra paradisi sui semper amoena virentia.* Ritual. Rom.

(3) *Candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obviet.* Ritual. Rom.

(4) *Inter oves suas te verus ille pastor agnoscat.* Ritual. Rom.

Ecclesia ipsa, quamvis divinitus proindeque legitime constituta a Christo fundatore, tempore tamen quo maximae in eam persecutionum tempestates excitatae sunt, coram civili potestate tanquam societatem sese exhibuit beneficentiae (1), eo praesertim intenta ut fidelibus suis iustae sepulturae honorem tribueret, iuxta civiles leges, sive in arenariis, sive in areis (agellis, hortis) pecunia Ecclesiae ipsius emptis, vel in his quae ad christianos divites aut matronas pertinebant. Quapropter habemus coemeteria Priscillae, Domitillae, Noellae, Praetextati, Cyriacae, Lucinae etc. Inhumato igitur cadavere iuxta leges romanas, locus religione sacer et inviolabilis efficiebatur (2). Nihilominus persecutionibus saevientibus, violata christianorum cadavera sunt aut insepulta relicta in viis et agris, uti legimus de sanctis Gordiano, Nabore, Nazario et sociis aliisque quamplurimis, vel in sepulcris disturbata et confusa vel in aquas demersa et in calcem vivam coniecta (3). Tertullianus acriter quaeritur de Baccanalibus in quibus *nec mortuis parcunt christianis;* et Gregorius Naziantii meminit haec de Juliani persecutione: *Non iam sanctorum reliquias cum ossibus contemptissimis per contemptum permixtas flammis absument, aut in ventos mittent aut eas honore, talibus hominibus debito, spolient* (4).

Imperii aetate, etiam apud ethnicos collegia aucta sunt, cuius sodales stipem conferentes ius coeundi, funerum causa, habebant ac honoris ad sepulturam in area, collata pecunia, empta. Nobis notum est, inter caetera, collegium Lanuvii

---

(1) Ex sententia cl. De Rossi.

(2) *Religiosum locum unusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum.* Marcian. Dig. 1. 6.

(3) V. Allard, *Hist. des persécut.* I.

(4) Orat. II in Julian.

(Civita Lavinia) ex inscriptione, anno 1816, inibi reperta (1). Quem morem et christiani sequuti sunt, qui pro *egenis alendis humandisque* pecuniam dabant (2). Haec de loco iureque sepulturae diximus. Circa vero peculiares ritus ac mores christianorum in sepeliendis mortuis quae sequuntur subiicimus.

Spiritu emisso, corpus aqua lavabatur, iuxta consuetudinem quorundam populorum ac Iudaeorum ad nostram usque aetatem, quibusdam in locis, servatam (3), ac deinde vel aromatibus balsamoque condiebatur, uti factum legimus de Christo Servatore, vel saltem balsami myrraeque guttis in vase servatis ac aqua mixtis aspergebatur, uti ex Prudentio constat.

Aspersaque myrra sabaeo
Corpus medicamine servat (4).

Quem ritum servat Ecclesia, mortuorum corpora aqua benedicta aspergendo. Tertullianus adnotat plura esse aromata quae, sua aetate, pro cadaveribus consumebantur quam pro diis colendis (5). Vasa haec, sive fictilia, sive vitrea, vel eorum imam partem rotundam fossores caementarii calce parietibus catacumbarum infigere solebant; adeoque magnus

---

(1) Raggi, *Coll. Alban. e Tuscol.* Orelli, *Inscr.* Id de inscriptione notandum est, quod sepultura his denegabatur qui sibi mortem adscivissent. *Quisquis ex quacunque causa mortem sibi adsciverit, eius ratio funeris non habebitur.*

(2) Tertull. Apol. XXXIX.

(3) V. Actus Apost. de Tabita. IX.

(4) Chatemerin. Hym. X.

(5) *Si Arabiae quaeruntur, sciant Sabaei pluris et charioris suas merces christianis sepeliendis profligari quam diis fumigandis.* Apol. C. XLX.

numerus ad loculos continuo reperitur, vel intra ipsos. Quem morem vasa sepulcris immittendi praecipue apud Tuscos servatum scimus.

Apud Romanos, qui ignominia notati obierant a vespillonibus ad sepeliendum deportabantur. Verum christianos, quamvis oculis paganorum tales apparerent, fratres christiani in sepulcrum honore debito inferebant, vel super feretrum vel brachiis aliquando. Persaepe hanc piam curam christianae matronae assumebant libenti animo, quae ad locum supplicii elata martyrum corpora ad sepulturam, aliis mulieribus vel christianis comitantibus, deferebant. Multa adsunt huiusmodi exempla: Lucina Cyriacum sociosque martyres velis lineis involutos pretiosisque unguentibus aspersos in suo praedio sepelivit. Octavilla noctu corpus Pancratii martyris sustulit ac unguentibus delibutum sepulturae dedit: idem egit et Florentia pro corporibus Viti et Modesti, Plautilla pro Rufina et Secunda. Clerus vero, seu diaconi et sacerdotes, nisi locorum circumstantiae aut persecutiones obesset, hymnis ac precibus cadavera mortuorum comitabantur (1). Interdum hoc officio fungebantur et Episcopi. Cum Paula ex nobili Romanorum gente obiisset, iuxta S. Hieronymum, translata est *Episcoporum manibus et collum feretro subjicientibus* (2). Gregorius Nyssenus, una cum alio Episcopo ac clericis, corpus Macrinae sororis ad sepulcrum detulit. Funus vero Martyrum aliquando perillustri triumpho aequiparabatur, uti de Cypriano Episcopo et Martyre accidit.

Nec deerant in funere accensae faces floresque. Mos antiquissimus est in Ecclesia christianorum corpora eorumque tumbas floribus ac foliis viridantibus exornare, vel sparsis vel serto colligatis. Attamen neque tempora mortuorum

---

(1) De Rossi, *Roma sotterr.* Tom. III, p. 496.
(2) Epist. ad Eustoch.

neque sua floribus coronisque cingebant christiani, ne ethnicorum superstitionem imitari viderentur. Etiam sepulturae locus, praesertim si arcosolium erat cum mensa, floribus decorabatur atque conspergebatur liquidis odoribus. Unde cecinit Prudentius:

Nos tecta fovebimus ossa
Violis et fronde frequenti,
Titulumque et frigida saxa
Liquido spargemus odore.

In loculis vero ad catacumbas innumerae ardebant diu noctuque lucernae fictiles, signis christianis notatae, scilicet monogrammate Christi, pisce, anchora, palmis, ac etiam cruce. Ex quo accidit ut earum plurimae continuo in arenariis inveniantur.

Fossoris plerumque officium erat corpus componendi in sepulcro ad parietes effosso, tum in cryptis tum in formis, si coemeterium in area aperta exaedificatum fuerat: tamen parentes ipsi defunctorum non raro suis manibus dulcia membra in sepulcro collocabant. Exemplum exhibet inscriptio in suburbana S. Agapiti basilica Praeneste inventa, cuius hypogeum seu cellam parentes pueri Placidiani ingressi eius corpusculum demortuum composuerunt (1).

Fossoribus item pertinebat cadavera candida sindone obvolvere, antequam in sepulcro deponerentur; Hieronymus enim inquit de fossoribus: *Officium linteo cadaver obvolvere, fossam humum lapidibus construentes, ex more tumulum parare* (2). Prudentius vero in hymno *De Exequiis* memorat:

Candore nitentia claro
Praetendere lintea mos est.

---

(1) Scognamiglio, *Primit. Basil. del M. S. Agap.* — Marucchi, *Guid. Arch. all'ant. Pren.*, pag. 150.

(2) Epist. ad Innoc.

Corpus demortuum semper supinum jacebat, neque fas erat unum alteri superponere: quapropter si duo, tria, aut quatuor cadavera simul erant condenda, locus bisomus, trisomus aut quadrisomus effodiebatur, sive in parietibus, sive in arcis ex marmore. Etiam corpora Principum Apostolorum aliquando in sepulcro bisomo iacuerunt in loco ad catacumbas apud S. Sebastianum Via Appia. Ne autem cadavera viventibus odore gravi in locis subterraneis nocerent, cautum est ea super calcem loculis illitam deponere; ex quo factum est ut corporum forma ac sinuosa lintea impressa remanserint, atque calci inhaerentia fila aurea argenteaque vestimentorum non raro fuerint reperta. A saeculo circiter quinto, super defunctorum pectus *encolpii* deponebantur, seu cruces, numismata, reliquiae, pisciculi. In tabulis vero tumbarum primorum trium saeculorum crucem sculptam non invenimus ratione arcani, ne gentibus stultitia aut Iudaeis scandalum Christi religio videretur. Cum vero deinceps apparuit crux, nonnisi gemmata auroque resplendens antiquitus venerationi fidelium proposita est, ut evanesceret horror quem ethnici de ipsa conceperant. Saeculo IV, Constantini aetate, coeptum est Christi monogramma in sepulcris effingere, quod efformatur ex primis duobus litteris graecae vocis ΧΡιστὸς (Unctus). Ante hoc tempus, ac postea, praeter quaedam facta biblica supra tumbas in arcosoliis aut cubiculis depicta, frequenter inspicimus piscem, qui Christum Dei filium significat (1), vel etiam vocem Ἰχθὺς, delphinum, qui Salvatorem denotat, columbam cum olivae ra-musculo, symbolum animae e corpore solutae quae, terris evolata, in pace iustorum requiescit, palmam et anchoram, victoriae (ac martyrii) speique signa, nec non primam et ultimam

(1) Unaquaeque littera graecae vocis ΙΧΘΥΣ perpulchra efformat verba Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτὴρ, scilicet: *Jesus Christus Dei Filius Salvator.*

alphabeti graeci litteram, nempe α ω (1). In lapidibus christianorum aliquando reperitur inscriptus titulus paganus D. M. vel D. M. S. (Diis Manibus — Diis Manibus Sacrum). Hi tamen non sunt de superstitione reprehendendi; nam praeterquam titulum plerumque iam tabulis lapicida inciderat, cum christiani has in officinis emerent, titulum ipsum pro funereo quovis signo accipiebant.

Primaevi lapides christiani in arenariis mirae simplicitatis notam prae se ferunt, uti videre est in coemeterio Priscillae, ubi paucis verbis ac minio inscriptis supra tegulas fictiles elogia extant; plurima autem egregie concinnata leguntur, quae latinae et graecae pulcherrimae *epigraphicae* specimen exhibent.

Primitivi fideles exoptabant admodum ad cryptas seu sepulcra Martyrum deponi (quem de caetero honorem vix pauci poterant adipisci, vel etiam loci angustia), propter fidem, quod ipsi advocati essent apud Deum; immo, praesertim saeculo quinto vertente, falso putabatur animas inibi sepultorum consequi vitam aeternam, quamvis minime secundum christianas leges vixissent. Hanc fidem rejicit inscriptio in basilica divi Laurentii extra muros Romae reperta (2).

Nil iuvat, imo gravat tumulis haerere piorum;
Sanctorum meritis optima vita prope est.
Corpore non opus est, anima tendamus ad illos,
Quae bene salva potest corporis esse salus.

Persaepe in tabulis legimus adprecationem seu invocationem ad ipsos martyres ut apud Deum pro defunctorum

---

(1) Litterae Christum Dominum denotant iuxta illud Johannis in Apoc. I. *Ego sum* α *et* ω *principium et finis.*

(2) De Rossi, *Boll. d'arch. crist.* 1864.

animabus intercederent: unde voces *pete*, *petas*, *roga*, *rogita*, *commendamus* etc. Cedamus exemplum de invocatione martyris Basillae, cuius festum die 20 Maii celebratur. Est lapis erutus e coemeterio Hermetis, nunc in musaeo ad Lateranum.

DOMINA BASSILLA COM
MANDAMVS TIBI CRES
SCENTINVS ET MICINA
FILIA NOSTRA CRESCEN
QVE VIXIT MEN X ETDES (1).

Nunc ad preces, quae pro defuncto fundebantur, *sacrificium pro dormitione* appellata: quae verba praesertim Missae sacrificium exprimunt. In codice liturgico antiquissimo, ante Constantini aetatem, quem clar. Mone edidit, quique ad celebrationem Missae refertur, post preces pro viventibus fusas, sic orat sacerdos: *Defunctorum fidelium animae quae beatitudinem* (beatitudine) *gaudent nobis opitulentur, quae consolatione indigent ecclesiae precibus absolvantur.* His precibus se Monica Augustini mater commendavit, quae cum ad Ostia Tiberina pervenisset, antequam spiritum redderet, adstantibus inquit: *vos rogo ut ad altare Domini memineritis mei.* Antiquitus preces ab Ecclesia fiebant non tantum occasione elationis cadaveris eiusque depositionis in tumulo, verum etiam die tertia, septima, trigesima, ac in anniversario *accersionis* (mors *accersitio* et *accersio* dicebatur) seu depositionis: quem morem etiam impraesentiarum fideliter ipsa servat una cum salutatione, quae iam a prima aetate fiebat, nempe (requiescat) *in pace*; cui adstantes *Amen* respondebant (2).

---

(1) Idest. (Nos) Crescentinus et Micina commendamus tibi, Domina Basilla, filia*m* nostra*m* Crescen.... qu*ae* vixit men*ses* X et d*ies*.

(2) De Rossi, *Roma sotterr.* Tom. III.

Ast et alius mos viguit in Ecclesia pro defunctorum refrigerio, idest convivia seu *agapes*, quae hac de causa etiam *refrigeria* nuncupatae sunt. Agapes huiusmodi ab his diversae sunt quae mysterium Eucharistiae comitabantur. Ethnici convivia haec (silicernia) die nona post sepulturam, vel die anniversaria natalis et mortis defunctorum celebrare consueverant. Aeneas Anchisae patris anniversarium ad tumulum, suorum comitante caterva, ludis, epulisque celebravit (Virg., *Aen.*, V.), atque

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro,
Purpureosque iacit flores . . . .

Gn. Domitius Corbulo testamento tabulae inscripto iussit ut quotannis huiusmodi convivia a civibus Gabinis fierent (1). Hae solemnitates in honorem Deorum Manium, *parentalia*, *ferialia*, *iusta* dictae sunt. Attamen, ratione finis, christianorum convivia prorsus diversa ab ethnicorum siliceriniis existimanda sunt: ad ea namque defuncti familia pauperes Christi penes coemeteria accersebat ut hoc dilectionis et charitatis exemplo demortui anima levaretur. Qua de re Augustinus aiebat quod *agapes christianorum pauperes pascebant.* Ipsaque vox *agapes* (ἀγάπη) graece quid aliud nisi dilectionem amoremque significat? Pammachius, ne caetera permulta exempla proferam, ut uxoris exequias christiana dilectione celebraret in atrium Basilicae Principis Apostolorum magnam pauperum multitudinem coegit (2). Ad hunc finem triclinia in cubiculis ad coemeteria extabant, et dein penes basilicas aulae fabricatae sunt. Triclinium huiusmodi adhuc

(1) Visconti, *Monum. Gabin.*

(2) Agapes etiam in natalitiis Martyrum christiani frequentabant.

videre fas est in coemeterio Domitillae ad introitum. Haec valde laude digna consuetudo longo tempore perduravit. Xenodochium cum aulis magnis pro peregrinis et pauperibus ad Basilicam Vaticanam deiectum est, cum novum templum extrueretur. Etiam in atrio ecclesiae divi Eustachii, iuxta Baronium, solemnes agapes, aevo medio, celebrari consueverunt. Ast agapes etiam funeris causa, iam ab Augustini aetate, in effraenam libertatem degeneravere; ita ut ipsemet sic quaeratur: *De basilica B. Petri Ap. quotidianae vinolentiae proferuntur exempla.*

Christi doctrina statutoque Ecclesiae, servitus iure deleta est, quamvis de facto, ob quaedam impedimenta, etiam apud christianos vigeret. Interea pietatis suffragiique causa in animas defunctorum, parentes eorum mancipia sive servos manumittere seu in libertatem eximere consueverant. Unum e tot testimoniis proferamus.

SECVNDVS ET RVFINA FILIAE DVLCISSIMAE HVNC F
VNVS SCRIPTVRA INTRA NOS VII MANOMISIMVS TV
AM CARITATEM FILIA DVLCISSIMA SIN NA
III. K. S. (1).

Circa atras vestes funeris causa induendas scimus Patres Ecclesiae, quamvis hoc pietatis officium commendassent, saepe hortatos esse ne christianae matronae nimiae tristitiae se traderent ob mortem suorum; hi namque praecesserunt in vitam aeternam, quibus viventes cito coniungendi. Hinc Cyprianus de lugubri vestimento haec inquit: *Neque accipiendas esse hic atras vestes, quando illi ibi indumenta alba iam sumpserint* (2). Sed minime permissum est christianis mulieres *praeficas* seu *incitatrices* ad funus advocare, quae la-

(1) Inscriptionem reperies apud Boldetti et De Rossi.
(2) *De Mort.*, XX.

crymis nenias canentes, uti mos erat paganorum, lamentabantur, corpus ad sepulturam comitantes (1). Augustinus in morte matris aiebat: *Neque enim decere arbitramur funus illud questubus lacrymosis gemitibusque celebrare, quia illa nec misere, nec omnino moriebatur.* (*Conf.* Lib. IX. c. 12).

Humilitatis gratia raro apud christianos *laudationes funebres* habebantur (saepissime apud ethnicos), etsi non deessent profecto viri ac mulieres laudatione digni, vel propter gloriam martyrii, vel ob egregia facta in christianam rempublicam. Eusebius, e vivis Constantino Imp. erepto, eius laudationem dixit, Ambrosius de Theodosio ac Valentiniano, nec non de fratre Satyro orationem habuit.

Haec praecipua sunt quae de re funebri veterum christianorum dicenda statui; et alia subiecissem, nisi harum Ephemeridum spatii tenuitas id prohibuisset.

Igitur finem faciens, haec colligere licet. Ritus funebres christianorum veterum, eorum preces, convivia, signa, codices, picturae, inscripti lapides doctrinas de catholica fide praecipuas confirmant luculenter. Quis de efficacia precum deque loco purgatorii dubitet, si pro animabus ad secundam vitam commigratis continuata sacrificia ac bona opera offerebantur? Quis animae immortalitatem, vitam aeternam, carnis resurrectionem, sanctorumque proficuam intercessionem apud Deum reiiciet, cum passim in coemeteriis antiquis vetustisque basilicis tot perspicua testimonia intueantur? Nihilominus plurimi ex novatoribus sunt qui videntes non vident et audientes non intelligunt. Neque tantum haec, sed et alia dogmata e coemeteriorum monumentis addiscimus: ipsa enim sunt veluti absconditus liber, quo viso, inibi totum symbolum apostolicum legere concessum est.

Joseph Sac. Cascioli.

---

(1) Hic mos in quibusdam Siciliae Italiaeque meridionalis oppidis adhuc servatur.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XII.

DE TRANSLATIONE INDULGENTIAE FESTO ADNEXAE.

Nuper transacto anno 1893 accidit, ut officium SS. Cordis D. N. I. C. transferri debuerit in sequentem diem, ob illius occurrentiam cum solemniori festo S. Ioannis Baptistae, iuxta Decretum *Urbis et Orbis* d.d. 28 Iun. 1889. Hinc controversia exorta est in quadam Ecclesia circa Indulgentiam eidem adnexam festo, vel *die propria*, vel *die translata* lucrifaciendam. Ex pluribus namque Decretis S. R. Congñis constat, Indulgentiam non transferri, cum transfertur festum. Quamvis autem Pius Papa IX per Decretum *Urbis et Orbis* 9 Aug. 1852 declaraverit, translatam censeri Indulgentiam, si festi solemnitas transferatur; nihilominus dubium adhuc remanet, ex quo haec solemnitas festi constituatur, et num in translatione SS. Cordis Iesu, iuxta praefatum Decretum 28 Iun. 1889, ipsa quoque translata censenda sit nec ne solemnitas festi : quod etiam quidam sustinent fieri non posse, nisi ex facultate Ordinarii. Hinc quaeritur :

1. *Quid solemnitatem festorum constituat, de cuius licentia eadem transferri possit solemnitas, et quibus de causis ?*

2. *Quaenam impraesentiarum regulae, ut discernatur, an Indulgentia cuidam adnexa festo, transferatur cum ipso festo, nec ne?*

3. *Quid iudicandum in particulari, ut expositum est in casu?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione, adm. Rev. Dom. Silvii Nardi-Dei, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curium Innocentianam die 13 Jun. 1894: acta Epitoma a Rmo P. Bonaventura a Collepardo ex Ordine Capulatorum.

I. Quaeritur primo, ex quo constituatur festorum solemnitas, de cuius facultate eiusmodi solemnitas transferri valeat, et quibus de causis.

Solemnitas, verbi etymologia spectata, *ab eo* inquit Augustinus, *quod soleat in anno, nomen accepit* (1): ut proinde facile arguere quisque possit, nil aliud solemnitatem significare, quam stabilem alicuius festi celebrandi consuetudinem, quod stato die quotannis occurrat. Cum autem quod in unoquoque anno redit, celebrari festum soleat aliquo exteriori apparatu, hinc huiusmodi externa pompa qua festum celebratur, eodem quoque solemnitatis vocabulo nuncupari solet. Haec porro solemnitatis significatio, quam suam fecit Ecclesia in festis liturgicis, in auctoribus etiam classicae latinitatis reperitur. Hinc cl. Facciolati scribit: « Solemne dicitur quod statis temporibus cum celebritate et apparatu fit (2). Hinc pariter in Virgilio legi-

(1) Serm. 186 de Tempore.

(2) Lexic. ad voc. *solemne*.

mus: « Annua vota tamen, solemnisque ordine pompae » (1).

Eapropter distinguamus oportet solemnitatem in internam et externam, ex quibus illa festi essentiam constituit, ista vero veluti quoddam accidentale illi superadditur. Prima ex stabilitate festi constituitur, ex officio, ex ritu quo festum recolendum statuitur: altera ex exteriori apparatu, qui dictum festum comitatur. Petitio autem, cui responsuri sumus, haud primam respicit, uti e proposito casu aperte constat, sed alteram solemnitatem, de qua tantum inquiritur in quo consistat. Sed responsio haud difficilis, si illa exteriora signa inspiciamus, internum cultum spiritalemque laetitiam exprimentia, quae dies solemnes non tantum a ferialibus, sed etiam a dominicis, ab aliisque communibus festis discriminant. Huiusmodi porro externa signa non eadem sunt in locis, sed varia iuxta locorum consuetudines, populorumque devotionem. Ut praecipua innuamus, illa sunt, ex. gr. praeceptum audiendi Sacrum abstinendique ab operibus servilibus, idque festum fori constituit: peculiare Ecclesiae ornamentum: sacrum imaginum cum luminibus expositio, vel Sanc-

(1) Ex eo tamen, quod solemnitas ab eo derivaverit quod quotannis aliquid recurrit, nullo pacto sequitur, aliquid esse non posse solemne si quotannis non recurrat; hoc enim esset simpliciter falsum. Causae quaedam dant vocabulis originem, quorum successu temporum mutatur significatio, etsi adhuc perdurent causae, quae in mutatum verborum sensum vix influunt. Innumera exempla hanc veritatem probant, quae unusquisque ex se intelligit. Nihilominus indubium est, plurima, quae occurrunt per annum festa liturgica, solemnia appellari iure posse, nisi et omnia, maxime locorum peculiaribus festis inspectis.

torum Reliquiarum: Missae et Vesperarum cantus: devotus in templum fidelium concursus: concio, vel panegyrica oratio: precum quarumdam recitatio, aliaque similia. Haec omnia, vel ex his aliqua, id constituunt, quod solemnitatem externam appellare solemus.

De hac itaque solemnitate quaeritur, utrum transferri possit, seu ad diem amandari diversam ab illa, in qua festum recolitur: et affirmative reponimus. Pluribus enim modis, docet Cavalerius (1), festum aliquod translationi subiacere potest: 1. quoad solum officium, quando festum secum fert praeceptum audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus, quod liturgice *feriatio* dicitur, et propria die ordinario servatur. 2. Quoad solum officium et Missam, si festum quovis alio cultu careat. 3. Quoad solemnitatem tantum. 4. Quoad solum forum, uti in civitate Constantiae accidit, locisque finitimis, in quibus festa Ss. Matthaei et Michaëlis, si tempore vindemiae occurrant, ad aliam diem transferuntur. 5. Quoad chorum et forum, uti de Annuntiatione fit si feria VI occurrat aut Sabbato sancto, in Ecclesia universali: et ex privilegio singulari in civitate albana, prope Romam, de S. Pancratio Mart. loci Patrono, si die impedito occurrat. Alter ergo ex modis transferendi festum aliquod respicit tantummodo solemnitatem, independenter ab officio liturgico, quod vel potest transferri vel non, videlicet externa illa signa, de quibus superius diximus. Hoc autem satis superque indicat, huiusce solemnitatis transla-

(1) Tom. II, Cap. XIII, Decr. XVIII, n. II.

tionem esse indubie licitam, et universaliter fieri solitam.

Verum facultas ne requiritur Ordinarii, ut dicta translatio fieri licite possit? Inficiandum non est, eam esse debere *legitimam*, uti praedicat Decretum *Urbis et Orbis* d.d. Augusti 1852, hoc enim exigit, ut solemnitas seu externa festi celebratio *legitime transferantur*. Ex quo sequitur, translationem dictam esse non posse arbitrariam, sed iuxta legem: quaenam autem lex ista sit in omnibus et singulis casibus, hoc satis non constat. Si officium ex. gr. et Missa transferantur in perpetuum, tunc ex Decreto 12 Ian. 1878 indubium est, ipsam quoque indulgentiam transferri; quia translatio perpetua nonnisi de auctoritate fit S. R. Cogñis, et secum fert quoque translationem solemnitatis externae: hoc ergo esse legitimum, nemo non videt. At quando officium et Missa per accidens transferuntur, vel quando transferri ex lege non possunt, nec perpetuo nec per accidens, et nihilominus ex Decreto supercitato 9 Aug. 1852 exterior festi celebratio transferri potest, hisce, inquam in casibus, Ordinarii facultas necessaria ne est pro dicta externa celebratione transferenda?

Reponimus, aut Ordinarii facultatem non requiri, aut certe sufficere praesumptam. Potissima ratio est, quia translatio solemnitatis ideo fit, ut fideles indulgentiam lucrari possint, quae translationem sequitur solemnitatis, potiusquam festi. Haec autem est Ecclesiae intentio, ut fideles indulgentias festis adnexas facilius lucrari valeant uti Decretum *Urbis et Orbis* se exprimit (9 Aug. 1852). Porro Ecclesiarum Rectores magis quam

locorum Ordinarii apprime dignoscunt speciales causas, ex quibus fidelis populus templum frequentare valet, vel ab eo petendo potius abstinere cogitur. Illorum ergo potiusquam horum prudentiae solemnitatum translationes, posito impedimento, relictae censendae sunt ab auctoritate Ecclesiae, ut finis indulgentiarum concessionis obtineatur. Subsumi quidem potest, Rectores facile Ordinarios in singulis casibus interpellare posse, ab iisque dictam accipere facultatem. Sed reponimus, id nonnisi saepe saepius difficulter posse fieri, dum interim indulgentiarum finem non consequerentur fideles. Praeterea in mera externa solemnitate, quae in Ecclesiae apparatu consistit, in populi concursu, in solemniori communione generali etc. non se immiscet Ecclesia, sed Rectorum Ecclesiarum prudentiae, potiusquam Ordinariorum, illa remittitur. Ceterum, etsi Ordinariorum auctoritatem requirendam sustineas, hanc vel implicitam, vel tacitam, vel praesumptam sufficere, admittendum esse autumamus. Quid enim magis esse potest cordi Ordinariorum, quam christiani populi spiritalis utilitas, quae per indulgentiarum acquisitionem obtinetur? Quoties ergo Ecclesiarum Rectores iudicaverint, ovium sibi commissarum bonum postulare, ut ad indulgentias facilius lucrandas externae solemnitatis translatio fiat, eam peragere poterunt, certiores facti, id esse quoque de Ordinariorum consensu et voluntate.

At obiicies: Decretum *Urbis et Orbis* pluries citatum exigit *translationes ex iustis causis,* et *debitis cum facultatibus factas;* ergo. Respondendum, pro translata solemnitate posse intelligi externi cultus celebrationem, aut cum officio et

Missa, aut sine officio sed cum Missa, aut prorsus sine officio et sine Missa. Iam nunc translationem primo sensu acceptam non posse fieri nisi ex iustis, seu liturgicis causis debitisque cum facultatibus manifestum ponimus: translationem autem sub altero sensu sumptam nec fieri posse sine peculiari S. R. Cоñgnis, indulto etiam periti norunt. At animadvertas velim, in utraque hypothesi Ordinarium nihil posse; sed aut iuxta Rubricas agendum est, aut cum speciali S. R. Cоñgnis permissu. Verum quando agitur de mera externi cultus celebratione, quae nullum continet actum iuxta Rubricas ordinandum, et pro quo nulla specialis requiritur S. R. Cоñgnis facultas, tunc iustae quidem exiguntur causae, uti superius diximus, sed nulla Ordinarii licentia, ex legis obligatione, opus est, vel illa ad summum, quam ante innuimus.

Instabis: Pro dictis translationibus praecitatum Decretum exigit iustas causas et debitas facultates, *licet etiam pro sola externi cultus celebratione, quin et una simul* **officium cum Missa** *transferatur*. Ergo. Respondemus, *officium cum Missa* ita intelligendum, ut significet totum officium chorale, quod officium et Missam complectitur. Loquitur ergo Decretum de iustis translationibus solius externae celebritatis, quin simul totum officium chorale transferatur, sed tantum aliqua pars, nempe Missa, uti fieri communiter solet in Gallia. Hoc autem in casu debitae citra dubium facultates requiruntur, non vero quando transfertur externi solius cultus celebratio, nulla autem pars choralis officii.

Quod ut luculentius fiat, notanda sunt verba, quibus se Decretum exprimit, quae ad litteram

sequentia sunt: « Iam vero, cum hac nostra praesertim aetate, **maxime** ob ecclesiasticas conventiones ab Apostolica Sede cum exteris nationibus initas, festorum legitimae translationes occurrant; et **generatim**, cum per huiusmodi translationes ex iustis causis, debitis cum facultatibus factas, licet etiam pro sola externi cultus celebratione, quin et una simul officium cum Missa transferatur, fidelium devotioni consultius prospiciatur, ad eam magismagisque fovendam maxime interest, ut etiam indulgentiae his festis adnexae transferantur. » Ex quibus inferimus: 1. verbum **maxime** respicere peculiarem casum de ecclesiasticis cum Sancta Sede conventionibus, sed alios non excludere, in quibus eiusmodi conventiones locum non habent. 2. Verbum **generatim** comprehendere iustas causas cum debitis facultatibus pro iisdem translationibus; sed non excludere alios casus de iustis causis sine debitis facultatibus: quippe quae, cum non agatur de exemptione a liturgicis regulis, necessariae non sunt. Hinc severiora apparent sequentia, quae docet cl. De Herdt: « Hanc indulgentiarum translationem tantum locum habere in festis, quae *legitime*, seu iuxta *conventiones ab Apostolica Sede initas*, aut *debitis cum facultatibus* transferuntur, ut patet ex toto contextu; non vero in illis, quae sine facultate apostolica pro arbitrio rectoris Ecclesiae transferuntur *(Pars 4, n. 281, 2).* » Casus enim quidam a Decreto pro maiori explicatione positi excludere alios non valent, qui facile possunt occurrere. Equidem arbitrium Parochorum excludendum est, quod libenter admittimus; sed ubi spiritalis habetur animarum utilitas, cui Rectores Ecclesiae prospi-

cere debent, iam iusta admittenda est causa, haud vero arbitrium. Proinde arbitramur, translationem indulgentiarum esse legitimam, vi Decreti, et habere locum, non solum quando aliqua intercedit cum Apostolica Sede conventio, non solum quando debitae adsunt facultates ob dispensationem a legibus liturgicis; sed etiam quando ob solam fidelium utilitatem, sine ulla conventione, quin tamen lex ulla liturgica frangatur, mera externa solemnitas transfertur, quam indulgentia sequitur.

Quod vero attinet causas, ex quibus dictae fieri translationes possint, praecipua est fidelium utilitas, quam respiciunt omnia Decreta, a S. Indulg. Congñe hactenus evulgata, et maxime Generale, seu *Urbis et Orbis* 9 Aug. 1852: ut scilicet *indulgentias, quae occasione dierum festorum vel concessae iam sunt, vel concedentur, fideles facilius lucrari possint*. Hinc altera ex causis, fidelium devotio est, de qua idem Decretum loquitur; ut enim illi *consultius prospiciatur, et ad eam magismagisque fovendam, maxime interest*, ait Decretum, *ut etiam indulgentiae his festis adnexae transferantur*. Tertia accedit, estque maior gloria in Deum redundans, ob cultum sive in illum, sive in Sanctos impensum. Quarta additur, et esse potest levamen animarum, quae piacularibus flammis sunt addictae, in quarum suffragium dictas indulgentias applicandi potestatem Ordinario facit Ecclesia. Quod si festum cui adnexa est indulgentia, cum alio nobiliori occurrat, vel per accidens vel perpetuo, ipsa necessitas tunč festi translationem imponeret: quae tamen, si per accidens, cum indulgentia externam solemnitatem

sequatur, optime ex Rectorum prudentia translationem quoque secum ferre potest externae solemnitatis in bonum fidelium.

II. Altera petitio sciscitatur, quaenam generales in praesenti disciplina sint regulae pro transferenda indulgentia alicui festo adnexa.

Diximus *in praesenti disciplina*, quia antiquitus aliquantulum severior haec disciplina fuit. Itaque reponimus, festum translatum, maxime praesenti materia inspecta, multiplici sensu intelligi posse: festum translatum quoad officium et Missam, sive per accidens, sive perpetuo: festum translatum quoad Missam tantum, quia licet officium et Missa recitata fuerint die festo, nihilominus vix populus particeps illorum fuit; et hoc sensu dicitur solemnitatem festi transferri: festum translatum quoad nullam partem liturgici officii, sed tantum quoad externam celebrationem, quam fidelis populus participat. Iam nunc principium est, quod a Decreto *Urbis et Orbis* perspicue docemur, ut scilicet: *omnes indulgentiae*, sive concessae sive concedendae, festis adnexae, *translatae intelligantur pro eo die, quo festa huiusmodi, etiam quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem.... sive in perpetuum, sive aliqua occasione, sive ad tempus, eoque durante, legitime transferuntur. Cum vero transfertur tantum officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, indulgentiarum nullam fieri translationem* S. C. Indulg. declarat (*9 Aug. 1852*). Quando autem agitur de perpetua translatione festi quoad officium et Missam, tunc, quin ulla fieri possit quaestio de translatione solemnitatis, indulgentia etiam translata cum festo censeri debet. Namque sequens Dubium

S. Ind. Congñi, propositum est: *Utrum translato festo in perpetuum et perpetuo ad aliam diem, sive ex speciali Decreto S. R. Congñis, sive ex praescripto Rubricarum assignato, simul ad eamdem diem iterum festo assignatam transferatur indulgentia eidem festo concessa, licet festum celebretur sine solemnitate et publica functione?* Responsum vero fuit: *Affirmative* (12 Ian. 1878 ad 1).

Ex quibus sequitur, regulas omnes, quibus indulgentiarum translatio moderanda est, ad unam fere redigi posse, quae sequenti ratione enunciatur: Quandocumque festum cum solemnitate, seu externi cultus celebratione iustis de causis et legitime transfertur, translata quoque censenda est indulgentia dicto festo adnexa. Neque interest, si festum transferatur quoad officium et Missam, aut quoad hanc tantum, vel si nulla festi quoad officium et Missam translatio fiat, vel si translatio, quae fit festi, sit per accidens aut perpetuo, dummodo transferatur externa celebritas. Quod si translatio festi quoad officium et Missam, perpetua sit, indulgentia transfertur cum festo, quamvis sine solemnitate recolatur. Hinc, tunc tantum indulgentia non transfertur, quando festum die sua cum relativa sibi externa solemnitate recolitur. Inferes quanti sapientia ac benignitas facienda sit Ecclesiae, quae thesauros sibi commissos satisfactionum Christi Sanctorumque, tam liberaliter elargitur, ut divites Christifideles in Domino facti, et sibi debitis satisfaciant poenis, et quantocius tum sibi tum animabus in poenali carcere detentis caeli portas aperiant.

III. Tertio inquiritur, quid de casu proposito iudicari debeat.

Reponendum, perpensis omnibus, nullius esse difficultatis certum de praefato casu iudicium. Nam 1. licet non agatur in casu de translatione perpetua, agitur tamen de translatione per accidens quoad officium et Missam, et etiam quoad solemnitatem externam. Haec enim in quo consistat superius vidimus, eamque patet vix habere posse locum in festo occurrenti S. Praecursoris Christi, ob relativam solemnitatem illius propriam. Praeterea satis superque visum est, quanta impraesentiarum limitatione intelligendum sit principium de non transferenda indulgentia cum festum transfertur: ut uno tantum in casu applicari illud possit, dum generatim cum festo ipsamet indulgentia transferatur. 2. Decretum *Urbis et Orbis* d. d. 28 Iun. 1889 super festo SSmi Cordis Iesu clarius, quod indulgentiam spectat, se exprimere vix poterat. Ait namque: « Insuper ad Fidelium pietatem ergo Sacratissimum Cor Iesu impensius fovendam, SS. Dominus Noster libens ultro concessit, ut in cunctis Ecclesiis et Oratoriis, in quibus die festo, sive proprio sive **translato**, ipsius Sacri Cordis Iesu, coram Sanctissima Eucharistia persolventur divina officia, clerus et populus, qui hisce officiis intererit, easdem lucretur indulgentias, quas fidelibus, divinis officiis per octiduum Corporis Christi adsistentibus, Summi Pontifices elargiti sunt. » Quod sane demonstrat, solemnitatem, hac in festi licet per accidens translatione, manere translatam, ut cum officio et Missa etiam pia exercitia transferri iure possint, in hisque peragendis indulgentiam lucrifieri. Inferes 1. quaestionem in Ecclesia, de qua casus, exortam, nullius esse negotii; cum in-

dulgentia festo adnexo Sacratissimis Cordis Iesu, sive ex assignatis normis, sive ex peculiari Decreti concessione, omni cum certitudine translata sit tenevda cum ipso festo. 2. Dato etiam, non satis perspicue constare, in quo consistat solemnitates festi. ratio non aderat dubitandi in casu de indulgentiae translatione. 3. Eos, qui sentiebant, transferri non posse indulgentiam in casu sine facultate Episcopi, ad ipsummet Decretum penitius considerandum remittendos fuisse; in genere autem, si Ecclesiarum Rectores transferre solemnitatem nequeunt ex lege aut ex indulto, id neque possint ex Ordinarii facultate, quae nihil in dictam translationem valet influere.

SUPER DECRETO DE LUCE ELECTRICA

ADNOTATIONES

I. Decretum Generale, vel Generali aequivalens, d. 3. 4 Iun. 1895 (*Ephemerid. n. 8, pag. 450, II*) tria disponit: 1. Lux electrica in Ecclesiis adhibenda non est *ad cultum:* 2. Adhiberi potest ad tenebras depellendas, Ecclesiasque splendidius illuminandas: 3. Vitandum, ne modus speciem praeseferat theatralem. Hinc triplex exurgit resolvendum dubium: 1. Quid sibi velint verba « Ad cultum »: 2. Quid permittat, quidque prohibeat S.R.C.

cum altera se exprimendi ratione: 3. Quid modum theatralem constituat.

II. Cultus, de quo hic agitur, satisque patet, liturgicus imprimis est, qui nempe Deo eiusque Sanctis exhibetur, nomine et auctoritate Ecclesiae, et sub forma ab eadem Ecclesia praescripta. Cultus huiusmodi externus est, quamvis ab internis potentiis animae consocietur oportet. Actus sunt plures, uti, et quidem principaliter, Missa et Officium, sive in cantu, sive sine cantu, administratio Sacramentorum, nec non etiam Sacramentalium, sub quorum nomine comprehendi possunt quaecumque caeremoniae, quicumque sacri ritus ab Ecclesia instituti. Luce ergo electrica uti pro quocumque ex dictis actibus persolvendis in Ecclesia S. R. C. prohibet. Inferes intactam perseverare antiquissimam consuetudinem, multiplici lege firmatam, luminum ex cera in omnibus Missis sive privatis sive cantatis adhibendorum, ut pro Missis luce electrica uti sit omnino interdictum, et Decretum nullo pacto eas respiciat, imo in iis electricam lucem omnino vetet. Idem de quacumque officii parte intelligas, cum pariter lumina plus minusve ex cera requirantur in persolvendo officio, uti semper hucusque factum est, ex notis legibus. Dicta extendas ad quemcumque alium actum liturgicum in sacris templis exercendum: hoc est pro eo lux electrica est prohibita, eo quod ad cultum adhiberi nequeat, uti Decretum edicit.

Quid autem de functionibus quibusdam dicendum, quae vix liturgicae dici possunt, quatenus nulla lege praescriptae sint, neque in codicibus liturgicis ordinatae reperiantur? Ex. gr. congregatur populus in templo ut mariale Rosarium re-

citet, aut decantet, uti in quibusdam Neapolitani regni Ecclesiis ipsimet audivimus, litaniae inde concinuntur, exponitur vel private vel solemniter Sacramentum, et aliquibus dictis precibus, aut *Tantum ergo* solum decantato, populus dimittitur cum benedictione. Lumina electrica accendi ne poterunt in altari, aut extra, ante Deiparae imaginem? Exercitium peragitur *Viae crucis*, post quod Sacerdos cum Cruce populo fideli benedicit; sed alicubi usus viget, ut ante imagines *Viae crucis* lumen ex cera accendatur: poterit ne esse ex luce electrica?

Reponimus, quamvis eiusmodi actus severe liturgici appellari nequeant, functiones tamen esse indubie ecclesiasticas et sacras, quae Liturgiae plus minusve participes sunt, uti de *Tantum ergo*, de benedictione cum Sacramento, atque etiam de benedictione crucis comprobatur. Ceterum, admisso etiam de mere ecclesiasticis functionibus agi, dummodo sacris, pari cum certitudine tenendum est, pro iis quoque luce electrica non posse uti. Quia vera cultus ratio comprobatur, licet sit tantum ecclesiasticus; et Decretum generaliter praedicat, lucem electricam in Ecclesiis non posse adhiberi *ad cultum*. Dictae namque functiones, uti aliae similes habent pro certo obiecto Deum aut Sanctos, honoris et venerationis ergo. Porro cum Deum vel Sanctos honore habemus veneramurque in Ecclesiis, citra omnem controversiam illis cultum nostrum exhibemus, qui in eo consistit, ut externibus actibus de supernaturali eorum excellentia relativa, simulque de submissione nostra testimonium reddamus. Sive ergo actus cultus exercendi sint liturgici, sive tantum ecclesiastici,

pro utrisque lux electrica interdicta manet; esset enim *ad cultum,* quod est prohibitum.

Quod ut clarius intelligatur, animadvertendum, ipsa lumina accensa ante imagines Dei, Deiparae, et Sanctorum, actum cultus constituere, quia in solam Dei Sanctorumque venerationem accenduntur. Eapropter, etsi velimus a quacumque functione, sive liturgica, sive simpliciter ecclesiastica, abstrahere, eiusmodi lumina esse nequeunt nisi secundum legem: hoc est, aut ex cera si super altaribus esse debeant, aut ex oleo (1) coram Eucharistiae Sacramento, aut ex cera vel oleo ante imagines, quae extra altaria esse possunt. Porro Decretum, de quo agimus, suo concisiori responso « Ad cultum, negative » antiquam legem confirmat: ut quaecumque lumina, ad cultum accendenda, e luce electrica esse non possint. Consequens ergo est, ut luce electrica in Ecclesiis uti tantum possimus *extra cultum.*

---

(1) In quadam schedula alterius ex negotiatoribus petrolei, ad acquirentes per Italiam missa, mirantes nec diu legimus, petroleum non esse prohibitum pro nutrienda lampade, quae ante altare Sacramenti continuo collucere debet. Citabat autem schedula Decretum quoddam, ab re interpretatum, quod simplices in errorem inducere facile posset. Hinc hortamur Parochos Rectoresque Ecclesiarum ut caveant, ne auditum praestent praefato, aliisque eiusmodi negotiatoribus, quibus lucri aviditas ac propria utilitas dominantur, nullaque cura est de reliquis. Haec veritas: petroleum est vetitum ad cultum, nec ullo pacto permissum pro nutriendis lampadibus Ecclesiae, multoque minus ante Eucharistiam, quae in tabernaculo asservatur. In casu tantum necessitatis res Ordinariorum prudentiae remittitur, quando scilicet olivarum oleum haberi non potest. En verba Decreti, quod est in *Faventina*, d. d. 20 Mart. 1869: « Sacra... Congregatio... re mature perpensa, rescribendum censuit: Minime adhiberi posse Petroleum, vel aliud oleum ex

II. Extra cultum autem duos ponit tantum casus S. R. Tribunal, in quibus lux electrica in Ecclesiis permittitur, nempe 1. defectum luminis naturalis: 2 splendidiorem Ecclesiarum illuminationem. Quod primum spectat nulla videtur esse posse difficultas; unicuique enim facile intellectu est, ad tenebras removendas, in quibus noctis tempore versamur, loco luminum, quae aluntur ex oleo vel ex cera, aut ex alia materie, adhiberi per se posse etiam lumina ex electro elicita. Hic solum animadvertendum opportune credimus, ex defectu naturalis lucis nullam materiem, ex qua nutriri lumina possunt, severiori sensu fuisse prohibitam, utpote extra cultum. Hinc in principalioribus Ecclesiis ad dictum finem, tam Romae, quam in tota Italia, generaliter scimus fuisse hucusque adhibitum oleum olivarum, uti etiam in Ecclesiis exteris primariis. Non tamen defuerunt aliquae, in quibus adhibebatur et adhuc adhibetur lux ex atris vaporibus elicita, vulgo *gaz:* hanc in qui-

---

vegetalibus ad illuminandam Ecclesiam; sed in casu tantum necessitatis ex prudentia Ordinariorum. » Nota autem, in petitione non agi de lampade Sacramenti, quae explicite excluditur, sed de aliis lampadibus, utrum nutriri possent ex petroleo: responsio autem illa data est, quam retulimus. Non tamen dubitandum, etiam coram Sacramento uti posse lampade ex petroleo nutrita, sed solum in casu necessitatis et de facultate Episcopi, uti anterius Decretum praedicat, quocum sequens alterum concordat cuius en ad litteram verba: « Generatim utendum esse oleo olivarum: ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiae Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit vegetabilibus (*Plur. Dioeces. 9 Iul. 1864*). » Quod etiam de lampade Sacramenti intelligendum, de qua explicite in expositione Dubii.

Provideant ergo et Rectores Ecclesiarum et Episcopi, neque velint acquiescere omni vento verborum.

busdam exteris Ecclesiis perspeximus oculis nostris, imo videre est etiam in aliqua ex Romanis Ecclesiis. In quibusdam minoribus Ecclesiis aliqua vidimus lumina nutrita ex petroleo, et etiam ex ea materie, quam italice *lucerinam* dicimus. De his autem variis diversisque lucis speciebus nulla lex aderat positiva, seu prohibens seu permittens; quamvis multiplex privata auctoritas pro aut contra staret. Academia Liturgica romana censuit, tolerari posse usum lucis ex atris vaporibus elicitae, quia iam invectum in pluribus ecclesiis, haud vero lucem electricam. Non profecto, quia illam ista meliorem censuerat, sed quia huius consuetudo lucis inducta in Ecclesiis non erat adhuc: adeo ut conclusisset, eam non esse inducendam tamquam novitatem, nisi prius competens audita fuisset auctoritas. Quaestio tamen versabatur super dictae lucis usu, non solum ex defectu luminis naturalis, sed etiam ad Ecclesias illuminandas *(Conv. 30 Nov. 1887)*. Ceterum, cum de aliquo novo agitur in Ecclesias inducendo, si quid habet gravitatis, consultius semper est, ut ecclesiasticae auctoritatis iudicium expectetur. Hinc plures impraesenti Ordinarii locorum, luce electrica in usu humano iam pluribus in locis communi, praefatum iudicium expostularunt, ut omni cum securitate se gererent in hac adhibenda luce, seu ad tenebras depellendas, seu ad pompam exteriorem augendam. Porro S. R. Tribunalis responsio satis perspicua est, videlicet: ad tenebras depellendas lucem electricam in Ecclesiis adhibere licet. Itaque, vi huiusce responsi, unicuique Ecclesiarum Rectori permittitur, ut hac vel illac, extra altaria tamen, aliquem congruum concinnumque

locare in parietibus apparatum pro hac obtinenda luce. Diximus *extra altaria tamen;* quia quae in altari fixa ponuntur lumina, nonnisi ad cultum esse queunt.

Quod spectat alterum, aliqua oriri potest difficultas, eo quod Ecclesiarum maior minorve illuminatio, seu cum cereis, seu cum lampadibus oleo nutritis, atque ita etiam cum luce electrica, cultum respicere videntur. Id autem esset contra primum responsum, ac proinde quodammodo contradictionem involvens, cum concederetur in secunda quod in prima responsione negatur. Nihilominus consideranda petitio est, et responsio, ex quibus patebit, secundam cum prima responsione apprime cohaerere. Obiectum petitionis est lux electrica: 1. ad depellandas tenebras: 2. ad pompam exteriorem augendam. Decretum autem, finem cultus excludens, ad utrumque affirmative respondit: ut iam a priori concludendum sit, electricorum luminum usum, non solum ad depellendas tenebras, sed etiam ad pompam exteriorem augendam, cultum non tangere. Sed, re quoque in se spectata, idem citra dubium admittendum est. Illa namque lumina cultum respiciunt, quae vel super altari ponuntur, vel ante altaria, vel ante imagines Christi aut Sanctorum in signum venerationis. Alia vero, quae extare per Ecclesiam possunt, puta vel in structilibus columnis, vel in corona templorum, aut alibi, non ad cultum collocantur, sed vel ad tenebras propulsandas vel ad maiorem solemnitatem significandam. Sicut enim in Ecclesiis imagines aliquae aut pictae tabulae ponuntur ad venerationem, aliquae tantum ad ornatum, ita et de luminibus dicendum est.

Adeo ut quemadmodum plura ex iis quae imagines ad cultum respiciunt, ad imagines ad ornatum applicari nequeunt, nec debent, ita lex quae lumina ad cultum respicit, ad lumina ad solemnitatem non est applicanda.

Inquiri nunc potest quomodo haec lumina electrica confecta esse debeant, et quomodo locari in templis possint. Super primo indubie tenendum, rationem horum luminum conficiendorum, quod pertinet apparatum, Ecclesiae maiestati decorique respondere debere, uti unusquisque intelligit. Profecto templa non sunt tractanda uti vel publicae urbium viae, neque uti via ferreis axibus strata, vel quasi profanae aulae, in quibus hominum commodum unice intenditur. Finis praefatorum luminum, maior pompa est, sed huiusmodi pompa est sacra; ergo et lumina sacrae solemnitati fas est respondeant. Hinc et Decretum notat: « cauto tamen, ne modus speciem praeseferat theatralem. » Quidquid ergo profani est, quidquid rusticum aut inelegans, in hisce luminum apparatibus vitare oportet, essetque contra legem, quae antedictis verbis Ecclesiarum maiestati ac decori consuluisse intendit. Simplicissimum vidimus eiusmodi apparatum in quadam Urbis Ecclesia (1), satis, quantum videmus, Ecclesiae decori congruum: qui in quadam brachialis forma consistit ex metallo inaurato, instar aliorum, quibus utimur in templis pro vel candelis vel lampadibus sustentandis: cuius tamen pars ultima exterior retorta, et aliquantulum ad humum versa, luci electricae reci-

(1) Ecclesia S. Silvestri, quae dicitur *in capite*.

piendae aptata erat. Eiusmodi apparatus digni nobis apparent, qui ad imitationem pro aliis Ecclesiis, quae lumina electrica admittere velint, proponantur. Alii etiam extant apparatus grandiores, qui in lycnis seu luminaribus consistunt, ad instar illorum luminum copiam, quam Itali lampadaria nuncupant. Hi circularis propemodum formae plura continent veluti brachialia, ex quibus unumquodque plus minusve amplam facem continet; et, si affabre confecti, respondere quoque possunt dignitati templorum, modo tamen servato circa theatralem evitandam speciem: quod respicere potest sive flammae extensionem, sive magnitudinem ipsius apparatus. Ceterum, variis apparatuum relictis formis, quas artis progressus praesens suggerit, hoc unum animadvertisse sufficiat, Ecclesiarum Rectores, imo et Episcopos Ordinarios zelo pro domus Dei honore non defecturos, ut S. R. Tribunalis indulgentia utentes, eos omnes, qui minus conveniunt templis, apparatus respuant.

Quod ad alterum spectat, brevi animadvertimus, oportere, ut electricae lampades a quovis altari sint remotae, ne ad cultum videantur adhibitae, uti ab imaginibus quae ad cultum sunt in Ecclesiis. Quinimo in ipsis Ecclesiarum cappellis, si cavo spatio sint praeditae, oportet ut non apponantur haec lumina, licet in parietibus, ne lampadibus, quae ad cultum vel ex praecepto vel ex devotione adhibentur, suffectae appareant. Illa, quae, ut superius diximus, in una ex Ecclesiis Urbis vidimus, adhaerebant externae structili columnae uniuscuiusque altaris, ita ut nec altare, nec imaginem ullam, sed sacrae aedis alam

prospicere tantum possent. Si autem de lycnis agatur, neque in presbyterio, neque prope altaria, neque in interna cappellarum parte habere locum poterunt. Haec quidem ut Decreti dispositio fideliter servetur: quod ceterum Ordinariorum vigilantiae, ex suapte natura committitur.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Mandela.* **De nonnullis in baptismo conferendo mutandis.** Rituale in *Ordo Baptismi parvulorum* verba, quae infantis sexum respiciunt, semel tantum mutat, scilicet in n. 3, cap. 2, Tit. II, ubi ait: « Exi ab eo, vel ab ea, etc. » In reliquis vero quae sequuntur, ponit semper masculinum sexum seu masculinum genus, et de facienda mutatione tacet omnino. Hinc quaeritur, utrum dicta verba sexum respicientia, mutanda sint, eaque infanti accommodanda?

Resp. Affirmative. Certo constat ex ipsa Ritualis Rubrica, posita post Ordinem praefatum Baptismi parvulorum, ubi explicite docemur, omnia esse dicenda in proprio genere et numero: « Si vero fuerint plures baptizandi, sive masculi sive feminae, etc. omnia pariter dicantur ut supra, in proprio genere et numero plurali (*Tit. II, cap. 2, n. 27*) ». Porro si genus servandum et numerus plurium quando plures sint diversique sexus baptizandi, iam patet, eumdem servandum numerum singularem quando unus est tantum

baptizandus, ac masculinum genus servandum pariter, si baptizandus sit masculus, femininum, si femina. Quod ceterum patet ex aliis in eodem Rituali exemplis pluribus, uti etiam in reliquis libris liturgicis, contentis. Saepissime enim *famulum tuum* mutatur in *famulam tuam, servus tuus* in *ancilla tua*, etc. etc. Inferendum proinde, verba illa mutationis ab initio indicata Ritualis, fuisse tamquam ad exemplum inscripta, ut minister baptismatis in casibus similibus eadem ratione se gerat, et verba sexui infantis accommodet. Eapropter ita communiter ministri baptismatis operantur, seu ex lege, seu ex consuetudine, quae ab illa derivat, seu etiam ex recto sensu, uti per se patet. Itaque sicut baptismum feminae administrans, minister in supercitato loco mutare debet *ab eo* in *ab ea*, ita in sequenti Oratione dicet pro *hunc electum tuum, hanc electam tuam*, consequenter *signatam* pro *signatum*. In alia *hunc famulum tuum* mutabit in *hanc famulam tuam, quem* in *quam, ab eo* in *ab ea, colligatus* in *colligata, imbutus* in *imbuta, laetus* in *laeta:* atque ita in reliquis.

II. *Ex America.* **De Bireto pro clericis in choro.** Quaeritur, utrum Clerici choro assistentes, uti possint bireto quemadmodum alii Sacerdotes.

Resp. Maxime, citra omne dubium. Singulare plane quaesitum, super quo, magnae licet non appareat gravitatis, aliquatenus immorabimur, quia relatum nobis est in praefato loco clericos, qui in nullo ex Ecclesiae Ordinibus sunt constituti, ab eo deferendo vetari. Biretum a Βιῤῥον, latine *Birrus* vel *Burrus*, derivatur. *Birrus* enim vestis erat, qua corpus, *biretum* vero superior birri pars,

qua caput tegebatur. Est proinde biretum tegumentum capitis, sed ex usu biretum, de quo in casu, proprium clericorum est. Salisburense Concilium (*cap. 6*) interdixit clericis, *ne sine... bireto* praesumerent *in Ecclesia incedere.* Ex Concilio Turonensi (*cap. 14*) iubentur clerici uti biretis, *praesertim in Ecclesia.* In Toletano edicebatur, ut *nusquam in Ecclesia absque bireto... clerici* conspicerentur. Cl. Ferraris refert quoque Decretum S. R. Congregationis d. d. 30 Mart. 1633, quo statuitur, clericis in choro utendum esse bireto: hoc tamen in Collectione praesenti non legitur. Concilium quoque Mediolanense I. (*Tit. Quomodo versandum in choro*) exigit, ut *in choro, etiam in matutino officio, clerici bireto utantur.* Sed dicta reponimus, et inquirimus: unde constat, clericis inferioribus biretum deferre in choro esse vetitum? Num aliquod est insigne, Canonicis vel Beneficiatis indultum, uti rochetum, annulum, etc.? An non potius simplex operimentum capitis, cuiuscumque clerici proprium, uti talaris vestis, vel superpelliceum? Italae, Gallicae, Belgicae, Germanicae, Hispanicae, etc., Ecclesiae singulae clericos habent, pluriesque ipsimet in nonnullis ex illis praesentes in choro fuimus. Ex clericis non deerant, qui nec prima tonsura initiati fuerant; et nihilominus omnes utebantur bireto, nec plus nec minus, uti Canonici, vel Presbyteri. Aliquod ne concilium Americae tantum habitum fuit, ex quo tam simplex operimentum capitis interdictum fuit? At fortasse dices, ab eo ferendo vetantur clerici, ut a Canonicis discriminentur. Sed reponimus, unde ius tale discrimen inducendi? Iam alias Ecclesia Zarensis pileoli usum cupiebat in-

terdicere clericis, ne pares Canonicis viderentur; at S. R. C. ad quam quaestio delata fuit, aperte respondit, pileolum uti Canonicis ita clericis esse licitum (*Zaren. 3 Oct. 1689 ad 1*). Quaestio praesens plane similis est, et indubie tenendum licitum esse biretum gestare omnibus in choro praesentibus, cum et proprium sit quorumcumque clericorum, id ferat universalis consuetudo, nusquam illius vetitum legatur, maiori etiam decori et uniformitati conforme sit.

III. *Ex eodem loco.* **De Missa cantata de requie prohibita in octava Paschae**. An in tota octava Paschae prohibita sit Missa cum cantu pro defunctis?

Resp. Per octavam integram Paschae quaevis Missa pro defunctis est prohibita (si exequialem, seu quae cadavere praesente vel tamquam praesente canitur, excipias, in solemnitate Paschae tantum prohibitam), sive lecta, sive solo cum cantu, sive etiam cum ministris sacris, licet anniversaria. Constat ex innumeris Decretis, ex omnium Liturgicorum auctoritate, ex recto sensu liturgico. Ceterum ex ultimo Generali Decreto, quod Caeremoniale Romano-seraphicum citat, et authenticum certa scientia novimus, Missa anniversaria infra dictam octavam manifeste prohibita est; ergo a fortiori aliae sunt prohibitae (exequiali excepta), quae nullo speciali privilegio fruuntur.

IV. *Ex eod. loco.* **De mera Cordis Iesu figura non exponenda in Ecclesiis**. Quaeritur, num figura Ss. Cordis Iesu, omnino a persona separata, exponi queat ad cultum publicum.

Resp. Negative. Quin sapientissima exhibeamus momenta, ex quibus publica Auctoritas Eccle-

siastica meri Cordis Iesu simulacrum censuit exponendum non esse ad publicum cultum, satis sit adm. Rev. Dom. consulenti notum facere, dictam expositionem publicam ex lege positiva fuisse prohibitam a S. R. Congñe. Iam enim ab anno 1857 quaesitum fuerat: « Utrum liceat exponere in Ecclesiis Imaginem Cordis septi corona spinea cum cruce superposita, ad designandum Cor Domini N. I. C. absque eo quod persona D. N. alio modo repraesentetur: vel etiam eodem modo Effigies duorum Cordium iuxta positorum, ad exprimenda Corda D. N. I. C. et B. M. V.? » Cui petitioni Sacrum Tribunal respondebat: « Ad Episcopum, servata forma Decretorum Concilii Tridentini et sa: me: Urbani Papae VIII (Molinen. 12 Sept. 1857 ad XXVIII) ». Progressu vero temporis, seu duobus et viginti annis a primo, alterum eidem Tribunali Dubium propositum fuit, quod sic se habet: « Utrum approbanda tolerandave sit Effigies.... duorum Cordium.... quorum unum refert Cor adorandum Verbi incarnati.... alterum autem immaculatum Cor B. M. Virginis etc.? » Responsio autem fuit: « Eiusmodi emblema privata ex devotione permitti posse, dummodo altaribus non apponantur *(Marianopolitana, 5 Apr. 1879)*. » Vix autem innuendum, permissionem pro privato, vetitum pro cultu publico, non duo praefata Corda simul posita respicere, sed utriusque expositionem ad cultum in Ecclesia; par est enim ratio, si ambo, vel alterutrum ex illis exponantur. Dicitur autem, ea apponenda non esse in altaribus; ibi enim principaliter Christi, Deiparae, aliorumque Sanctorum imagines cultum recipiunt a fidelibus. Quod cum

sit prohibitum, satis patere credimus, quaesito proposito nonnisi negative responderi posse.

V. *E Parisiis.* **De concursu inter Titulum Ecclesiae et Patronum provinciae pro Regularibus.** Regulares tenentur ad tria festa dioecesana celebranda, S. Patroni praecipui loci, Titularis et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis. Sed in civitate Marianopolis Titularis Ecclesiae Cathedralis est S. Jacobus Ap. die 25 Iulii occurrens, et concurrit cum S. Anna (26 eiusd. mensis) Matris Deiparae, Patrona provinciae. Quaeritur: quomodo sint ordinandae Vesperae?

Resp. Quin aliquid animadvertamus super iis, quae Dubio proposito praemittuntur, quadam enim expositione indigerent, ut veritati perfecte respondeant, eidem Dubio simpliciter respondemus, supponentes utrumque festum, de quo inquiritur, esse a Regularibus recolendum sub ritu dupl. 1. classis sine octava. Utrumque festum simul conferentes, invenimus alterum, nempe S. Iacobi Ap. dignitate liturgica esse praeditum, quod de altero, nempe S. Annae, non comprobatur. Atqui iuxta Rubricas festa hac dignitate gaudentia, in concursu, uti in occursu, aliis sunt praeferenda; ergo Vesperae integrae erunt in casu de S. Iacobo Ap. et sola de S. Anna fiet commemoratio. Animadvertas autem, rationem aliam non apparere, ob quam S. Annae festum alteri praevalere debeat, aut censeri aequalis. Nam cum sint ambo patronalia, ambo proinde primaria sunt: de quo ceterum, cum utriusque Sancti dies natalis sit, dubitari nequit. Insuper Regulares tenentur pari iure ad festum Tituli Cathedralis Ecclesiae et Patroni loci, quocumque in dioecesis loco commorentur.

Denique animadverti potest, Patronum provinciae, si severius loquamur, non esse praeceptivum pro Regularibus, nisi consuetudo illius celebrandi vigeat; cum praeceptum Patronum loci particularis respiciat, qualis Patronus provinciae non est: nisi uti talis habendus sit, quia particularis deest. Quidquid sit, ratio apostolatus in S. Iacobo gravissima est, et iuxta Rubricam apprime considerauda, ut praelationem sibi vindicet prae S. Anna, quavis dignitate liturgica destituta.

VI. *Ex eod. loco.* **De cantu vernacula lingua in populo ad processionem Corporis Christi.** Possunt ne fideles in processione Corporis Christi, postquam clerus liturgico idiomate hymnos et psalmos cantaverit, laudes Sacramenti lingua vernacula canere ?

Resp. Affirmative. Ratio est, quia si in actibus liturgicis maioris gravitatis, uti ex. gr. in Missa privata, et etiam coram Sacramento pro benedictione solemnit r exposito, preces vernaculo idiomate, atque cantus populo permittuntur, maxime post recentiorem pro Musica Sacra Ordinationem; ratio non est, ob quam eadem dicenda sint eidem populo prohibita in processione Corporis Christi. Clerus enim suo munere fungitur, legemque adimplet linguam liturgicam adhibens in iis omnibus, quae Rituale praescribit. Est autem praeter legem, si populus vulgari sua lingua utatur, per quam laetiori corde, quippe qui quod canit intelligit, almum Sacramentum orat et laudat. Nulla namque, quantum scimus, lex, nullumve S. R. Cōgnis Decretum id prohibet, saltem ita explicite, ut eiusmodi preces et cantus vetiti sint dicendi, quos consuetudo ipsa cohonestat. Ut verum nihilominus fateamur cl. De Herdt ad rem habet: « Prohibi-

tum etiam est cantare laudes, cantilenas, cantiones vel alia in lingua vulgari... exposito SS. Sacramento, aut in eiusdem processione (*Prax. Liturg.* Dicta autem comprobat Decretis pluribus, quae ad calcem paginae citat *pars. 1. n. 112*). Veruntamen omnia ac singula nos cit. Decreta quaesivimus, legimus, consideravimus; et vidimus, ne unum quidem ex iis, saltem explicite, preces et cantus, vulgari idiomate, prohibere fidelibus in processione Corporis Christi. Ultimum solum ex dictis Decretis ad rem generaliter faceret, ait enim: « Cantica in vernaculo idiomate in functionibus et officiis Liturgicis non esse toleranda, sed omnino prohibenda (*Praefecturae Apost. de Madagascar, 21 Iun. 1879, ad 1*) ». Cum nihilominus post Ordinationem pro Musica Sacra, revocata censenda sint omnia decreta praecedentia aliquid in oppositum disponentia, a dicto Decreto impraesenti abstrahere licet, non enim amplius obligationem parit. Opponi fortasse posset, Ordinationem pro Musica Sacra perspicue cantus in lingua vulgari prohibere in functionibus stricte liturgicis solemnioribus (*Pars I, art. 7*), inter quos videtur adnumeranda processio Corporis Christi. Sed respondemus, pro dictis functionibus nonnisi Missam in cantu intelligi, et solemnes Vesperas in casu. Commentaria enim super praefata ordinatione in Ephemeridibus vulgata, quae a competenti Auctoritate antea dimissa fuerunt, de processionibus quibuscumque altum silentium servant.

VII. *E dioecesi Briocensi.* **De decurtatis pro plicatis casulis in Adventu et Quadragesima.** Quaeritur, utrum pro casulis plicatis, quas in Missis solem-

nibus de tempore Adventus et Quadragesimae, Rubricae exigunt, adhiberi possint decurtatae?

Resp. Affirmative. Notum ponimus finem Rubricae planetas plicatas in dictis Missis praescribentis. Ad rem cl. De Herdt: « Plicantur ante pectus, olim ob commoditatem ministrandi, quando totum corpus ambiebant, et nunc vel ad servandum vestigium antiqui ritus, vel ad differentiam casulae sacerdotalis (*Pars 1, n. 160*) ». Quo posito, iam patet per planetam decurtatam, eumque plane obtineri finem, ac per plicatam. Adeo ut Rubrica ideo planetas, seu casulas plicatas exigat, ne Ecclesias ad illas resecandas adigat, ut breviores in anteriori parte fiant. Si ergo in aliquibus Ecclesiis sic decurtatae casulae habeantur ad maiorem commoditatem, Rubrica perfecte impletur. Haec quoque insigniorum Ecclesiarum praxis in Urbe, non vero omnium, quae ex necessitate Rubricam ad literam observare coguntur.

Nota. Adm. Rev. consulenti mirum videtur, quod B. Ioanna Valesia titulo *Viduae* appelletur in Editionibus, etiam typicis, Breviarii et Missalis Romani, cum ob nullum irritumque eius matrimonium ab Apostolica Sede declaratum cum Ludovico XIII Galliae rege, nunquam uxor fuerit. Animadvertere liceat, sapienti de causa, uti nobis supponere licet, nec clausis oculis Pium Papam VI officium et Missam de ea recitari indulsisse de Communi nec Virginis nec Martyris. De eadem Beata in promptu non est nobis historia; sed cum Ludovico Aurelianensium duci, esto invite, nupta fuerit, et coniugium nullum tunc postea declaratum quando Ludovicus in Galliarum regem assumptus fuit, concludi iure potest, matrimonium

fuisse consummatum. At dices, nullum irritumque, illud fuisse. Esto, reponimus; sed consummatione posita matrimonii, quod bona fide validum reputabatur, iam Beata amplius virgo non erat, ut aliter considerari non posset, quam nec virgo nec martyr. Quonam ergo titulo, nisi Viduae, poterat appellari? Hoc in hypotesi, Matrimonium irritum fuisse declaratum ex alio impedimento, quam impotentiae.

AD DUBIA
SUPER SACRIS CAEREMONIIS
RESPOSNA

I. *Ex Indiis orientalibus.* **De inclinatione ministrorum Celebranti ante sessionem.** Quaeritur: Utrum necesse vel conveniens sit, ut tam Diaconi assistentes Episcopo ad thronum, quam ministri sacri in Missa solemni faciant Episcopo et Celebranti, respective, reverentiam, antequam ad eorum latus assideant ad *Gloria* et *Credo;* et quatenus affirmative, qualem reverentiam eis exhibere debeant?

Resp. Sit pro responso sequens animadversio, quam ad litteram accipimus a cl. Schober (*Caeremoniae Miss. solemn. Art. I, Cap. 2, n. 7, in nota*), et optimam iudicamus. " Meratus p. II. tit. 4, n. 36, Bauldry p. III. cap. 11. art. 5, n. 3, Bissus Litt. 6, n. 199. § 16, Laboranti Lib. III. n. 78, Hippolytus, Vinitor, Buongiovanni, Benvenuti et alii dicunt, Ministros profunde

se inclinare debere Celebranti priusquam sibi invicem inclinationem faciant. Cui sententiae praxis Romana hodierna videtur contradicere, iuxta Martinucci Lib. I. cap. 12, n. 22 not. *a*, scribentem: *Ministri antequam consideant, reverentiam Celebranti efficere non debent, quemadmodum quidam irregulariter solent, sed inclinationem ad invicem debent exequi.* Ratio videtur esse, quia ista inclinatio non fit reverentiae causa, sed potius est invitatio utriusque ministri ad sedendum. — Ubi autem consuetudo existit, ut Celebrans Ministros in sedendo salutet, sive capite detecto, sive cooperto, servari potest, uti ex Decr. S. R. C. die 18 Aug. 1877 in Angren. ad 7, n. 5711 elucet. Quaesitum est enim: " *An Presbyter solemniter celebrans, quoties sedet, sacris Ministris salutationem reddere debeat caput aperiens, vel inclinationem tantum facere capite cooperto?* Ad quod eadem S. Congr. rescripsit: *Ad VII. Servetur consuetudo* „. Haec praecitatus auctor. Sed contra Martinucci sententiam, quae quemdam sapit excessum, liceat animadvertere: Si S. R. C. permittit ut usus servari possit, vi cuius Celebrans ministris salutationem reddat, iam patet eamdem supponere salutationem fieri posse seu inclinationem Celebranti ex parte ministrorum. Porro si in Celebrante usus resalutandi ministros servari licite potest, servari et usus poterit in ministris salutandi Celebrantem. At ecquis audebit asserere usum permissum a S. R. Congregatione esse irregularem? Ne quid nimis. Non ergo inclinatio in casu praescripta, nec prohibita, nec proinde contra, sed praeter legem est: ubi itaque usus illius viget, regularis est; ubi non viget, praeter legem erit, sed non irregularis, si fiat. Quae dicta sunt pro ministris in Missa solemni, applica et Diaconis assistentibus in Missa pontificali.

II. *Ex eodem loco.* **De loco genuflexionis a Subdiacono faciendae ad «Pax Domini»**. Iuxta Ritum celebrandi Missam, tit. X, n. 8. " *Subdiaconus cum dicitur " pax Domini ", iterum genuflectens, accedit ad altare* ". Quaeritur utrum, genuflexio de qua Rubrica hic expresse loquitur, fieri debeat in plano, vel potius in ipso accessu ad altare supra pedum scabellum (predella), sicut paullo ante ipse Subdiaconus ibidem, deposito velo humerali, praecipitur genuflectere?

Resp. Uti verba se exprimunt, significant, Subdiacono antequam ascendat ad altare genuflectendum esse, secus Rubrica dixisset, eum ascendere et genuflectere. Eapropter, Subdiaconus, vi dictae Rubricae, genuflectere debet super infimum altaris gradum more solito, postea ascendere ad latus Celebrantis, seque illi conformare in alia quam peragere debet genuflexione, ante *Agnus Dei.* Ut consequenter, non una tantum genuflexio, sed duae eidem Subdiacono sint faciendae; et haec est omnium universim auctorum sententia, Rubricis plane conformis.

Nota. Campanulam in Missa privata pulsari posse, ubi consuetudo vigeat, ad *Domine non sum dignus*, Decretum docet *Ord. Min. de Observ. S. Franc.* d. d. 14 Maii 1856 ad 9. Pulsari quoque posse ad *Hanc igitur* nulla auctoritas est, uti ad parvam elevationem, seu cum dicit Celebrans *omnis honor et gloria.* Hoc certe non dicimus contra, sed praeter Rubricas, et consultius credimus eam non pulsari quamvis reprobari nequeat. Ratio sonitus ad *Hanc igitur* est veluti monitum, quod fideli populo datur adstanti, ut ad maximum Missae actum, seu ad consecrationem et elevationem se paret. Alterius ratio est, ipsa parva elevatio, quae unica erat antiquitus. Damnari quidem non potest talis consuetudo; sed cavendum ne pueri,

qui generatim Missis inserviunt, et in sonitu tantopere se placent, campanulae sonitum ad libitum multiplicent, et fideles a devotione exturbent.

III. *E Dioecesi Briocensi.* **De tono « Benedicamus Domino » in festo Ss. Innocentium.** Quinam tonus in cantu *Benedicamus Domino* adhibendus est, tum in Missa, tum in Vesperis Ss. Innocentium? Ex una enim parte, doxologia *Iesu tibi sit gloria* exigit, ut illud cantetur sicut in festis B. M. Virginis (*S. R. C. 25 Maii 1877, Ratisbonen. ad III addit.*): ex altera parte Editio typica tonum indicat *ut in duplicibus.*

Resp. Distingue et concordabis Rubricam et Decretum. Animadvertas primum, Decretum citatum nihil explicite habere de tono *Benedicamus Domino* in festo Ss. Innocentium, sed loqui explicite de tono *Gloria in excelsis* et *Ita Missa est*, modulando ut in festis B. M. quoties dicenda sit Praefatio de Nativitate Domini. Iam vides hoc Decretum prudenter applicandum esse ad festum Ss. Innocentium, in quo nec *Gloria in excelsis*, nec *Ita Missa est* canendum est, nisi venerit in Dominica, uti Rubrica Missalis praedicat. Quomodo autem prudenter applicandum? Hac ratione, quando scilicet festum Ss. Innocentium venerit in Dominica; sed quando infra hebdomadam occurrit, Decretum citatum ad dictum festum applicari nequit. Tunc enim non *Gloria in excelsis* nec *Ita Missa est* dicendum in Missa, sed illud omittitur, et huic *Benedicamus Domino* sufficitur. Cum nihilominus tonus *Benedicamus Domino* imitetur tonum *Ita Missa est*, et idem sit tam in Missa quam in Vesperis, hinc sequitur in casu necessaria distinctio. Aut enim festum Ss. Innocentium occurrit in Dominica, aut infra hebdomadam: si primum, valet Decretum, et canendum *Ita Missa est* in Missa uti in festis B. M. Virginis, conse-

quenter eadem modulatione utendum pro *Benedicamus Domino* in Vesperis: si alterum, Decretum non habet locum, et alia modulatione utendum, hoc est ***ut in duplicibus;*** idque, uti patet, ex uniformitatis ratione, tam in Missa quam in Vesperis. Festum enim Ss. Innocentium quiddam moestitiae significat, uti notum est, a qua tamen propter Dominicam quasi abstrahit Ecclesia. Hinc si hoc in casu dictum festum sequitur communem legem, ut etiam Tractus omittendus et *alleluia* addendum sit in Missa; in illo tamen a lege communi recedit, moestitiamque redolere debet: quod etiam ad *Benedicamus Domino* quod attinet comprobari fas est.

Data autem distinctio ex arbitrio non est, sed ex Missali. Postquam enim in eo positae sunt multiplices diversaeque modulationes pro *Ite Missa est* et *Benedicamus Domino,* hoc notatur quod: *In Missa... et in festo Ss. Innocentium, quando non dicitur Gloria in excelsis,* diversa ratione *Benedicamus Domino* canendum est, cuius modulationem scribit, et ea est ad amussim, quam superius posuerat pro festis duplicibus. Ergo, quando festum Ss. Innocentium venerit in Dominica, *Benedicamus Domino* ad Vesperas, uti *Ite Missa est* ad Missam, modulandum est ut in festis B. M. V. iuxta Rubricam et Decretum *Ratisbonense*: quando autem venerit extra Dominicam, modulandum est *Benedicamus Domino* in Missa et Vesperis ut in duplicibus, iuxta Rubricam et editionem typicam.

IV. *Ex eod. loco.* **De osculo ampullae omittendo in Missa de requie.** Rubrica Missalis (*Rit. celebr. Tit. VII, n. 4*) docet, ampullam aquae, quam minister Celebranti ministrat, esse osculandam. Quaeritur, num dictum osculum omitti debeat in Missa de requie.

Resp. Citra dubium. Dictum namque osculum, uti aliarum rerum, etiam ex parte superiorum ministrorum in Missa solemni, sicut praecipitur in Missa de vivis, ita in defunctorum prohibetur. Porro si agendum est quod praecipitur, et omittendum erit quod interdicitur. Nunc autem, sicut manum Celebrantis, ita et rem quae porrigitur, osculandas non esse in Missis defunctorum Rubrica docet. Ait namque: " Ministri cum aliquid porrigunt Celebranti, in hac Missa (*defunctorum*) non osculantur eius manum, neque rem, quae porrigitur (*Rit. celeb. Tit. XIII, n. 2*). Agit quidem Rubrica hoc loco de Missa solemni pro Defunctis, sed satis notum est, Ministrum inferiorem, Missae privatae inservientem, superiorem, quantum licet, in Missa solemni imitari. Quemadmodum ergo ministri superiores in Missis de vivis deoscularentur ampullas, uti deosculantur calicem, patenam, etc., si eas solemniter Celebranti deberent porrigere; ita ab osculo iis abstinendum est in Missa de requie, uti revera non deosculantur biretum, cocleare, etc., ita minister inferior in privata Missa de requie ab osculandis ampullis abstinere debet, quas tenetur osculari in Missis vivorum; par est enim ratio, vel similis.

V. *E. Zagabria.* **De responso** *Laus tibi Christe* **ad Evangelii lectionem non omittendo**. Quaeritur num *Laus tibi Christe* omitti debeat in Missa de requie, sicuti oscula omittuntur, post lectum Evangelium? Item utrum eadem responsio omitti debeat in Missa solemniori a Subdiacono ad librum serviente?

Resp. Negative. In neutro ex duobus allatis casibus adest ratio dictae responsionis omittendae, eamque dicendam esse aperte Rubrica praescribit. Titulus enim XIII *Ritus celebrandi Missam*, qui ex professo agit *de iis quae omittenda sunt in Missa pro defunctis*, de prae-

fati responsi omissione altum silentium servat; ergo omittendum non est, et sicut in Missis vivorum praescribitur, ita et praescriptum teneas in Missa defunctorum. Haec super primo; sed nec minori certitudine super altero eadem ratione respondendum est. Namque Titulus VI citatae Rubricae, agens n. 2 de Missa privata, post lectum a Celebrante Evangelium habet: " Quo finito, minister... respondet: *Laus tibi Christe* ". Postea vero agens num. 5 de solemni, ait: " Subdiaconus accipit Missale... defert ad cornu Evangelii in altari et ibi ministrat Celebranti ". Quid autem est ministrare Celebranti, nisi inservire et respondere? Ergo muneris Subdiaconi est in casu respondere Celebranti post lectum Evangelium: *Laus tibi Christe.* Ita omnes communiter; est enim lectio privata, quam sequi privata responsio debet, uti *Deo gratias* post lectam ab eodem Celebrante epistolam.

SUPER ORDINATIONE PRO MUSICA SACRA

COMMENTARIA

(*Continuat. V. n. 8 pag. 502*).

31. A praedecessore suo gestis morem omnino gerere Leo XIII Pontifex optimum iudicavit, illiusque agendi rationem probare et confirmare sua. Eapropter Aretinum Conventum, gratum in omnibus, procul dubio, Leo XIII habere nequivit; ille enim suum liturgici cantus ad vetustam traditionem redigendi votum ad coadunatorum placitum

referebat, iniuriam Editioni authenticae recens evulgatae inferens. Compertum quidem est nobis Leonem Papam XIII libenter excepisse Aretinum Conventum, laudibus affecisse, et singulis seu ecclesiasticis seu laicis sui ostendisse animi benevolentiam. Verumtamen, ut optata Conventus exprimerentur minime passus est Pontifex, verba ad se habere non permisit, quasdam antea paratas modulationes liturgicas; votaque coram Sanctitate Sua legenda audire noluit, licet postea Ei fuerint exhibita, sed quae nec recipere nec probari ex purpuratorum Patrum consilio censuit. Ex quo nihilominus nullo consequitur pacto, Pontificem magnum XIII Leonem studia improbasse antiquorum Voluminum cantus, quasi retrogradum; cum ex opposito abunde sit notum, pluribus prosecutum fuisse praeconiis eos, qui de sacra archaeologia ex. gr. de vetusta cantus forma, de antiquorum signis, aliisque similibus disquisierunt. Sed aliud est disquirere, studere, disputare sapienter, aliud vero sacrae romanae Auctoritati se quodammodo imponere, eamque edocere, aut etiam consilium suggerere, ut quam a pluribus saeculis romana Ecclesia retinuit Editione relicta, novam adoptaret. Itaque Leo Papa XIII eodem quo Pius Papa IX iure usus, iisdem sapientioribus momentis suffultus, Editionem, quam Hic imprimi curavit atque absolvi, et ipse authenticam ratam habuit confirmavitque, utpote quae una cantus rationem contineat, qua Romana utitur Ecclesia. Nunc autem, non possumus, quin Sanctae Sedis iudicium prudentiamque admiremur atque exaltemus, cuius profecto oculi illa caliginosa haud facile perstringuntur luce, qua alii: ut quod pro certo gravissimis de

rationibus reputat, derelinquat, pro theoretica amplectenda, quam omni soliditate argumenta non comprobant.

32. Quid nihilominus ex omnibus hucusque allatis ? Editio ne Medicea omnibus singulisque orbis Ecclesiis imposita, utpote quae Romanam cantus rationem una continens ? Id quidem, ait Decretum, nonnulli peroptarunt ; sed aliud senserunt Pontifices, quibus Leonis Papae XIII, ut par est, sapientia consonat. Uniformitas in cantu liturgico procul dubio exoptanda ; sed Ecclesia eo usque non devenit, ut pro aliquo consequendo, quod melius censet, aequum spernat, quo tot Ecclesiae potiuntur. Animadvertendum namque Ecclesias quamplures in eiusmodi conditionibus versari, tristiori maxime tempestate nostra, ut impensis, quas necessitas non requirit, agendis impares sint. Plures autem possident codices aliquatenus ab authenticis diversos, licet illis, essentialibus inspectis, consonent. Nec desunt, quae antiquioribus codicibus utuntur, qui neque cum approbatis, neque cum iis, quos Dom. Pothier vulgavit, conveniunt. Sunt aliae, an paucae an plures nescimus, quae in Editione Dom Pothier maximopere se delectant: quidni et aliae in Cameracensi aut Rhemensi, in Mechliniensi, in Diniensi, Divionensi etc. quibus hucusque usae sunt ? Ex Italis Ecclesiis aliquae, sed fortasse perpaucae, utuntur Medicea Editione, aliquae Venetiana, quaedam Taurinensi etc. easque a multo tempore adhibent. Quid de aliis Ecclesiis minoribus, quibus libri chorales integri non sunt, sed partes aliquae ex iis excerptae, quae magis necessariae iudicatae sunt? Porro num singulae orbis Ecclesiae suos deberent, quos tenent, agnoscunt, in pretio habent, in

quibus se placent, codices proiicere, ut novos acquirant? Piae prudentique matri Ecclesiae optare est satis ut uniformitas habeatur in cantu, eam vero praecipere aequum non censuit. Ita se gessere a Petraloisii aevo Pontifices, ut neque Mediceam imposuerint, eadem ratione successores alii, eodem modo Pius Papa IX, ac Leo Pontifex XIII. Visum est quidem in Decreto *Romanorum Pontificum* d. d. 10 Apr. 1883 primus praefatus Pontifex Editionem Mediceam iubere, sed falsum id esse continuo etiam Romae praedicatum est. Zeli excessus in nonnullis fortasse errorem induxit, quod Decretum diceret, *constantem esse Summorum Pontificum praxim ad nonnullos tollendos abusus persuasione, magisquam imperatis uti voluisse; eo vel maxime scientes quod R̃mi Locorum Ordinarii eorumque cleri verba exhortationis Summi Pontificis loco mandati pie et religiose interpretari solent.* Sed nemo non videt, huiusmodi se exprimendi rationem, collatam maxime cum aliis dicendi modis in toto Decreti decursu adhibitis, nonnisi optatum importare. Hinc, ceterum, ut quaevis impraesenti dubitandi ratio e medio auferatur, apertius nunc edicitur, Sedem Apostolicam, iuxta suam prudentissimam agendi rationem, Editionem nostram non imponere. Quamvis igitur Ordinarii locorum adhortati maneant, ut uniformitatem cantus per Editionem Mediceam in suis Ecclesiis curent, nihilo tamen minus aequa iis relinquitur libertas, *ut cantum legitime invectum et adhuc adhibitum possint retinere.* Quaenam prudentior belli componendi ratio, Ecclesiasque omnes ad concordiam reducendi? Gloria sit itaque Romanae Ecclesiae, et tranquillo animo sint omnes; si fieri enim ne-

queat, ut per eosdem codices eumdemque prorsus cantum divinas concinamus laudes, uno saltem ore unoque corde, vel probatis vel permissis modulationibus, Deum ac Dominum digne in sacra Liturgia collaudare possumus.

D. C.

Dissertatiuncula de Sacro Pallio

(*Contin. V. n. 9, pag. 567*).

Pallium ex secundo capite seu ex privilegio competit:

1° *Cardinali Episcopo Ostiensi.* « Inter Episcopos qui ab Apostolica Sede privilegium habent utendi pallio, ait cl. Rinaldi Bucci (1), praecipuus est Cardinalis Episcopus Ostiensis, qui cum Romanum Pontificem consecrat, pallio utitur ». Antiquissimum est illud privilegium; nam in Libro Pontificali legitur quod S. Marcus (336) instituit ut « Episcopus Hostiensis, qui consecrat Episcopum Urbis, pallio uteretur ».

2° *Episcopis* aliquibus qui, quamvis nulla super alios Episcopos iurisdictione gaudeant, a Sede Apostolica tamen obtinuerunt privilegium utendi pallio, ut Episcopus Lucensis in Thuscia, Papiensis in Longobardia, Bambergensis in Germania, et Ana-

(1) De Insignibus Episcoporum commentaria, p. 69.

gninus, qui pallio decoratus fuit a S. P. Leone XIII feliciter regnante anno elapso, cum Rmus D. D. Antonius Sardi ad hanc sedem fuit assumptus. Quod privilegium dari potest, vel Sedi vel Episcopo ipsi; in primo casu omnes Episcopi huius Sedis privilegiatae pallio gaudent, in secundo casu privilegium pallii extinguitur cum persona Episcopi qui illud obtinuit. Quando pallium conceditur alicui Episcopo, qui non est ex illis S. Sedi immediate subiectis, illi prohiberi solet ut pallio utatur coram suo Metropolitano, ut fecit Benedictus XIV quando pallium concessit Episcopo Herbipolensi die 5 Octobris 1752, et Episcopo Quinqueclesiensi die 7 Sept. 1754 (1).

V. Haec autem existit differentia inter Romanum Pontificem et alios Episcopos maiores quoad usum pallii, quod Summus Pontifex illud semper et ubique deferre potest, dum alii nonnisi in loco suae iurisdictionis, nempe intra fines Patriarchatus, Nationis, Provinciae, aut Dioecesis (si agitur de illis Episcopis qui pallium ex privilegio habent), et aliquibus in iure statutis diebus. Quod constat ex cap. *Ad. honorem,* de auctoritate et usu pallii (Lib. I, decret.), quod est Innocentii III: « Sane solus Romanus Pontifex in Missarum solemniis pallio semper utitur et ubique, quoniam assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticae potestatis quae per pallium significatur. Alii autem eo nec semper nec ubique sed in Ecclesia sua, in qua iurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus. Quoniam vocati sunt in

(1) Cf. Bullarium Magnum, vol. 19.

partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis ». Et contra hanc legem nec consuetudo praevalere potest, quae non consuetudo sed iuris corruptela vocatur ab eodem Innocentio III, in capite *Ex tuarum* eiusdem tituli; quamvis tamen ab hac lege Sedes Apostolica aliquando dispensaverit et relate ad usum pallii privilegium magis amplum concesserit sed raro quidem et nonnisi adhibitis multis limitationibus. — Unus solum adest Archiepiscopus qui ius habeat deferendi pallium per totum orbem, et est Archiepiscopus Nazarenus. Cum enim anno 1190 Palestina Turcarum armis occupata fuit, Archiepiscopus Nazarenus in Italiam confugit et Summus Pontifex illi domicilium in Apulia in oppido quod Barulum sive Barletta dicitur adsignavit, ac illi illiusque successoribus iurisdictionem tribuit in quamdam Ecclesiam cui titulus B. Mariae de Nazaret, et deinde in duas Ecclesias Cathedrales Cannensem nempe et Montis viridis, quas priori in Metropolitanam erectae coniunxerunt alii Pontifices; nunc vero sedes Archiepiscopalis Nazarena unita est sedi Metropolitanae Tranen. et Barolen. Clemens IV anno 1265 Archiepiscopis Nazarenis concessit ut valeant « uti mozzetta, Cruce et Pallio per universum mundum, et sic omnibus temporibus inviolabiliter observetur » et hoc privilegium confirmatum deinde fuit ab Innocentio VIII, Clemente VII et S. Pio V ut refert Ughellus (1).

Animadvertendum est insuper quod Archiepiscopi aliique qui pallio gaudent, illo numquam uti possunt coram Summo Pontifice aut eius Le-

(1) Ughellus — Italia Sacra. T. 7, p. 769 editio secunda.

gato a latere; exceptio tantum facienda est pro Episcopo Ostiensi. Haec prohibitio valet pro solo pallio Latino, nam pallio proprii ritus Antistites Orientales etiam in Urbe uti possunt et utuntur.

VI. Archiepiscopi aliique pallio fruentes, ut superius diximus, nec ubique nec semper pallio uti possunt. Cui legi capitis *ad honorem* optimum commentarium dat Caeremoniale Episcoporum his verbis. « Pallio autem utitur Archiepiscopus in singulis Ecclesiis suae Provinciae, non autem extra Provinciam, et dumtaxat, dum missam solemnem celebrat, praescriptis quibusdam diebus » (1). Palliatos extra locum suae iurisdictionis, secluso speciali privilegio, pallio uti non posse iam vidimus, sed ex verbis citatis Caeremonialis alia defluunt.

1° Archiepiscopi aliique pallio uti possunt in *singulis Ecclesiis,* unde non solum in Ecclesia Metropolitana vel Cathedrali, sed in omnibus Ecclesiis sibi subiectis, non vero extra ecclesias. Unde a Lucio Ferraris elegans instituitur quaestio, utrum nempe Archiepiscopus celebrans extra ecclesiam nempe sub Papilione, seu Tentorio in Castris aut in domo privata pallio uti possit; et huic quaestioni cl. auctor respondet negative. Addit tamen: « Probabile est, si Altare portatile ob populi multitudinem quam Ecclesia capere non possit, prae foribus eius extruatur, Archiepiscopum in eo solemniter cum Pallio celebrare posse, quia ut recte ait Pirhing hoc tit. n. 10, non solet haberi ratio eius, quod per accidens in aliquo casu contingit, et cum talis celebratio substituitur in locum eius quae in Ecclesia fieri deberet, consequenter iisdem privilegiis gaudere debet. In hac

tamen re spectandum est quae sit cuiuscumque Ecclesiae consuetudo » (2). Ratio ob quam prohibetur deferre pallium extra Ecclesias, praecipue desumitur ex capite *Cum super,* de *Auct. et usu pallii:* « Si vero te sacris indutum vestibus Ecclesiam processionaliter vel alio modo exire contigerit, tunc tuo pallio minime uti debes. »

2° Archiepiscopus aliique privilegiati, pallio uti possunt *dumtaxat dum missam solemnem celebrant,* unde nec in processionibus, nec in aliis sacris functionibus, exceptis iis quae inter missarum solemnia peraguntur, sicut Ordinationes Clericorum et Consecrationes Episcoporum, Abbatum ac Virginum, ut numero sequenti idem Caeremoniale docet. Haec Caeremonialis praescriptio plane consonat cum decreto Iohannis VIII in Concilio Ravennae (A. D. 877): « Quicumque sane Metropolitanorum per plateas vel in Litaniis uti pallio praesumpserit, et non tantum in praecipuis festivitatibus ab Apostolica Sede indictis temporibus ad Missarum solummodo solemnia, careat illo honore ».

Quoad vero Summos Pontifices attinet ex Ordinibus Romanis constat, illos aliquando in processionibus pallio indutos incessisse. In processione Feriae VI^ae in Parasceve, quae a Lateranensi Basilica ad Ecclesiam S. Crucis fiebat, Summus Pontifex, uti ex ordine Romano X eruitur, super planetam pallium gestabat. Legimus etiam in actis Conciliorum Barensis (1097) et Lugdunensis II (1274) Urbanum II prioris et Gregorium X posterioris sessionibus pallio indutos interfuisse.

---

(1) Caeremoniale Episc. L. I, cap. XVI, n. 3.

(2) Lucius Ferraris — Archiepiscopus.

3° *Praescripti* tandem a Caeremoniali sunt dies quibus Antistites pallio uti possunt. Illi dies, ait Caeremoniale, in privilegiis Ecclesiae Metropolitanae exprimi solent. « Quod si non reperiantur expressi recurrendum erit ad communem consuetudinem, quae est ut eo utantur diebus infrascriptis, videlicet Nativitatis Domini N. I. C., S. Stephani Protomartyris, S. Ioannis Apostoli et Evangelistae, Circumcisionis, et Epiphaniae Domini, Dominica in Ramis Palmarum, Feria V in Coena Domini, Sabbato Sancto, Dominica Resurrectionis Domini cum duobus festis sequentibus; Dominica in Albis; in Ascensionis, Pentecostes, S. Ioannis Baptistae, duodecim Apostolorum festivitatibus, in festo Corporis Christi, quinque festivitatibus gloriosae Virginis, id est Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis et Immaculatae Conceptionis, in festo Omnium Sanctorum, in Dedicationibus Ecclesiarum, in principalibus festivitatibus Ecclesiae Metropolitanae, in Ordinationibus Clericorum, Consecrationibus Episcoporum, Abbatum et Virginum, in diebus Anniversariis Dedicationis Ecclesiae principalis et Consecrationis suae. Aliis autem diebus, in privilegiis non expressis vel inter praedictos non comprehensis, Archiepiscopus si voluerit in Pontificalibus celebrare uti non debet pallio (1) « Specialis tamen habetur prohibitio utendi pallio in missis defunctorum. Cf. cap. Quia nos. - De auct. et usu pallii et Pontif. Quibus solemnitatibus addenda est etiam celebratio Concilii provincialis ut constat ex eo-

---

(1) Caerem. Episc. L. I, Tit. XVI. n. 5.

dem Caeremoniali L. 1, c. 31 « Cantabitur missa de Spiritu Sancto solemniter per Archiepiscopum qui in ea utetur pallio ». Docet autem Benedictus XIV (*De Synodo dioecesana*, lib. 3, c. X, n. V-VII), Archiepiscopum in Synodo dioecesana pallio uti non posse, quod dicendum est etiam de Episcopis per speciale privilegium pallio decoratis. Quoad dies tamen in quibus pallii usus permissus est, non semper una eademque fuit olim Ecclesiae disciplina, sed semper ab antiquo solemne fuit quod Summus Pontifex semper, alii vero aliquibus dumtaxat diebus pallio uti possent, quae disciplina viguit etiam in Ecclesia Orientali ut patet ex canone XIV, Concilii Constantinopolitani (869) « Θεσπὶζομεν τούς ορισθέντας ὠμοφορεῖν ἐπισκόπους ἐπὶ τοῖς καιροῖς αποκεκληρωμένοις, εν τοῖς τοιούτοις περιβεβλῆσθαι ταῦτα καιροῖς καὶ τόποις (1) ».

(Continuabitur).

D. Felix Ravanat.

---

(1) Labbé-Concilia-Paris 1671-col. 1376. Can XIV. Tom. VIII. p. 1376.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1895.

ARCHAEOLOGIA SACRA

VII. — **De veteri Basilica Vaticana.**

Equidem admiratione percellimur qui magnum tholum (vulgo *cupolam*) S. Petri in Vaticano suspicientes, nobiscum mente revolvimus quod humili Galileae Piscatori, qui dum viveret parvam ac rudem mansiunculam ad littus maris vix possederat, post mortem sepulcrum omnium maximum seu mausoleum super caetera quaeque insigne fuerit dicatum. Huic cedant profecto pyramides Micerini, Cephrenes et Cheops, regum Aegyptiorum monumenta, nec non illa Scipionum, Augusti, Hadriani aliorumque imperatorum et consulum quae Romae extabant; cedat et sepulcrum pernobile quod Mausolo ipsi regi Cariae pietas uxoris condiderat. Sepulcrum sane sanctum ac percelebre divi Petri, cuius ossa basilica ac tholo teguntur, quibus nil nobilius, nil magnificentius, nil admiratione dignius inveniri unquam poterit.

Dum vero molem tantam admiramur, valde nobis dolendum est veterem divi Petri in Vaticano basilicam omnino fuisse deletam, non incendio admoto temporumve iniuria aut barbarorum feritate, sed eorum consilio qui nova artis opera, saeculo XVI, plurimi facientes, vetera praestantiora parvi penderunt. Periere siquidem monumenta tredecim fere saeculorum, periit historia regum, consulum, nobilium, pontificumque quamplurium lapidibus consignata; loca sancta item periere tot millium peregrinorum religione ac procerum pietate sacrata; deleta funditus sacella, oratoria, musivo depicti parietes, Pontificum Romanorum monumenta insignia; epitaphia, caelaturae, inscriptiones confractae ac dispersae,

vix exigua monumentorum parte servata, quae in cryptis vaticanis asservantur.

Qua de re annuat lector ut, aliquid de veteri Vaticana Basilica me referente, christiana monumenta, quae perierunt, saltem scripto reviviscant.

Divus Petrus, martyrio consummato, sepulturae datus est non longe a loco supplicii ac prope circum Neronis in valle Vaticana (1). Primam *memoriam* supra corpus eius Anacletus aedificavit iuxta Librum Pontificalem, et circa ipsum condi voluerunt qui immediate in pontificatu successerant, nempe Linus (2), Cletus, Anacletus, Evaristus, Telesphorus, Hyginus, Pius I aliique. Locus igitur sepulcri eius de facto effectus est coemeterium papale, antequam illud Callixti tale constitueretur post saeculum secundum. Iuxta Caium Praesbyterum, qui vixit initio saeculi III (3) sepulcrum *Trophaeum* appellatum est ac etiam *Confessio;* cuius fama ac celebritas non Romae tantum, sed per universum terrarum orbem percrebuit.

Pace tandem Ecclesiae parta, Constantinus Basilicam Vaticanam supra corpus Principis Apostolorum excitavit (4),

(1) *Clausumque valle Vaticana spatium, in quo equos Nero regeret.* Tacitus, lib. XIV.

(2) Cum novi tholi fundamenta effoderentur, iuxta corpus B. Petri multa cadavera in pilis marmoreis inventa sunt separatim condita. In pilo ex marmore nomen Lini repertum est, hoc uno verbo inscripto — *Linus.* — Quae quidem simplex inscriptio absque appellatione - *Episcopus* - usui primitivae Ecclesiae convenit. V. Torrigium *de Crypt. Vat.* pag. 61 et Severanum *Le sette chiese di Roma*, p. 120.

(3) Ep. ad Proculum.

(4) *Eodem tempore Constantinus Augustus fecit basilicam B. Petro Ap. in templo Apollinis, cuius loculum, cum corpus s. Petri recondidit, ipsum loculum undique ex aere cyprio conclusit quod est immobile.* Anas. Bibl. in vit. Silvestri.

cuius aedificationem opus musivum designabat in arcu templi quem triumphalem vocant, ubi Imperator, iuxta consuetudinem effingendi templorum aedificatores, Christo Servatori basilicam offerebat cum hac inscriptione:

QVOD DVCE TE MVNDVS SVRREXIT AD ASTRA TRIVMPHANS
HANC CONSTANTINVS VICTOR TIBI CONDIDIT AVLAM (1).

Referunt Constantinum duodecim corbes, humo egesta opplevisse, humeroque supposito alibi asportasse (2). Equidem pernobile templum auro, argento, operibus tessellatis, picturis, politisque marmoribus rutilans! Eius area in quinque naves partiebatur, ac parietes octoginta et octo columnae sustentabant, viginti duae pro unoquoque ordine, omnes vel e Pario marmore vel Numidico aut Africano et mixto, quarum capitula corynthia erant. Pavimentum variis discoloribusque marmoribus tessellatum conspiciebatur; tectum vero maximis trabibus contignatum, totumque tabulis abiegnis imbricatum, quarum plurimae in mediana et transversa navi ex aere confectae. In quorumdam tegularum disco nomen Theodorici regis erat impressum (qui quamvis haereticus, basilicam tamen B. Petri aliquando exornavit), scilicet: *Regnante D. N. Theodorico — Felix Roma.*

Templi longitudo a ianua, post magnam quadriporticum, ad transversam usque navem quadringentis et sex palmis

(1) Cl. Frothingham inscriptionem patefecit ex libro Card. Jacobacci cui titulus *de Concilio*. V. ipsum Frothingham in *Revue Archéol.* Janv. Févr. 1883, et De Rossi, *Boll. d'arch.* 1883, p. 90 ac Andream Fulvium, Lib. II.

(2) Vespasianum forsan ob causam meliorem imitatus est; ille enim iuxta Svetonium, cap. 8, *restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus primus admovit ac suo collo quaedam extulit.*

erat; latitudo ducentis octoginta quinque; altitudo vero centum septuaginta in navi maiori: navis transversa, quae in absidem desinebat, lata palmos septuaginta et octo, longa trecentos nonaginta. Per arcum magnum triumphalem ac quatuor minores fornices ad eam aditus patebat. Ad commoditatem peregrinorum propter caniculam vel imbres porticus perlunga (quae aevo medio *la portica* appellabatur) Aelium pontem Basilicae coniungebat. Series harum porticuum maximarum ab arcu Gratiani, Valentiniani ac Theodosii post pontem per viam Peregrini, theatrum Marcelli ac Scholam Graecam prosequebatur usque ad antiquas Aemilii porticus, e quibus series alia incipiebat usque ad Basilicam Ostiensem.

Praeter portas ad Boream et Austrum, quinque patebant ianuae sub porticu ad introitum templi, quarum nomina aevo medio haec erant: *Argentea*, *Guidonea*, *Romana*, *Ravenniana*, *Iudicii*. Prima argentea dicta est, eo quod Honorius I laminis argenteis texerit (1), quas cum abstulissent Saraceni Pontifex Leo IV refecit. His iterum ablatis, Eugenius IV portam aeneam confecit, quae impraesentiarum in novo templo cernitur, martyrio Principum Apostolorum historiaque Graecorum ad unitatem Ecclesiae Romanae in Concilio Florentino redeuntium decorata cum hoc epigrammate:

Ut Graeci, Armeni, Aethiopes hic aspice ut ipsam
Romanam amplexa est gens iacobina fidem.
Sunt haec Eugenii monumenta illustria Quarti,
Excelsi hic animi sunt monumenta sui.

---

(1) *Investivit regias ianuas ingressus ecclesiae maiores quae appellantur medianae ex argento quae pens. lib. noningintas septuaginta quinque.* Anast. Bibliot.

Secunda *Guidonea* nuncupata, quia aderant ibi *Guidones*, ii scilicet qui peregrinos ad visitationem basilicae comitabantur (1). Tertia *Romana*, quia, uti refert Mallius, per eam Romani cives persaepe ingrediebantur. Quarta *Ravenniana*, quia ad Transtiberim vergebat, quae regio civitas Ravennatium appellata est, ac per eam huius regionis cives intrabant. Quinta *Iudicii*, quia per ipsam ingrediebantur qui cadavera ad sepeliendum inferebant (2).

Ante fores easdem porticus pulchra et ampla extendebatur, quam Donnus Papa refecerat, anno 678 (3), ubi plures Romani Pontifices quiescebant, idest Bonifacius IV, Honorius I, Stephanus V et VI, Benedictus III, Nicolaus I, Ioannes II, III, VIII, IX, XIV, XIX aliique, nec non Hadrianus I cum epitaphio quod in Numidico lapide incidi curaverat Carolus Magnus rex piissimus. Ante secretarium vero prope porticum sepulti iacebant Gregorius I, deinde a Gregorio IV in templum inlatus (4), Gregorius V, Pelagius I, Bonifacius III; in vestibulo item Gregorius II, Theodorus, Zacharias, Stephanus II, III, V, VI. Haec autem sepulcra elegantiora reddebat, praeter epitaphium, aliquod ex marmore vel aere ornamentum. Qua de re locus *porticus Pontificum* appellatus

---

(1) In postibus huius portae trophaea appensa sunt quae Petrus II Hispanus Saracenis abstulit, Miramolino duce devicto. In altera porta vectes et catenae ferreae videbantur, quas de expugnatione Smyrnaea Card. Caraffa Oliverius Romam detulit.

(2) Alia porta, quae tempore Jubilaei aperiebatur, sancta dicta est.

(3) *Hic atrium B. Petri Ap. superius quod Paradisus dicitur, quod est ante Ecclesiam in quadriporticum magnis marmoribus stravit.* Bibliot. in vita eiusdem.

(4) Et alia Pontificum corpora, praesertim sanctorum, postea intra ambitum templi vel in sacellis per Pontifices aut episcopos honorifice deposita sunt.

est ac etiam *Paradisus*, eo quod ornari antiquitus consueverat floribus plantisque viridantibus.

Ante porticum maxima *quadriporticus* protendebatur columnis distincta ac ornamento canthari seu fontis pulcherrimi, quem Symmacus Papa ex marmore et coelo aeneo construxerat ac ditaverat delphinis pariter aeneis columnisque porphyreticis. Ibi in medio erat posita pinea aenea, quam et maior Poeta (Dante) in loco ipso viderat, uti ex eius *Divina Commedia* eruitur. Nunc in viridario Vaticano cernitur. Cantharum pulchrum marmoribus ac versibus ornatum etiam in basilica divi Pauli Leo Magnus fecerat. In extrema vero parte quadriporticus, prope atrium ad orientem post gradus Basilicae, Offa et Cedual quiescebant, ambo Saxonum reges, quorum secundus in ipsa Basilica a Sergio Papa baptizatus, ibi deinde anno 687 sepultus est, cuius epitaphium legi potest apud Gruterum n. 1174 ac in Cod. Palatino et Corbeiense. Etiam Elpis clarissima foemina, uxor consulis Severini Boetii e gente Aniciorum illic deposita est cum epitaphio. Postremo hoc loco Otho II Imperator in mausoleo conditus iacebat (1).

Primis Ecclesiae saeculis mos erat non tantum reges, sed et pontifices ipsos, uti innuimus, in atrio templorum deponendi propter loci reverentiam et sanctitatem. Sic Constantinus Imperator Byzantii in porticu ecclesiae SS. XII Apostolorum conditus est et Sicon et Radelchis in atrio ecclesiae Beneventanae. Unde Joannes Chrysostomus ait de regibus et imperatoribus ad Vaticanum sepultis: *Quod enim imperatoribus sunt in aulis ianitores, hoc in sepulcro Piscatoris sunt imperatores* (Hom. 26 in Ep. II ad Cor.). Quapropter, non-

---

(1) *Ipse vero Otho II, nono imperii sui anno, Romae moritur et ante divi Petri ecclesiam in concha marmorea honorifice humatur.* Otho Frisigens. Lib. I, c. 25.

nisi raro, facultas concessa est magnos viros intra templum S. Petri sepeliendi, saeculis quinto et sexto. Epitaphium Felicis Diaconi, quod ad annum 435 refertur, cum sit notatum consulatu Theodosii XV et Valentiniani IV, in templo inventum est (1). Flavio Maximo consule, idest anno 523, ab Hormisda Papa sepulturae locus in templo datus est Petro Tribuno voluptatum (2) uxorique eius Ioannae (3). Item Ioannes III locum concessit Marcello subdiacono regionis sextae, anno trigesimo secundo post consulatum Basilii — 563 — (4).

Ad atrium supra memoratum ascendebatur per triginta quinque marmoreos gradus, quos ante *platea S. Petri* patebat. Hos gradus, a Symmaco et Leone III instauratos, peregrini basilicam visitantes provolutis genibus ascendere consueverant; quem morem etiam piissimus Carolus Magnus sequutus est, cum primum, Hadriano I Pontifice, Romam venit (5). In area super gradus Romani Pontifices imperatores et reges recipere solebant. Hic, moenianum erat quo Pontifices ipsi in diebus solemnioribus populo benedicebant.

Nunc caetera huius templi monumenta inquiramus. In quatuor minoribus navibus, in sacellis et oratoriis basilicae

---

(1) Sarti et Settele. *Ad Dionysii opus de Cryp. Vat. Appendix*, N.° 107, p. 66.

(2) Scilicet ludorum publicorum.

(3) De Rossi. *Insc. chr.* Tom I, p. 448 et Dionysius, *loc. cit.*, Tab. XXV inscriptionem referunt.

(4) Martyres tamen poterant intra ambitum templorum sepeliri. Leo VI Augustus (Novella LIII.) permisit deinde ut christiani apud sepulcra martyrum quiescerent.

(5) *Coniungente vero eodem excellentissimo ac benignissimo Carolo rege omnes gradus singillatim eiusdem sacratissimae b. Petri Ecclesiae deosculatus est, et ita usque ad praenominatum pervenit Pontificem, ubi in atrio super gradus iuxta fores Ecclesiae assistebat.* Anast. Bibl. in vit. Hadr.

coniunctis multa praeclara sepulcra conspiciebantur illustrium virorum ac Pontificum, inter quae notatu digna sunt illa Urbani II, Eugenii IV, Bonifacii IX, Nicolai III, Ioannis IX, Stephani V et VI. Sepulcra Callixti III et Pauli II statuis ac caelaturis ornata erant; Pii II et III praeclaro pariter opere caelato: mausoleum Bonifacii VIII signo marmoreo ac musivo opere distinctum; illud vero Sixti IV totum ex aere conflatum, quod modo in novo templo conspicitur, etiam in tumba Innocentii VIII eius signum ex aere factum admiramur e veteri ad novam basilicam translatum. Inter multas nobilium virorum memorias adnotanda est statua equestris Roberti Malatestae Ariminensis, qui ad Campum Mortuum in Campania percelebrem victoriam retulit (1), ceu dux armorum S. Rom. Ecclesiae.

Plura Pontificum sepulcra vel ad modum pyramidis vel tegurii cum columnis fabrefacta, ac omnia fere cum epitaphiis plerumque carmine exaratis. Nec in monumentis tantum, sed et in multis basilicae sacellis et oratoriis praeclarae artis opera elucebant quae, illustrium virorum impensa, ab excellentissimis artificibus elaborata fuere. Quis poterit omnino referre tot saeculorum clara ornamenta sive ex auro argentoque, sive ex musivo, picturis ac marmore? Heu artis thesauri christianorum manu inconsulto dispersi ac deperditi!

Quaeres frustra Iotti opera musiva ac eius *naviculam* cum Petro Apostolo fluctibus iactatam, quam iussu Card. Iacobi Caietani de Stephanescis mire perfecerat! Quaeres item frustra Oratorium pulcherrimum quod Ioannes VII Dei Genitrici dicaverat, opere tessellato pretiosisque ornamentis coruscans, in quo B. Virgo ad modum orantis cum diademate ac regali veste effincta erat, et Princeps Apostolorum Ro-

(1) Hac inscriptione basis decorabatur — *Veni, vidi, vici — lauream Pontifici retuli — Mors secundis rebus invidit.*

manis praedicabat (1). Ubi tegurium pernobile, quo *Veronica* seu *Vultus Sanctus* custodiebatur, sex innixum columnis ac opere vermiculato exornatum? (2) Ubi aliud pariter insigne ad custodiendam *Lanceam D. N.* sacratissimam, quod in sacello a Gregorio III Virgini exaedificato construi iusserat Innocentius VIII? Ubi suggestum illud marmoreum, quod *ambonem* vocant, ex quo toties populo romano Evangelium Christi nunciatum est, quodque Pelagius I et Leo III ascenderant ut se ab accusationibus perditorum hominum purgarent? Illic, veluti Dei tuba, vox Pontificum intonuit ut plebs sancta doceretur, atque Gregorius et Leo, ambo factis egregiis Magni, homeliis celebribus populum alloquuti sunt (3).

Ante confessionem divi Petri pretiosissimam, prope absidem, duodecim surgebant vitineae columnae (4) cum pulcherrimo tegumento signis Salvatoris et Apostolorum exornato, quae Leo IV erexerat. Columnae istae veluti atrium efformabant ad *aram maximam*, quae quatuor e porphyrite columnis cum tegurio ex argento deaurato decorabatur, et

---

(1) Et alias historias musivo depictas admirari inibi datum erat, nempe Simonem Magum, martyrium Petri et Pauli et facta quaedam vitae Salvatoris ac Virginis cum praesepe: unde sacellum *ad praesepe* dictum est. Haec inscriptio designabat operis auctorem. — *Joannes indignus episcopus fecit B. Dei Genitricis servus.* — V. Cod. Barberin. XXXIV, 49.

(2) Portas aeneas tegurii huius Coelestinus III fecerat, uti ex his inscriptis verbis — *Coelestinus · PP. III. fecit · fieri · hoc · opus · pontificatus · sui · anno · VII· Ubert. Placent. fecit · as. ianuas.*

(3) In gyrum suggesti haec verba erant insculpta:

Scandite cantantes Domino Dominumque legentes,
Ex alto populis verba superna sonent.

(4) Octo e vitineis columnis modo exornant loculamenta pilarum quae magnum tholum novi templi sustentant.

ad introitum tumbae Principis Apostolorum seu confessionis, de qua alio loco harum Ephemeridum disseremus.

In proxima abside intueri datum erat ex opere musivo pictas effigies, quas Severinus, Innocentius III et Benedictus XII restauravere: horum postremus opera Iotti usus est, suorum temporum pictore ac musivario principe. Inibi Salvator noster dextera benedicens in throno sedebat: sub pedibus aquae quatuor fluminum scatebant, ad quas properantes cervi videbantur, sitim extinguendi causa, qui sunt symbolum christianorum exoptantium haurire fluenta quatuor Evangeliorum. Hinc inde Paulus et Petrus, eorum nomine inscripto in altitudinem disposito, ac palmae. In inferiori vero parte, (prouti in omnibus fere operibus vermiculatis Basilicarum Romae cernimus), urbes Hierusalem et Bethlem conspiciebantur, ex quibus sex pecudes seu agni in utroque latere exibant sub palmis. In medio autem Agnus stans supra montem, ex quo unda fluebat, atque crux gemmata super eum: ad dexteram Innocentius III, pontificali veste indutus, cum his verbis *Innocentius PP. III;* eo quod opus musivum refecerat; ad laevam mulier amicta paludamento, ferens vexillum, nomine inscripto — *Ecclesia Romana.* Versus leonini in concha absidis per gyrum ii sunt:

SVMMA · PETRI · SEDES · HAEC · EST · ET · PRINCIPIS · AEDES
MATER · CVNCTARVM · DECOR · ET · DECVS · ECCLESIARVM
DEVOTVS · CHRISTO · TEMPLO · QVI · SERVIT · IN · ISTO
FLORES · VIRTVTIS · CAPIET · FRVCTVSQVE · SALVTIS.

Nec minus clara nitebat frons templi opere vermiculato, cuius in eminentiori parte extabant Evangelistarum symbola ac Christus Dominus benedicens: ad pedes eius Gregorius IX (nam ipse opus iusserat refici) e Comitibus, supplex pallio-

que coopertus, aureum nummum supra pulvinar offerens (1). Inferius hinc inde seniores in vestibus albis ac pallio, stantes, coronas elevatis manibus offerebant. Ibi quoque conspicere licebat urbes Hierusalem ac Bethlem, ecclesiam ex circumcisione ecclesiamque ex gentibus significantes (2). Exarati versus in fronte sic sonant:

CEV SOL FERVESCIT SYDVS SVPER OMNE NITESCIT
ET VELVT EST AVRVM RVTILANS SVPER OMNE METALLVM
DOCTRINA QVAE FIDE CALET ET SIC POLLET VBIQVE
ISTA DOMVS PETRA SVPER FABRICATA QVIETA.

Non est silentio praetereundum ornamentum pernobile basilicae Vaticanae, seu *fons baptismatis*, quod erat in transversa navi ad boream. Tempore Pontificatus Liberii, cum Damasus montem deiecisset, qui basilicae imminens ossibus sepultorum aquis oberat, fontem invenit, deinde in usum baptisterii derivatum. Ipsum audiamus:

Cingebant latices montem, teneroque meatu
Corpora multorum cineres atque ossa rigabant;
Non tulit hoc Damasus communi lege sepultos
Post requiem tristes iterum persolvere poenas.
Protinus aggressus magnum superare laborem
Aggeris immensi deiecit culmina montis,

---

(1) Caput Gregorii una cum capite Innocentii III, quod erat in tribuna, impraesentiarum servatur in castro Poli prope Romam in sacello familiae Comitum, ex qua memorati Pontifices, nec non Alexander IV et Innocentius XIII prodierunt.

(2) Pro operibus musivis vide inter alios Ciampinum, Torrigium, Dionysium, Frothingham, et De Rossi *Mosaici cristiani delle Chiese di Roma.*

Intima sollicite perscrutans viscera terrae
Siccavit totum quidquid madefecerat humor,
Invenit fontem praebet qui dona salutis.
Haec curavit Mercurius levita fidelis.

Damasus vero Pontifex effectus fontem carmine illustravit quod sequitur:

Non haec humanis opibus, non arte magistra,
Sed praestante Petro cui tradita ianua coeli est,
Antistes Christi composuit Damasus.
Una Petri sedes, unum verumque lavacrum,
Vincula nulla tenent quem liquor iste sanat.

Hunc ipsum fontem baptismatis Longinianus vir clarissimus, qui Praefectus Urbi fuit anno 403, ac eius uxor Anastasia marmoribus atque tessellato opere decorarunt (1) uti ex inscripto lapide constat, cuius fragmentum in cryptis Vaticanis repertum est.

LONGINIANVS V. C. PRAEF. VRBI ET ANASTASIA C. F. EIVS (2)
AD AVGENDVM SPLENDOREM BASILICAE APOSTOLICAE PETRI
PAVIMENTVM PARIETES ITEM COELVM SACRI FONTIS QVEM DVDVM
DAMASVS VIR SANCTVS IN EA... EXTRVXIT SVMPTV PROPRIO
MARMORVM CVLTV ET MVSIVO OPERE DECORARVNT.

Neque tantum Romae, in basilica Vaticana et Lateranensi, sedet alibi, uti Mediolani et Nolae, sacri baptismatis fontes carminibus exornari consueverant. Fons autem Vaticanus

---

(1) Renunciatus est Praefectus Pretorii in Italia anno 408, quo tempore a milibus necatus est.

(2) V. C. *vir clarissimus;* C. F. *clarissima foemina.*

ita marmorum nitore purisque aquis effulgebat, ut Prudentius haec de ipso cecinerit. (Hymn. XII. de Coron.)

Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum,
Canens oliva, murmurans fluento.
Namque supercilio saxi liquor ortus excitavit
Fontem perennem, chrismatis feracem.
Nunc pretiosa ruit per marmora, lubricatque clivum,
Donec virenti fluctuet corymbo.
Interior tumuli pars est, ubi lapsibus sonoris
Stagnum nivali volvitur profundo.
Omnicolor vitreas pictura superne tingit undas,
Musci relucent et virescit aurum.
Cyaneusque latex umbram trahit imminentis ostri,
Credas moveri fluctibus lacunar.

Itaque et hic nobilis fons, quo tot consules Urbisque senatores ac proceres ad vitam renati sunt, upupa corruit. In baptisterio hoc divi *Petri cathedra* servabatur; unde Prudentius locum eundem cathedram apostolicam appellavit (1): de ipsa mentionem facit Ennodius Papiae, qui, de baptizatis in hac basilica loquens, meminit Pontificem in *sella gestatoria apostolicae confessionis* sedere (Apol. pro Synod.). Quapropter eidem fonti iussu Siricii Papae inscriptus est versus

Fonte sacro magnus meruit sedere sacerdos.

Totum Vaticanum templum deforis oratoriis aliisque sacris aedificiis erat circumseptum. Praeter oratorium Ioan-

(1) Servatur modo supra aram in fine navis mediae navae basilicae: cathedram ornamento aeneo perpulchro inclusam quatuor Ecclesiae doctorum statuae ex aere pariter conflatae sustentant·

nis VII, de quo loquuti sumus, praecipua haec extabant aedificia basilicae coniuncta. Ad septentrionem, ubi palatium Apostolicum, Ecclesia S. Vincentii cum parastatis, monasterium pro clericis in choro psallentibus, Ecclesia S. Ambrosii; ad occidentem, absidi iunctum, templum columnis decoratum, quod Probus Praefectus Urbi condiderat sub finem saeculi IV, in quo ipse una cum Proba uxore iacuit tumulatus in sarcophago pulchris caelaturis exornato. Prope ipsum templum, monasterium S. Martini, quod vetustate collapsum Leo III pene a fundamentis restituerat, atque ab eo non longe monasterium S. Stephani Maioris. Ad australem plagam vero, aedes pro canonicis a Nicolao III erectae, monasterium S. Stephani Minoris, Ecclesia S. Salvatoris cum xenodochio magno pro peregrinis, quod Gregorius XIII ampliavit, ubi quotidie, iuxta consuetudinem Gregorii Magni, tredecim pauperes ad mensam excipiebantur, secretarium seu sacrarium maximum prope porticum. Praeterea Ecclesia S. Mariae Virgariorum, sic dicta a virgis peregrinorum quae venales prostabant, tempore Pii IV solo aequata, ac prope gradus basilicae, ecclesia S. Gregorii *de cortina* (S. Petri) seu *in platea* cum xenodochio pro schola cantorum, quod Gregorius ipse aedificaverat, uti constat ex Ioanne Diacono (1).

Sed duo aedificia ex forma rotunda et aequali amplitudine celebritate nota sunt, quae, ad austrum, unita navi transversae extabant. Unum templum S. Mariae de Febribus dictum est quod iam a Symmaco Papa Andreae Ap. fuerat dicatum; alterum improprie templum Apollinis appellatum

---

(1) Memoratu digna etiam sunt oratoria S. Pastoris, de quo fit mentio in vita Leonis IV. (Lib. Pont.), B. Virginis in Mediana, S. Mariae a Paulo I, SS̃mae Crucis a Leone III, S. Gregorii a Gregorio IV, SS. Processi et Martiniani a Paschale I, S. Apollinaris ab Hadriano I et S. Leonis I.

a quibusdam scriptoribus: adeoque enarrant ipsi B. Petrum prope Apollinis templum fuisse sepultum.

Verum aedificium hoc, quod intus *octachoram* formam habebat, mausoleum fuerat, iam a saeculo quinto, christianorum imperatorum. Nam Simplicius Pontifex cum diem suum obiisset, anno 483, Basilius Praefectus Pretorii optimates coegit *in mausoleo quod est apud beatissimum Petrum* (1). Anno 423, Honorius Theodosii Magni filius, Occidentis Imperator *iuxta b. Petri apostoli atrium in Mausoleo sepultus est* (2). Illic etiam quieverunt uxores eius imperatrices Maria (3) et Thermantia filiae Stiliconis et Serenae, una post aliam adhuc in flore iuventae e vivis ereptae; *in mausoleo* item *ad Apostolum Petrum depositus est* Theodosius II (4), qui Constantinopoli obiit, anno 450, et Placidia, nec non Agnes Henrici II Imperatoris uxor e vivis, anno 1077, sublata, et iuxta quosdam Valentinianus III: sic et caeteri de imperiali domo (5). Unde cum in Libro Pontificali legimus quod Stephanus II *fecit iuxta basilicam beati Petri Apostoli et*

---

(1) Epist. Rom. Pont. a S. Hilar. ad Pelag. II. Ed. Thiel.

(2) App. ad Eutropium Lib. XIII. Paulus Diac.

(3) Mariae sepulcrum, anno 1543, detectum est, dum novi templi fundamenta iacerentur, in quo multa vasa aurea, lapides pretiosi, ornamenta muliebria ex auro, annuli plurimi, ac vela auro contexta reperta sunt. In monilibus quibusdam nomina archangelorum Michael, Gabriel, Raphael, Uriel erant sculpta. In acu aureo legere datum erat verba: *Domina nostra Maria — Domino nostro Honorio.* Haec ex auro ornamenta Pauli III iussu fusa sunt! Confer Alpharanum, Erculanium, Blanchinium, Grimaldum, Bullingerium, Flaminium Vaccam, Lucium Faunum et denique De Rossi *Boll. d'arch. crist.* 1863.

(4) *Vet. Lat. chron.* apud Roncalli.

(5) In basilica B. Petri pariter quiescebant Anicius Bassus Consul ac eius uxor nec non Carola Regina Cypri, Armeniae et Hierusalem, quae Romae anno 1487 obiit.

ab alia parte beati Andreae Apostoli in loco qui Musileos appellatur basilicam in honorem S. Petronillae, id intelligendum est de restauratione quam perfecit, cum in eam basilicam seu in Mausoleum corpus B. Petronillae e coemeterio Domitillae Via Ardeatina, inferre statuit (1). Etenim traslationem huius Virginis Stephani frater Pontifex Paulus I peregit, mense Octobri anno 757, cuius opera probabiliter parietes Mausolei picturis exornatae sunt. Ipsum appellatum est etiam cappella sive cella regum Francorum, propter devotionem magnam quam in S. Petronillam ii aluerunt. Stephanus II Pippino regi hanc translationem promiserat; cumque sepulcrum eius, anno 1474, detectum fuisset, statim Ludovico regi Francorum rem nunciavit Sixtus IV (2).

Interea de tot historiae artisque christianae praeclaris monumentis nil nisi simplex memoria in scriptis remanet. Sed admodum foret longum ea omnia enarrare quae tum antiquitate ac religione, tum magnificentia ac nobilitate veterem Vaticanam Basilicam exornabant. Cultores profecto monumentorum Ecclesiae Romanae nunquam satis deplorabunt Constantinianum templum deiectum ac praesertim lapidum inscriptorum dispersionem. Equidem lamentamur cum Propheta: *dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum* (3). Quae enarravi de Vaticanis monumentis

---

(1) V. De Rossi *Boll. d'arch. crist.* 1878.

(2) Sarcophagus S. Petronillae Virginis (non Martyris) seu Petronellae, uti legitur in pictura antiquissima coemeterii Domitillae, sequentem inscriptionem primaevam ostendebat. *Aur. Petronillae. Fil. Dulcissimae.* Itaque praenomen gentis suae habuit, scilicet *Auream* seu potius *Aureliam.* Falso igitur a plerisque putatur filia naturalis beati Petri, cum nonnisi de filiatione spirituali id intelligendum sit. Confer De Rossi. Loc. cit.

(3) Ossa quoque tot illustrium virorum hominumque scientia ac sanctitate venerabilium in sepulcris disturbata et dein confusa in polyandrium congesta sunt.

non omnia sunt nec speciali adnotatione tractata; verum haec sufficiant ut quaepiam de musaeo christianitatis deperdito (hoc enim nomen vetus Vaticana Basilica merebatur), quamvis minime perfecta, notitia habeatur (1).

JOSEPH Sac. CASCIOLI.

MANUALE NOVISSIMUM

PRO VISITANDIS ECCLESIIS A VICARIIS EPISCOPALIBUS ET FORANEIS

(Contin. v. n. 6. pag. 362).

116. ORGANUM. TRIBUNA eius seu CANTORIA. Si in ecclesia visitanda adest organum, aut, ut in minoribus ecclesiis hodie videtur, aliud simile instrumentum vulgo *Harmonium*, videat primum visitator an locus ubi constitutum est organum aptus et opportunus sit.

(1) Qui plura de veteri Vaticana Basilica scire cupit, conferat, inter alios quamplurimos, Alpharanum in Cod. Barberin. XXXII. 153, Mallium, canonicum nuncupatum, Edit. De Angelis Typ. Tani 1646, De Angelis *De Bas. S. Petri*, Ciampinum *De sac. aedif. a Constantino M. extruct.*, Torrigium *De Cryp. Vat.*, Sarti et Settele *ad Philippi Laur. Dionysii opus appendix* cum tabul. Typ. Ferretti 1840, Dionysium ipsum *Mon. sac. Bas. Vatic. Crypt. Monum.*, Mignanti *Istor. della sacros. Bas. Vat.*, Cancellieri *De Secretariis*, De Rossi pro operibus musivis, loc. iam cit., Iacobum Grimaldum Cod. Vatic. 6064, 6437, 6438, et Cod. Arch. Basil. S. Petri, nec non Cod. Barberin. XXXIV. 49, Panvinium *De septem Urbis ecclesiis*, ac alias Cod. Vatic. 6757, 3627.

Quoad enim fieri potest, iuxta Encyclicam Cardinalis Vicarii sub Pio Pp. IX (*18 Novembris 1856 n. 9*) cantoria, seu tribuna organi, in qua cantores tempore divini officii suo munere funguntur, ad latera altaris apte constitui debet. Quod si super maiorem ecclesiae portam posita sit, tunc transennis, seu cratis, ita sit instructa, ut cantores nullimode videantur; ne fideles, qui functionibus adsistunt, terga vertant altari ut cantores videant.

Item hae transennae numquam deficere debent in tribunis organi ecclesiarum monialium, in quibus hae virgines sacrae, vel aliae puellae cantare solent, quocumque in loco positae sint tribunae. Super altari numquam collocanda est tribuna organi, uti praescripsit S. Carolus, (*Conc. Prov. IV*) si quod altare sub ea existat, illico amoveri Visitator praecipiat.

117. Quomodo pulsandum sit organum. Super hoc, etiam vocato magistro-organista, sciat et inquirat Visitator an praescriptiones Caeremonialis Episcoporum, decreta S. R. C. et leges dioecesanae in praxi observentur. In primis ergo removenda ab organo mandet, si exstant, instrumenta prohibita, nempe quae nimis sunt fragosa et strepitantia, cuiusmodi sunt Tympanum (*gran cassa*) atque aeneae patinae (*piatti*) sive campanulae. (Benedictus XIV. *Constit.* Anuo, *19 Februarii 1749*, et *Instructio S. R. C. 24 Sept. 1884*, et *6 Iulii 1894*). De modulatione autem organica, haec Caeremoniale Episcoporum (*lib. 1, c. 28, n. 11*) mandat: *Cavendum est ne sonus organi sit lascivus aut impurus... harmonia, quae ad pietatem augendam ordinata est, aliquid levitatis aut lasciviae non praeseferat, ac potius audientium animos a rei divinae contemplatione avocet; sed sit devota.* Hinc severissime inhibetur per organi sonum, referre quidquid in mentem fidelium revocare

possit concentuum et cantionum quae in theatris audiuntur, vel in aulis ubi Choreae ducuntur.

Item vetitum est Organistae organum pulsare, ex improviso seu ex phantasia, nisi magister sit ad id adprobatus; atque modulationes concordare debent cum canticis divini officii quibus immiscetur.

Denique urgeat Visitator executionem Decreti S.R.C. (*21 Feb. 1643 N. 1432 ad 2*) quo proscribitur abusus, *concentus musicos in tantum spatium protrahendi, ut Sacerdotes otiosi diutius ad altare distracti haereant, et Caeremoniarum ordo inflectatur, ita ut non musica Missae,* (ceterisque sacris functionibus) *sed Missa musicae famuletur.* Ad rem vidimus synodalem constitutionem opportunissimam (1), quae haec mandat: " Organi sonus cantum adiuvet et comitetur, numquam autem illum fragoribus opprimat sepeliatque cantantium voces, atque verborum sonum, neve absona et refellenda permutatione, organi pulsatio pars potissima evadat, et cantus accessoria. Ut organi intervalla (vulgo *intermezzi*) unum inter et alterum versum, qui a choro concinuntur, in Missis, sequentiis, hymnis, canticis et psalmis, sacrae Liturgiae legibus sint conformia, expresse et severe mandamus,.... in solemnioribus quoque festivitatibus, brevia esse debere, et parum plus perseverare, quam cantum versiculi praecedentis „. De musica vero exequenda in sacris functionibus a cantoribus, inquirat Visitator utrum approbata sit a Congregatione dioecesana (2).

---

(1) Synodus Placentina ab Episcopo Io. B. Scalabrini secundo celebrata anno 1893.

(2) Valde esset optandum ut in unaquaque Dioecesi constitueretur Congregatio pro Musica Sacra, ad tramitem Instructio-

118. Quando pulsandum organum. Quia plurimis in locis abusus in hoc irrepsisse compertum est, Visitator opportune doceat tempora in quibus licet organi pulsatio in officiis divinis, iuxta Caeremoniale Episcoporum, et S. R. C. Decreta, nempe:

I. (*Caer. Ep. lib. 1, c. 28, n. 6*). *Quandocumque per organum figuratur aliquid cantari seu responderi, alternatim versiculis Hymnorum aut canticorum ab aliquo de Choro, intelligibili voce pronunciatur id quod ab organo respondendum est.*

II. (*Ib. n. 8*). *In Vesperis Solemnibus organum pulsari solet in fine cuiuslibet psalmi, et alternatim in versiculis Hymni et cantici* Magnificat. (*Lib, 2, c. 1, n. 8*). *Psalmi decantari debent a Choro...... in tono et cantu Gregoriano cum gravitate et decore. Si placuerit, finito quoli-*

---

nis S. R. C. 6 Iulii 1894. In superiori Italia nonnulli Ordinarii, (inter quos eminent Patriarcha Venetus et Episcopi Patavinus, Placentinus et Papiensis) leges tulerunt quam maxime laudandas, in quibus de electione quoque et muneribus organistae, qui rite liturgicam musicam apprime noscat, pertractant.

Organista enim, etiam ex praescriptionibus S. Caroli, (*Conc. Prov. IV*) non est admittendus ab ecclesiarum rectoribus, nisi obtenta Episcopi adprobatione. Is porro catholicus ex animo esse deberet, bonis nempe moribus imbutus et christiana doctrina eruditus, ut religiosos sensus in alios excitare possit, dum organo ludit. Quot vicibus et quot in locis audiuntur organistae, in scholis quae ad theatra praeparant educati, et in aulis mundanis iugiter versati, modulationes nesciunt quae Deum sapiunt, sed molles ac lascivos cantus repetunt, quos in theatris didicerunt.

Insuper, scientia cantus Gregoriani, qui toto coelo differt a musica hodierna tam in modulationibus suis, quam in constructione, ut ita dicam, omnino praeditus esse deberet, ut praeludia et interludia illi conformia reddere possit; nec non ita in arte sua peritus ut cantus sacros comitari ex improviso sciat.

bet psalmo poterit Antiphona per organum repeti, dum tamen.... eadem antiphona clara voce repetatur.

III. (*Lib. 1, c. 28, n. 9*). *In Missa pulsatur organum alternatim cum dicitur* Kyrie, eleison, *et* Gloria in excelsis, *item finita Epistola; item ad Offertorium, item ad* Sanctus *alternatim, ac deinceps usque ad* Pater noster; *sed ad elevationem SS. Sacramenti pulsatur organum graviori et dulciori sono, item ad* Agnus Dei, *alternatim ac deinceps usque ad Postcommunionem, ac in fine Missae.* Nota tamen quod S. R. C. (*Decr. 10 Ianuar. 1852 N. 5166 ad 3*) permittit omissionem cantus Offertorii et Postcommunionis, dummodo pulsante organo, submissa voce ab aliquo in Choro recitentur.

IV. (*Ib. n. 10*). *Cum dicitur Symbolum in Missa non est alternandum cum organo, sed illud integrum per Chorum cantu intelligibili proferatur.* Usus autem contrarius, alternandi in choro Versiculos Symboli cum organo, ita ut non omnes decantentur, uti abusus omnino est eliminandus, ut populus totam audiat, non dimidiatam, nostrae fidei professionem, ut decrevit S. R. C. (*10 Martii 1657 ad 3 N. 1817*). Notandum tamen quod sonus organi dum cantatur Symbolum, admitti potest, dummodo Symbolum ipsum integre decantetur (*22 Martii 1862 N. 5318 ad 7*), ut sic cantores paululum quiescant.

IV. (*S. R. C. 11 Sept. 1847 N. 5102 ad 6*). In responsione ad *Ite missa est*, retineri potest consuetudo pulsandi organum, dum aliquis de Choro respondeat *Deo gratias.* Item (*11 Iunii 1880 N. 5809 ad 4*) in Missa Feriae V in Coena Domini, pulsatio organi continuari potest usque ad finem hymni *Gloria in excelsis*, quod proinde iuxta solitum alternatim cum organo decantari licet.

V. (*Caerem. lib. 1, c. 28. n. 13*). *In officiis defunctorum organa non pulsantur: in missis autem, si musica adhibeatur, silent organa cum silet cantus.* Nihilominus S. R. C. (*23 Nov. 1880 N. 5819 ad 2*) respondit servari posse consuetudinem, qua in Missis de Requie organa pulsantur ut suppleatur defectui cantorum.

VI. (*Ex ib. n. 2*). Tempore Adventus et Quadragesimae, in officio et Missis de Tempore, organum semper silet. Excipe tamen Missas in Dominicis *Gaudete* et *Laetare*, nec non Feriae V, et Sabbati maioris hebdomadae.

VII. (*Gardellini in notis Instructionis Clementinae n. 12*). In Benedictionibus cum SS. Sacramento, *possunt organa pulsari suavi ac gravi sonitu, qui sit aptus ad devotionem conciliandam sicuti fit ad elevationem in Missa.*

VIII. (*Caer. ib. n. 6*). *Regulare est, sive in Vesperis, sive in Matutinis, sive in Missa, ut primus versus Canticorum et hymnorum, et pariter versus hymnorum in quibus genuflectendum est, qualis est Versiculus* Te ergo quaesumus, *et Versiculus* Tantum ergo Sacramentum, *quando ipsum Sacramentum est super altare, et similes cantentur a choro in tono intelligibili, non autem suppleantur ab organo: sic etiam Versiculus* Gloria Patri, *etiamsi versiculus immediate praecedens fuerit a choro pariter decantatus; idem servatur in ultimis versibus hymnorum* (1).

---

(1) Ut detur organistae completa instructio circa tempus quo organum pulsandum est in sacris functionibus, haec addenda putavimus. In MISSIS SOLEMNIBUS Organum pulsatur: 1.° Cum celebrans exit a Sacristia usque dum ad altare pervenerit. 2.° Cum repetitur a Choro Introitus. 3.° Quatuor vicibus et breviter interludit ad *Kyrie;* nisi Cantores ita dividant cantus ut primo tres *Kyrie,* postea tres *Christe* et dein alios tres *Kyrie* decantent; tunc enim bis tantum interludit. 4.° Statim ac Celebrans praeci-

119. Pulpitum. Iuxta S. Carolum (*Instr. Fabr. Eccl. c. 22*) ex ligno decenter ornato, sive ex marmore, vel etiam aeneis coelato opere sacrarum imaginum expressis. Quoad vero eius formam, cum ornatu, stylo ac latitudine ecclesiae concordare debet. De situ autem eius ita idem S. Carolus (*ib.*) statuit: " In unaquaque Ecclesia parochiali suggestus a latere Evangelii constituatur, unde concio sacra haberi queat. Illud denique caveatur ut suggestus in gremio Ecclesiae, loco conspicuo, unde vel Concionator, vel lector ab omnibus et conspici et audiri possit apte collocatus, ab altari maiori (ut pro Ecclesiae ratione fieri decore potest) non longe admodum sit; quo Sacerdoti, ut Decretum est, intra missarum solemnia concionanti commodiori usui esse queat ".

---

nit *Gloria in excelsis*, brevissime praeludit, et dein septies interludit alternatim cum versiculis qui a Choro cantantur; nisi ut supra Cantores omnes Hymni versiculos cantent, et aliquoties, ad vires reficiendas pausent, dum organum pulsatur. 5.° Post epistolam decantato *Alleluia* cum versu sequenti, usque ad Evangelium. Item interludit si canitur sequentia. 6.° Statim ac, sed brevissime, Celebrans praecinit *Credo;* et dein toties quoties in Symbolo cantores paululum quiescunt. 7.° Ad offertorium, usque ad Praefationem. 8.° Ad *Sanctus* alternat cum Choro cantante. 9.° Ad Canonem et Elevationem SS. Sacramenti, usque ad *Pater noster.* 10.° Ad *Agnus Dei* alternatim. 11.° Finito *Agnus Dei*, usque ad *Communionem* quae legitur in Choro. 12.° Ad responsionem *Deo Gratias* post *Ite missa est.* 13.° Tandem cum Celebrans finito ultimo Evangelio de Altari descendit et redit ad Sacristiam.

In Vesperis vero organum pulsatur: 1.° In exitu officiantis Sacerdotis, de Sacristia usque ad intonationem *Deus in adiutorium.* 2.° Quinquies interludit dum repetitur unaquaeque Antiphona post Psalmos. 3.° Interludit in Hymno, et 4° in Cantico *Magnificat* alternatim cum Choro. 5.° Dum repetitur Antiphona post

Multis in locis, si agatur de ecclesiis minus spatiosis, Parochus intra missam diebus festis populo alloquitur manens in Sede, quae collocatur super pradellam altaris in cornu Evangelii; hoc nullibi vidimus interdictum. Videat ergo et hanc sedem, quae postergali et brachialibus fulcimentis instructa esse potest, corio, vel serico damasceno cooperta, an sit sufficienter decora et decens.

P. Vicarius Foraneus S. Florentii.

(*Continuabitur*).

---

canticum eumdem. 6° denique cum Sacerdos revertitur in Sacristiam.

In Missis lectis, sed ritu solemni, organum pulsatur: 1.° Cum Sacerdos advenit ad Altare. 2.° Ad offertorium usque ad Praefationem. 3.° Ab initio Canonis usque ad *Pater noster*. 4.° Ab *Agnus Dei* usque ad ultimam orationem. 5.° Dum Sacerdos ad Sacristiam redit. Si vero in Missa fit communio fidelibus, organum tunc silet ad *Confiteor*, et incepta communione suaviter pulsatur usque ad postcommunionem. In Benedictionibus cum SS. Sacramento occasione tridui vel novemdialium, organum pulsatur: 1.° In principio dum Sacerdos ad Altare pervenit. 2° Interludit si cantatur in Choro hymnus aliquis. 3.° Dum exponitur SS. Sacramentum praeludit pro cantu *Tantum ergo*, et interludit paululum ante *Genitori*. 4.° Dum populo benedicitur suavi et gravi melodia, usque ad repositionem SS. Sacramenti. 5.° Dum Sacerdos ad Sacristiam revertitur. In aliis functionibus organista verbum praevium faciat cum Ecclesiae rectore, ne intempestive unquam organum pulsetur.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XI.

DE VERBA DISTRIBUENDI RATIONE IN THURE ADOLENDO AD MISSAM.

Mos viget in quadam Cathedrali Ecclesia, qui prorsus singularis est, ad verborum quod attinet distributionem, cum secunda vice thus adhibetur altari in solemniori Missa. Namque in primis Celebrans cruci thus adolens dicit *Dirigatur Domine,* si Reliquiae hinc inde inter candelabra non adsint. At si eae fuerint expositae, tunc crucem thurificans silet, et dicta verba incipit, cum Reliquiis thurificandis dat initium, eaque ad finem usque prosequitur incensationis totius altaris. Caius Caeremoniarum magister, aegre id ferens, in oppositum affert Decretum S. R. C. in *Olomucen.* ad 2, quod exigit, ut verba in cruce thurificanda incipiantur. Insuper contra universalem consuetudinem esse sustinet, ut verba proferantur, dum thus Reliquiis adhibetur. Sed nihil proficit, cum alii dicant Rubricas Missalis, dum verba proferuntur, non excipere Reliquiarum thurificationem. Quin imo explicite addunt, Caeremoniale Episcoporum docere, praefata verba etiam dum Reli-

quiis thus adhibetur, esse continuanda. Hinc quaeritur:

1. *Utrum thurificatio altaris in solemniori Missa, sive in latina sive in graeca Ecclesia, ex Apostolica nec ne traditione derivet?*

2. *Quomodo, Rubricis inspectis Missalis, et Caeremonialis Episcoporum, earumque communi interpretatione, nec non Decretis, verba distribuenda sint in thurificatione altaris?*

3. *Quid iudicandum de consuetudine, et de rationibus a Caio allatis?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Francisci Balducci e Seminarii Pii alumnis, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis die 27 Iun. 1894: acta Epitoma a Rmo Dom. Dom. Nicolao Canon. D'Amico ex Apostolicarum Caeremoniarum magistris.

I. Utrum thurificandi altaris consuetudo in Missarum solemniis ab apostolica necne traditione derivet?

Gummis aromaticae urendae usus, quam thuris nomine intelligimus, in sacrificiis aliisque sacris caeremoniis antiquissimus est. Sarnellius autumat, thuris Deo offerendi inventionem tribuendam esse Moysi, qui in Arabia versatus fuerat; in ea namque regione praefata gummis e planta elicitur, quae ab herbariis appellatur *Innopexus Lycia,* nisi forte ipsius praecepto Dei, qui thus sibi adolendum Moysi iusserat. Universarum revera gentium communis est sensus, ut thuris honor soli Deo debeatur: ut scripserit Ovidius « Templa tibi

statuam, solvam tibi thuris honores (*Met.Lib. 14*)». Thura offerebant gentes numinibus, eratque pro illis idem ac sacrificia immolare. Graeci, sicut et Arabes, ac fere omnes vetusti populi, in eorum sacrificiis thus adhibebant, eiusque odore templa suffibant. Quam consuetudinem ab Hebraeis acceperant, quorum Sacerdotes iubebantur, ut bis in die thus adhiberent Deo super altare aureo (*Exod. 30. 7, 8*). Hinc et eamdem Ecclesia Christi suam fecit, sapientibusque legibus communivit in sacra Liturgia. Si enim successu temporis mos fuit invectus thus etiam hominibus adolendi, uti principibus, Ecclesiae ministris ac fidelibus, ratione ritus cum divino cultu connexionem habentis, indubia nihilominus res est, thuris oblationem a cultu uni Deo debito originem duxisse, illudque singulari gavisum fuisse privilegio, ut ad divinum cultum tantum inserviret. Antiquissimum pariter usum thuris inter christianos teneas, licet quorumdam sententia sit, illum primis tribus etiam saeculis viguisse demonstrari non posse. Equidem non est inficiandum, Ecclesiam Christi in suis exordiis parce usam fuisse thure in sacris, quod gentes illo abuterentur; at certa testimonia non desunt, ex quibus thuris usus, praefato tempore satis comprobatur. Namque Stephanus Durantus (*De Ritib. Eccl. cathol. Lib. 1, cap. 3*) refert, Apostolos (*Canon. 3*) interdixisse, ne aliquid offerretur ad altare praeter oleum ad luminare *et incensum tempore oblationis.* Item Canon secundus facit mentionem *thuris* ad altare offerendi, *tempore quo sacra offertur oblatio.* Omnibus autem notum ponimus, Canones Apostolorum nuncupatos ad tertium saltem ascendere saeculum. Verum

quidem quod Tertullianus (*Apolog. cap. 42*) aperte notat, non consuevisse videlicet thura emere « thura plane non emimus »; sed is de thure loquitur quod Diis adolendum erat, hoc enim gentes quidem, haud fideles emebant. Quod manifeste alibi ostendit, scribens: « thus quidem incendimus, sed non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola (*Lib. De corona milit. cap. 10*) ». Nec silenda auctoritas Hyppoliti Portuensis Episcopi et martyris, qui scribens de consummatione mundi, ait: « Lugebunt etiam Ecclesiae luctu magno, quia nec oblatio, nec *suffitus* fiet, nec cultus Deo gratus (*Lib. 4, cap. 34*) ». Inclytus autem praefatus Antistes incipiente saeculo tertio floruit. Addendus S. Ephraem Syrus, qui luculentissimum de usu thuris in Ecclesia testimonium reddit; cum dicat in suo testamento: « Ne unguentis me condiatis, nihil enim mihi prodest: neque cum thure et aromatibus me humetis. Thura in Sanctuario adolete, Deo odoramenta offerte, me vero psalmis prosequimini (*Apud Assemani, Biblioth. oriental. Tom. 1. pag. 143*) ». Ceterum saeculo quarto ineunte, quo dictus Sanctus floruit, innumera testimonia thuris usum in sacris confirmant, uti Ambrosius, Chrysostomus, Liturgiae Ss. Iacobi et Basilii. Mira autem Ambrosii (*ad Cap. 1. Lucae*) exclamatio « atque utinam nobis quoque adolentibus altaria.... assistat Angelus », uti et supercitati Patres, satis superque ostendunt et thuris adhibendi consuetudinem iam ante invectam, et nobiliorem eiusmodi consuetudinis finem. Pontifex enim ipse incensum immittebat in thuribulum benedicens, thus et ipsemet adolebat altaris: quocum Deum honore pro-

sequebatur, tamquam supremum Dominum, suique significabat voluntatem illi se immolandi. Denique non omittendum quod in *Ecclesiastica Hierarchia,* quae Dyonisio Areopagitae communiter tribuitur, testimonium legitur: « Precem sacram ad altare Dei celebraturus, ab *eiusdem suffitione* initium faciens, universum circuit chori ambitum (*Cap. III,* § *2*) ».

Ex quibus omnibus inferri iure potest cum Emi Bona Adnotatore Sala: « Igitur exemplo Mosaicae legis Apostoli permoti, in divino Sacrificio solemniter celebrando thure usi sunt, atque ex eorum traditione catholica ubique usa est semper Ecclesia, id quod ex omnibus antiquissimis Liturgiis latinis et graecis, in quibus incensi usus ad Missam, peculiaribus etiam adhibitis precibus, commendatur, plenissime constat (*Lib. I, c. XXV, nota 1*) ».

Tenet nihilominus Emus Bona, Oblatis in primis saeculis thus non fuisse adhibitum. Id probat apertissimo testimonio Micrologi (*cap. 9*) ubi legitur: « Romanus Ordo praecipit, ut incensum semper praecedat Evangelium, cum ad altare sive in ambonem portatur: non autem concedit, ut Oblatio in altari thurificetur (*Lib. II, cap. IX,* § *V*) ». Quod tamen, advertit Sala, de Romanis intelligebat Amalarius; sed apud Gallos aliosque populos Oblatarum thurificationem communem demonstrat (*In loc. cit. nota 7*).

Quidquid nihilominus sit de thure Oblatis peculiariter adhibito, altaris thurificationem, super qua petitio proposita versatur, dubitari non potest ex apostolica traditione pro utraque Ecclesia derivare.

II. Alterum quaesitum postulat, quomodo praescripta in thurificatione altaris verba distribuenda sint, Missali, Caeremoniali, eorumque expositoribus inspectis.

Thurificatio altaris, quae post Offertorium locum habet, aliqua fert secum verba, quae dum altare thurificatur, pronuntianda sunt: de hac quaesitum propositum agit, aliis seu ad Introitum, seu ad Oblata, seu in aliis functionibus, praetermissis. Verba in dicta thurificatione pronuntianda sunt sequentia, e psalmo centesimo quadragesimo accepta: *Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis, ut non declinet cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis.*

Nunc autem si Missale consulamus, seu in suis Rubricis, nempe Tit. VII (*Rit. celebr. Miss.*), n. 10, seu in *Ordo* Missae, nihil determinati, quibusdam generalibus exceptis, reperimus. Namque citatus Titulus hoc tantum ad rem nostram dicit: « Deinde, facta reverentia, incensat crucem et altare, ut dictum est supra (*videlicet Tit. IV, n. 4 et 5*), assistente Diacono, interim dicens: *Dirigatur, Domine, oratio mea etc.* » nihilque aliud. Ordo vero Missae concisius etiam se exprimit sequenti modo: « Deinde (*post Oblatarum thurificationem*) incensat altare, dicens: Dirigatur, Domine etc. » haec verba superius a nobis relata per extensum referens.

Caeremoniale vero Episcoporum rationem distribuendi verba magis determinate significat, dicens: « Cum Episcopus incipit thurificare crucem

inchoat illa verba: *Dirigatur, Domine, Oratio mea etc.* et reliqua sequentia prosequitur in incensatione reliquiarum et imaginum, si ibidem sint, atque ipsius altaris, ita ut taliter distribuat, ut eodem tempore finiantur verba et thurificatio (*Lib I, cap. XXIII, n. 11*)». Ex qua seu Missalis seu Caeremonialis Rubrica, licet dignoscere nequeamus singula praefata verba in singulas thurificationes distribuenda, duo nihilominus perspecta habemus: 1. Celebranti tunc esse incipienda verba *Dirigatur etc.* cum cruci thus adolet, nec antea proinde nec postea, quod S. R. C. confirmat in *Olomucen.* sub die 5 Mart. 1870 ad II: 2. alia quae sequuntur verba ita esse distribuenda ut ea Sacerdos recitans dum altare thurificat, una simul cum thurificatione compleat.

Manet ergo ut melioris notae expositores consulamus, eorumque adhaereamus sentiendi modo in iis determinandis, quae Rubricae indeterminata reliquerunt, profecto ne libertatem agendi coarctarent nimis. Plane enim indifferens visum est, principio et fine exceptis, nonnulla ex praefatis verbis in una aliave potius thurificatione recitare. Nihilominus Rubricarum expositores ductuum numero innixi, quos Rubricae praescribunt, omnia, meliori qua potuerunt ratione, verba uniformitatis ergo distribuerunt in singulas thurificationes. Nota Rubrica est supercitata, horum ductuum numerum esse debere vigintinovem, si reliquiae adsint, secus vigintiquinque: nempe tres ad crucem, quatuor ad reliquias, octo circa latus Epistolae, octo ad latus Evangelii, sex denique circa altaris frontem. Nunc autem communior ac

melior Liturgicorum sententia est, primis tribus ad crucem ductibus aptanda esse verba *Dirigatur, Domine, oratio mea:* quatuor aliis, quibus thus reliquiis adhibetur, nulla respondere verba, sed esse silendum: tribus ductibus iuxta distributionem candelabrorum a parte Epistolae, duobus iuxta postremam altaris partem inferiorem et superiorem, aliisque tribus super mensam in parte anteriori, aptanda esse verba: *sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Aliis octo ductibus dandis a parte Evangelii, eodem prorsus modo ac dictum est de parte Epistolae, applicanda esse verba: *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis.* Denique sex aliis ductibus, ex quibus tres a parte Evangelii, totidemque a parte Epistolae, in fronte altaris, ultima verba aptanda: *ut non declinet cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis.* Omnia autem praefata verba fere omnes caeremoniarum libri ad unamquamque ex singulis thurificationibus opportune applicant, ad eosque lectores remittimus.

Interim quaestio instituitur, an merito in thure reliquiis adhibendo Celebrans sileat, an potius aliqua tunc verba ex praescriptis recitare teneatur. Diximus superius, communiorem ac meliorem esse Liturgicorum sententiam, in reliquiis thurificandis esse silendum, quamvis aliud verba Caeremonialis Episcoporum innuere videantur. Ut aliquos maiori aestimatione dignos afferamus, se primo nobis offert cl. Van den Stappen in suo *Tractatus de celebratione SS. Missae Sacrificii,*

qui normam magis congruam ad rem assignans, ita verba distribuit, ut in thurificandis reliquiis nihil sit dicendum (*pag. 204 et 205*). Sit alter Vapelhorst, qui verba refert ad crucis thurificationem recitanda, postea de reliquiis agens nulla assignat verba, quae tamen prosequenda notat ad incensationem altaris in latere Epistolae (*Caput VIII, n. 82, 2, 3*). Pavonius sit tertius, qui postquam de thure reliquiis adolendo disseruit, de verbis distribuendis loquitur, et aliquid in illis thurificandis dicendum esse nullo pacto supponit. (*Guida liturg. part. II, cap. IX, n. 492 et 493*). Martinucci ait: « Inter incensandam crucem et altare, et reliquias si aderunt, recitabit verba *Dirigatur... etc.* ». In nota postea subiungit: « Res perlevis videtur verba Orationis *Dirigatur etc.*, distribuere in singulis thuribuli ductus; quum id neque a Rubrica, neque a Caeremoniali indicetur. Tamen, ut regula quaedam statuatur, poterunt sequenti modo dispertiri. In thurificatione crucis *Dirigatur, Domine, oratio mea:* in incensatione ad latus Epistolae, *sicut incensum in conspectu etc.* (*Lib. I, cap. V, n. 17*) ». Nihil autem de reliquiis, quae thurificandae forent ab utroque latere, primum a cornu Evangelii, inde ab Epistolae. Eodem modo se exprimit Catalanus, loquens primo de thurificanda cruce, reliquiis, si fuerint, et altari iuxta Rubricam Caeremonialis, quam commentatur. Postea scribit: « dicens interim ex antiquo ritu eam orationem *Dirigatur...* etc. Ad incensationem crucis dicit: *Dirigatur, Domine, oratio mea.* Ad incensationem altaris a parte Epistolae: *sicut incensum etc.*, et a parte Evangelii:

Pone, Domine etc. Ergo, infer ut supra, supponit nil esse dicendum dum Celebrans thus reliquiis adolet. Baldeschi apertissime docet in praxi, reliquias in silentio thurificandas (*Esposiz. delle sacr. cerem. Tom. II, cap. 7, n. 17*).

Recentius Caeremoniale Rom. Seraph. idem manifeste docet (*pars III, art. 2, 1064*). Patroni similiter docet verba esse quidem distribuenda in thurificatione reliquiarum et altaris; at numerum postea notans ductuum thurificationum, quas verba comitantur, nonnisi vigintiquinque assignat: nisi ex errore dicere velis viginti sex, quod *ori meo* in duas partes dividat (*Lez. 8va n. 112*). Sed prae ceteris placet De Amicis (*Il Parroco del Villagio etc.*) qui disertissimis verbis rem explicat dicens: « Quod si ibi sint reliquiae, aut imagines thurificandae, thure cruci adhibito, abrumpitur oratio, et thurificantur reliquiae in silentio, et resumitur oratio cum thurificatione altaris (*Parte prima, art. 4, n. 11*) ».

Conveniendum nihilominus, ut veritati omnimode adhaereamus, aliquos tantum ex supercitatis auctoribus, explicite de nihil prorsus dicendo in thurificandis reliquiis, se exprimere: ut fortasse et pro contraria sententia ex iis nonnullus allegari posset. Auctores alii ex quibus plures consuluimus, aut omnino tacent ad rem quod attinet, aut subobscure loquuntur. Ita Gavantus, Meratus, Gastaldus, A Carpo in suo *Caeremoniale iuxta ritum romanum,* Laboranti, Bissus, Bauldrius, De Herdt Olinda etc. Ex iis, qui oppositam tenent sententiam, saltem in praxi; ac perspicue se explicant, nonnisi Schober legimus (*Caeremoniale Missar.*

solemnium pag. 91). Silemus Cesari, qui ratione quadam se exprimit quasi risu digna (1).

Super allatis auctoritatibus addere iuvet praxim prorsus universam Romae servatam, vi cuius Celebrans in reliquiis thurificandis nihil dicit. Ab Urbe si in totam pergas Italiam, eamdem ubique fere locorum reperies praxim. Imo eamdem servatam et extra Italiam, fere universaliter, arbitramur et iure merito, quia romanae consuetudines ab alumnis Collegiorum Seminariorumque in Urbe extantibus ad omnes feruntur Ecclesias, sive indigenas sive exteras.

Post haec aliquantulum ratiocinationi indulgere placet, non quidem ut demonstremus, in thure reliquiis adhibendo ex lege silendum, sed tantum optimo iure id fieri. Et primo notandum, reliquias vel imagines partem altaris non constituere, uti mensam, crucem, ipsaque candelabra, quippe quae saepe saepius in illo non exstant. Mensa cum aliis partibus altare constituit, in suis essentialibus, crux est praecipuum eius obiectum, sine quo exstare altare non debet. Candelabra pro luminibus minus principalia ornamenta constituunt, ut plura ex illis vel minora esse possint. Sed praecipue notandum in thurificando altari non candelabris thus adhiberi, sed ipsi altari prout distribuuntur candelabra. At cum thurificantur

---

(1) Verba italice, uti iacent, referimus: « Quando nell'altare trovinsi le reliquie o Imagini di SS., bisognerà, anche nell'incensar queste, dir qualche parola, per es. *sicut incensum*, e le parole consecutive dirle incensando l'altare (*Lib. 4, cap. 10, n. 1500, pagina 411*) ».

reliquiae, hae thurificantur *propter se*, non *propter altare*, id est ratione cultus: secus thurificarentur etiam vasa florum, quae adesse possunt pro reliquiis, quod absurdum est. Ergo dum thus reliquiis adoletur, thus non adoletur altari, sed reliquiis, super altari positis. Porro verba *Dirigatur etc.* dici debent dum thurificatur altare; ergo non sunt dicenda dum thurificantur reliquiae.

At oppones, si aliquid valet praefata ratio, neque dicta verba dicenda forent dum thus adhibetur cruci, quippe quae, nec ipsa altare constituit, et propter se thurificatur, uti reliquiae. Sed negamus consequens. Primo, quia crux est principale altaris obiectum, et optimo iure ei thus adhibetur tam *propter se*, quam *propter altare*, ad quod pertinet. Secundo lex de verbis recitandis in casu clara est et explicita, quae servari debet.

At resumes, perspicuam quoque legem esse de praefatis recitandis verbis dum thurificantur reliquiae. Respondemus, id quidem posse videri, sed non ita perspicue rem se habere; nam verba *prosequi reliqua verba in incensatione reliquiarum et imaginum atque ipsius altaris* aliquam explicationem admittere valent. Sane, ponas, aliquem Celebrantem plura verba recitare dum semel thuribulum ducit, altare thurificans, postea vero pluribus vicibus idem ducens thuribulum nihil dicere: nonne Rubricam servabit, quae aliquam indubie latitudinem admittit, dummodo thurificationem et verba simul terminet? Id negare quis poterit? A pari Rubrica servatur Caeremonialis, si verba initium habeant a thurificatione crucis, sub silentio thurificentur reliquiae, atque inde resumantur verba

in thurificando altari. Crux itaque, iuxta Rubricam, reliquiae aut imagines, mensa, cornu utrumque, latus, frons altaris, quid totum constituunt, cui thus adolendum est; et dummodo partes singulae assignatae thurificentur, verbaque omnia recitentur, simulque cum thurificatione finiantur, impleta Rubrica est.

Insuper duo sunt animadvertenda, ex quibus respicit alterum dictae Rubricae interpretationem, alterum est incommodum in opposita sequenda praxi. Quod primum attinet, indubium est hanc interpretationem nostram e Roma venire, in qua frequentius concinuntur solemniores Missae, Pontificalia exercentur ab Episcopis, a purpuratis Patribus, et quondam etiam (utinam et quantocius id iterum fieri possit) a Romano Pontifice. Iam vero quae semper hactenus retenta est, et impraesenti servatur, neque casu, sed scienter, eadem agendi ratio ab omnibus, sive Patriarchalium, sive Cardinalium et summi Pontificis, sive ceterarum Ecclesiarum caeremoniarum magistris. Quod sane gravissimum esse argumentum, ut dictam Rubricae interpretationem teneamus authenticam, nemo non videt.

Alterum quod spectat dicendum, oppositam praxim duplici incommodo esse obnoxiam. Est primum divisio verborum, quae aliquid contra naturam praesefert; etenim in aliquibus thuribuli ductibus dicere oporteret «*et*», «*ut non*», «*in*»: dum e contra, uti *Caeremoniale Missarum solemnium* docet (*loc. sup. cit.*), in crucis thurificatione ad primum tantummodo ductum dicendum foret *Dirigatur, Domine, oratio mea,* quae singula profecto, nisi litterae adversentur Rubricae, minus

certe eius spiritui respondent. Alterum est diversa verborum recitandi ratio, iuxta quod vel sunt, vel non, in altari imagines; si enim primum, uno modo, si secundum comprobetur, diverso modo verba distribuenda sunt. Hoc autem et difficiliorem reddit hunc exercendum ritum, et difformitatibus causam ministrat. Ex opposito in nostra sententia, idem semper servatur modus verba recitandi, qui proinde et facilior est, et uniformitati magis magisque favet. Eapropter ad propositam secundam petitionem reponendum credimus: Rubricis inspectis, tam Missalis quam Caeremonialis Episcoporum, communiori auctorum interpretatione, quae authentica dicenda est, et Decretis, ex quibus tamen unum quod retulimus extat, verba satis laudabilius ita distribuenda sunt in thurificando altari, ut in thure adolendo reliquiis nihil dicatur. Consequenter pro vigintinovem thuribuli ductibus, positis reliquiis, habebis: 1. *Dirigatur;* 2. *Domine;* 3. *oratio mea:* 4-5-6-7-; 8. *sicut;* 9. *incensum;* 10. *in conspectu tuo;* 11. *Elevatio;* 12. *manuum;* 13. *mearum;* 14. *sacrificium;* 15. *vespertinum;* 16. *Pone;* 17. *Domine;* 18. *custodiam;* 19. *ori;* 20. *meo;* 21. *et ostium;* 22. *circumstantiae;* 23. *labiis meis;* 24. *ut non declinet;* 25. *cor meum;* 26. *in verba malitiae;* 27. *ad excusandas;* 28. *excusationes;* 29. *in peccatis.*

III. Ultimae petitioni breviter, iuxta exposita, faciamus satis. Consuetudo silendi, dum thus cruci adhibetur, abusus est, et aperte contra Rubricam, et Decretum *Olomucen.* quod superius retulimus. Caio proinde favet ratio, ut verba *Dirigatur etc.*, cum crux thurificatur incipienda sint. Quod alteram spectat consuetudinem verba distribuendi

etiam ad thurificationem reliquiarum vel imaginum, damnari ea quidem nequit, ut tota ratio pro Caio pugnare nec asseri possit; nihilominus eius sentiendi modus omnino probandus est, cum eoque, uti vidimus, apprime servatur, sive Missalis, quae ceterum indeterminata satis est, sive Caeremonialis Rubrica, et quidem iuxta interpretationem, quae optimo iure authentica appellari potest.

Dissertatiuncula de Sacro Pallio

(*Contin. V. n. 10, pag. 634*).

VII. Quoad pallii usum quaedam adhuc animadvertenda sunt.

1° Translato Archiepiscopo ad Sedem aliquam episcopalem, expirat ius deferendi pallium, quod tamen apud se retinere debet quamvis eo uti non possit (1); quod si translatus fuerit ad aliam Ecclesiam Metropolitanam, novum pallium petere debet et antiquo amplius uti non potest.

2° Archiepiscopus nequit alteri Archiepiscopo pallium suum commodare (Cap. *Ad hoc* - De auct. et usu pallii).

(1) Sac. Cong. Rit. 16 Oct. 1604 apud Magri - *Notizia de' Vocaboli Ecclesiastici.*

3° Archiepiscopus curare debet ut pallium suum honorifice asservetur: « Curent igitur Archiepiscopi ut pallium, in quo tanta est antiquitatis veneratio et auctoritas, digne et honorifice asservetur, puta serico involutum ac in capsula intus, et extra pulchre ornata, vel serico obducta inclusum, tanquam venerabile ipsius Archiepiscopi insigne mysticis significationibus plenum (Caerem. Episc. c. 15, L. I).

4° Mortuus Archiepiscopus sepeliri, debet indutus proprio pallio si in provincia (seu in dioecesi si de Episcopo privilegiato agatur) sua sepeliatur, si vero extra provinciam, ponendum erit pallium plicatum sub illius capite. Qui plura pallia consecutus est, ob translationem ad plures Ecclesias Metropolitanas, cum omnibus sepeliri debet: si sit in provincia sua, ultimum circa humeros habebit et reliqua sub capite collocata; et si extra provinciam sepeliatur, omnia sub capite defuncti reponuntur (1).

5° Quod si Archiepiscopus moriatur antequam illi tradatur pallium quod illi missum fuit ab Apostolica Sede, pallium comburendum est et cineres in sacrarium proiiciendae sunt, ut statuit S. R. Congregatio die 4 Mart. 1606: Cf. Magri.

Ritus quo Antistites pallio gaudentes Missam celebraturi illo induuntur sic a Caeremoniale, Lib. II, c. VIII, n. 20 describitur: Postquam Episcopus planeta indutus fuerit, pallium « affertur per aliquem Subdiaconum ex altari ambabus ma-

(1) Castaldus, l. I, s. 10, c. 10, n. 13 et 14, et De Herdt, *Praxis Pontificalis*, Lib. I, c. 16. n. 7.

nibus, vel aliquo supposito, quod Diaconus capiens, Episcopo offert osculandum in cruce posteriori,.... et dum illud imponit Subdiaconus dextera manu elevat partem quae a tergo pendere debet, illudque aptant, ut humeros Episcopi aequaliter ambiat, et pars duplex pallii ponatur super sinistro humero Episcopi. Quo facto, idem Diaconus capit unam ex tribus spinulis per aliquem acolythum allatis, videlicet pulchriorem, eamque infigit cruci anteriori pallii ante pectus existenti, aliam in cruce sinistri humeri, tertiam Subdiaconus infigit cruci posteriori, quae omnia ita infigantur, ut tertio transeant per crucem, in qua sint ocelli tres, seu ansulae tres sericae eiusdem coloris nigri; ita tamen, ut nec crucem, neque pallium perforent, neque planetam tangant; et gemmae spinulis appositae, remaneant ad dexteram infigentis ». Pallium autem ab Episcopo deponitur Benedictione data et Indulgentiae formula lecta antequam incipiat ultimum Evangelium (Caerem. loc. cit. n. 81. Cf. etiam Martinucci Lib. V, c. IX, n. 146 et Schober, Caeremoniale, Art. IX, C. 7, n. 23).

Apud Graecos, Antistites pallium deponunt cum Evangelium legendum est, et reassumunt paulo ante communionem ut docent Magri et Bona (1); cuius caeremoniae Simon Thessalonicencis rationem tradit his verbis: « Dum Evangelium legitur Episcopus omophorion deponit servitutem ac subiectionem suam demonstrans; quoniam enim ille

(1) Magri, Op. cit. ad verbum Pallium; et Bona, Rerum Liturg. L. I, c. 24.

(id est Christus) per Evangelium loqui cognoscitur, et tanquam coram adest ».

VIII. Inter omnia sacra indumenta hoc singulare habet pallium quod Archiepiscopi aliique iure pallii gaudentes illud a Romano Pontifice postulare tenentur et quidem vehementibus verbis, iuxta effatum S. Gregorii apud Gratianum, Can. II. Dist. 6. « Prisca consuetudo obtinuit, ut honor Pallii nisi ingentibus meritis, et fortiter postulantibus dari non debeat »; quamvis tamen non desint exempla quibus docemur pallium datum fuisse Archiepiscopis quibusdam illud minime postulantibus. Mos aliquando in Ecclesia fuit ut nonnisi Romam venientibus, adeoque praesentibus pallium traderetur. Cuius disciplinae testis est S. Petrus Damiani, qui Lib. VIII Episc. IV ita scribit: « Pontifices ex antiquae traditionis usu ad Apostolorum debent limina properare, et hoc, sine quo Metropolitani esse non possunt, signum consummandae suae dignitatis accipere ». Usus tamen hodiernus est qui, teste Catalano (1), a saeculo duodecimo circiter invaluit ut ipsi Metropolitani absentes pallium postulent per procuratorem speciali mandato instructum. Pallium postulari debet in consistorio Pontificis adhibito Advocato Consistoriali et sive Antistes impetrans (eiusve procurator) sive Advocatus dum pallii postulationem faciunt, genuflexi manent coram Summo Pontifice, qui pallii traditionem committit Cardinali Priori Diaconorum; exceptio tantum fit pro Eminentissimis S. R. E. Cardinalibus, qui pallium petunt

(1) Catalanus - ad Pontificale. T. 1, tit. 14.

stantes, quin de loco suo discedant, et quibus Summus Pontifex ipse solet pallium tradere ut Moroni testatur. Pallium vero, quod Antistites a Priori Diaconorum non personaliter sed per Procuratorem accipiunt, deferre non possunt, nisi illis imponatur ab aliquo Archiepiscopo aut Episcopo. Pius tamen VII, die 20 Septembris 1807, concessit ut Episcopo Meliteno pallium imponeretur a Dignitate Ecclesiae Cathedralis, et ratio est quod alius Episcopus in insula non erat.

De Ritu quo pallium extra Curiam imponitur, cum clare in Pontificale Romano describatur, nihil dicendum est; formulas ideo tantum referam per quas ab Apostolica Sede pallium postulari solet.

Si postulans in Curia sit praesens, formula haec adhibetur: « Ego N. electus Ecclesiae N. instanter, instantius et instantissime peto mihi tradi et assignari pallium de corpore beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officii ».

Petitionis autem pallii per procuratorem factae formula antiquitus haec erat iuxta Marcellum (1): « Ego N. procurator, et Procuratorio nomine, et pro parte Reverendi in Christo Patris, et Dñi N. electi Ecclesiae N. instanter, instantius, et instantissime peto mihi dari et assignari pallium de corpore beati Petri sumptum: in quo est plenitudo Pontificalis Officii: et promitto illud reverenter portare eidem Reverendo Patri Dño N. nec pernoctabo in aliquo loco, nisi una nocte tantum,

---

(1) Sacrarum Caeremoniarum S. Rom. Ecclesiae Libri Tres - 1532, p. 79.

praepeditus fuero legitime, et tunc in cathedrali ipsius: et si non fuerit cathedralis, in collegiata: et si non fuerit collegiata, in parochiali Ecclesia remittam, et honorifice reponam. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia ». Quae vero formula non amplius adhibetur, nam Benedictus XIV (1) considerans Procuratores iuramentum praestantes iuxta antiquam hanc formulam, plura promittere quae nec omnino tunc temporis integre adimpleri, nec sine periurii crimine negligi posse videbantur, aliam statuit adhibendam esse formulam: « Ego N. procurator et procuratorio nomine et pro parte Rm̃i in Christo Patris et Dñi N. electi Ecclesiae N. instanter, instantius et instantissime peto mihi tradi et assignari Pallium de Corpore B, Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii, et promitto illud reverenter portare, vel portari facere eidem Rm̃o Patri Domino N. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia ».

IX. Superius egimus de natura, origine et usu pallii, nunc aliquid dicendum manet de *auctoritate* pallii ut loquendi modo Decretalium utamur. Iam diximus Archiepiscopos teneri pallium postulare, sed non solum tenentur ut illud ornamentum deferre possint, sed etiam ut Archiepiscopali nomine uti et munera archiepiscopalis officii peragere possint, ut scribit Innocentius III Legato suo in Siciliam. Unde iuxta Decretales et Iuris Canonici auctores Archiepiscopus quamvis consecratus fue-

---

(1) Cf. Bullarium magnum. C. Rerum Ecclesiasticarum. Vol. 17 p. 274.

rit, ante pallii receptionem nec Archiepiscopus vocari potest (cap. III huius tituli), nec aliquos actus iurisdictionis ponere qui proprii sunt Archiepiscopalis officii, ut visitare provinciam et concilium provinciale convocare. Imo nec potest conficere chrisma, dedicare basilicas, ordinare Clericos et consecrare Episcopos, ut constat ex cap. 28, tit. VI, Lib. I Decretalium. Et ratio est, ait cl. Santi « quia licet istae sacrae functiones sint Ordinis Episcopalis, tamen peraguntur ab Archiepiscopo tanquam Episcopo, id est peraguntur intra missarum solemnia, et in vestibus pontificalibus, adhibito pallio archiepiscopali ». Potest tamen eas functiones peragere in aliena provincia, si forte ab Episcopo rogatus, vel illas Suffraganeo suo committere, sicut potest etiam Missas Pontificales sine pallio et sandaliis celebrare (1). Potest etiam ea Officia ordinis Episcopalis peragere in quibus non requiritur usus pallii, et quae celebrantur extra missarum solemnia adhibitis superpelliceo et stola, uti sunt Benedictio sacrorum vasorum et indumentorum necnon Coemeterii. Pallium Archiepiscopi postulare olim tenebantur intra tres menses, nunc vero intra sex menses. Quod hucusque quoad Pallii auctoritatem de Archiepiscopis diximus, Patriarchis etiam et Primatibus applicandum est, non vero Episcopis qui aliquo ex privilegio pallio utuntur, iuxta rationem a Benedicto XIV allatam: « Privilegium cumulat antiquis nova iura, sed antiqua non aufert, ne secus plus afferat detrimenti quam commodi ». Unde isti Episcopi ante pallium re-

(1) Pontificale Romanum.

ceptum omnes functiones episcopales peragere queunt, sicut nec tenentur pallium intra spatium sex mensium postulare.

X. Hic dissertatiunculae huic nostrae finis forsan imponendus esset; lectoribus tamen iniucundum forte non erit, si aliquid adiiciamus de pallii benedictione, quia pauci sunt auctores praesertim recentiores qui de hoc ritu scripserunt.

Pallia antiquitus quam solemnissimo ritu benedicebantur in Basilica Vaticana a Vicario eiusdem Basilicae vel ab uno ex Canonicis Episcopali charactere insignitis (1). Huic benedictioni sacrae praemittebantur vigiliae et Veggius piam supplicationem describit quae, tempore suo (nam ex Benedicto XIV scimus ritum huius benedictionis non semper eumdem fuisse), ab ipsius Basilicae Clero cum cantu Psalmorum Poenitentialium, litaniarum, et aliarum precum fiebat dum ad pallia benedicenda procedebatur. Et praedictus auctor addit quod, sacra peracta functione « exhibebatur omnibus abundanter optimum vinum optimis aromatibus conditum, » quod vinum a Petro Mallio, Canonico Vaticano tempore Alexandri III, claretum vocatur. Hoc tamen alicui scandalo non sit! nam, ut ait Canonicus Mapheius Veggius « Perfectis divinis consolationibus, cum consolari corpora incipiebant. » Iustum quidem et aequum; sed iam tempore Martini V haec consuetudo non amplius vigebat, et dolet Veggius noster quod exolevisset hoc « non modicum hilaritatis et laetitiae monumentum. » Mihi in animo non est omnes

---

(1) Cf. Catalanum, ad Caeremoniale. T. I, p. 244.

ritus describere qui olim pro sacrorum palliorum benedictione in usu fuerunt, satis sit illum tradere qui nunc viget. Benedictus XIV exemplum sequens Benedicti XIII, qui anno 1725 pallia ipse benedixerat, statuit per constitutionem *Rerum Ecclesiasticarum* (1) pallia deinceps esse benedicenda in pervigilio Natalis SS. Apostolorum Petri et Pauli in Basilica Vaticana, a Summo Pontifice, vel a Cardinali qui forsan, absente Pontifice, Vesperarum solemnitati in Pontificalibus adstiterit, iuxta novum ritum qui in ipsa Constitutione traditur. Nunc autem Summus Pontifex quamvis ob vices temporum Vesperis solemnibus non amplius adsistat in vigilia Festi SS. Petri et Pauli, descendit tamen in Basilicam Vaticanam nocturno tempore et paucis praelatis comitantibus, ibique, ianuis clausis, sacra pallia benedicit iuxta ritum a Constitutione *Rerum Ecclesiasticarum* traditum. Pallia postquam benedicta fuerint includuntur in parva arcula argentea, auro obducta, et in ea asservantur penes corpus B. Petri, donec tradenda sint iis, qui pallii privilegio fruuntur.

En ritum benedictionis palliorum, qui a Benedicto XIV praescribitur, et nunc adhuc observatur: (2)

Pontifex habens ante se Pallia benedicenda stans sequentes versus dicit et Orationem, quibus

---

(1) Bullarium magnum. V. 17, p. 272.

(2) Cf. Librum quo Summus Pontifex utitur ad sacra pallia benedicenda.

expletis, sedens imponet incensum, dein stans lustrali aqua asperget, et thure adolebit.

Adiutorium nostrum in Nomine Domini.
Qui fecit coelum et terram.
Dominus vobiscum.
Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, Pastor aeterne animarum, qui eas Ovium nomine designatas, per Iesum Christum Filium tuum, Beato Petro Apostolo eiusque successoribus, boni Pastoris typo regendas commisisti, atque ipsis Sacrarum Vestium symbolis Pastoralis curae documenta significari voluisti; effunde per Ministerium nostrum super haec Pallia de Beatorum Apostolorum Principum Altari sumpta copiosam Benedictionis ✠ et Sanctificationis ✠ tuae gratiam, ut quam mystice repraesentant Pastoralis Officii plenitudinem, atque excellentiam, pieno quoque operentur effectu. Humilitatis nostrae preces benignus excipe, atque eorumdem Apostolorum meritis et suffragiis concede, ut quicumque ea, te largiente, gestaverit intelligat se Ovium tuarum Pastorem, atque in Opere exhibeat quod signatur in nomine. Sit boni magnique illius imitator Pastoris, qui errantem Ovem humeris suis impositam caeteris adunavit, pro quibus animam posuit. Sit eius exemplo in custodia Gregis sibi commissi sollicitus, sit vigil, sit circumspectus; ne qua Ovis in morsus incidat, fraudesque Luporum. Sit disciplinae zelo districtus, quod perierat requirens, quod alienum reducens, quod confractum alligans, quod pingue et forte custodiens. Videat

humeris suis impositam Crucem, quam Filius tuus proposito sibi gaudio sustinere non recusavit; sitque illi crucifixus Mundus et ipse Mundo. Tollat iniectum collo suo Evangelicum iugum, sitque ei ita leve ac suave ut in via mandatorum tuorum caeteris exemplo, et observatione praecurrat. Sit ei hoc symbolum unitatis et cum Apostolica Sede Communionis perfectae tessera, sit caritatis vinculum, sit divinae haereditatis funiculus, sit aeternae securitatis pignus, ut in die adventus et revelationis Magni Dei, Pastorumque Principis, Iesu Christi, cum ovibus sibi creditis, stola potiatur immortalitatis et gloriae. Per eumdem Dominum nostrum etc.

D. Felix Ravanat.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Neapoli.* **De officio assignato die 3 Februarii.** Quaeritur utrum die 3 Februarii reponi possit officium dup. min. vel semid. perpetuo transferendum.

Resp. Praemittimus dubium praesens, respiciens diem 3 Februarii, extendi quoque posse ad alios dies, qui alia potiora festa subsequuntur, puta ad diem 28 Ian. pro reponendo officio Ss. Nominis Iesu Dominica Septuagesimae impeditum, ad diem Sabbati sequentis festum Ss. Cordis Iesu impeditum festo duplici 1. classis primario, etc. His praemissis, respondemus ad propositum dubium: affirmative. Hi namque dies, etsi duplici

min. vel semid. impediti, eiusmodi nihilominus non sunt pro officiis, quae in iisdem reponenda supponuntur; ergo nil vetat, quominus considerari possint et debeant pro duplicibus minoribus et semiduplicibus sedes liberae. Quod si aliquo anno impediuntur, ad ritum simplicem more solito redigi possunt. At non videtur rationi consonum, ut sedes aliqua perpetuo relinquatur libera pro officio in illa reponendo, quod aliqua tantum vice per accidens impeditur. Quod maxime praesenti tempore attendendum est, in quo sedes liberae deficiunt in Calendariis. Ceterum, si legas specialem Breviarii Rubricam, nullo negotio perspicies, sedes eiusmodi iure posse occupari ab aliis officiis. Ita Rubrica ante festum Purificationis praedicat: « Si hoc festum inciderit in aliquam Dominicam privilegiatam, transfertur in feriam II tamquam in sedem propriam, translato quocumque festo duplici ex maioribus, aut alicuius Doctoris Ecclesiae, etiam aequalis, non tamen altioris ritus. De alio autem festo duplici minori vel de semiduplici occurrente fit commemoratio, etc. ». Neque aliter se exprimit Rubrica ante festum Ss. Nominis Iesu posita, videlicet et ipsa supponit die 28 Ianuarii occurrere posse festum duplex secundae, et etiam primae classis, aliaque inferioris ritus; de iisque agendum disponit uti superius pro festis in Purificatione occurrentibus dispositum fuisse vidimus. Idem dicas de festo Pretiosissimi Sanguinis Christi, sicut ante Dominicam primam mensis Iulii videre est in Rubrica speciali. Hae autem Rubricae speciales ad normam sunt Rubricae Generalis, quae de Purificatione dicit: « Si autem festum Purificationis B. Mariae

venerit in aliqua Dominica secundae classis, transfertur in feriam secundam sequentem, quamvis impeditam (*Tit. X*, *n. 1*) ». Quam Generalem Rubricam speciales clarius explicant exponuntque. Ergo, vi Rubricae, dies 3 Februarii non est necesse ut perpetuo libera ab officio duplici vel semiduplici, aut etiam superioris ritus, relinquatur, ut ibi officium Purificationis aliqua vice impeditum reponatur.

Obiicies nihilominus aliquod Decretum, puta in *Bergomen* d.d. 9 Aug. 1681 *ad 2*. Nos vero reponimus, posteriora et maxime recentiora Decreta per facta contrarium disponere, quibus adhaerere unumquemque posse certiores lectores facimus: adeo ut per haec revocata illa censeri possint. Revera Decretum *Barchinonen*, *d.d. 11 Sep. 1790 ad 1.* iam statuerat pro Hispania, optime repositum fuisse die 28 Ianuarii festum S. Iuliani Conchensis Episcopi, et officium Ss. Nominis Iesu reponendum esse ab Episcopo in aliam sequentem diem, translato quocumque alio festo, nisi altioris ritus fuisset. Recentius, Aretina Civitas festum Beati Gregorii X Papae Conf. reposuerat eadem die 28 Ianuarii tamquam in sede propria; et S. R. Coñgnem exquisierat, utrum dicta dies relinquenda esset libera pro Ss. Nomine Iesu Septuagesimae Dominica impedito reponendo, illudque transferendum in perpetuum ad 16 diem Febr. quae erat libera. Porro S. R. C. respondit: « In casu festum Ss. Nominis Iesu reponatur prima die libera, retento festo B. Gregorii in die 28 Ianuarii iam fixa (*Aretina*, *18 Iun. 1885*, *ad III*)». Dices quidem, verba *in casu* non exprimere abrogationem alterius Decreti contrarium disponentis. Sed animadvertimus, praeter

Decretorum antiquiorum abrogationem, non adesse rationem huiusce dispositionis. Nam festum Ss. Nominis potioris aut certe aequalis est ritus, potioris dignitatis, et pro eo dies 28 Ian. est tanquam propria; quomodo ergo, nisi anteriora Decreta revocasset, S. R. C. praetulisset festum eiusdem, nisi inferioris ritus, minoris dignitatis, et pro quo non dies 28 Ianuarii, sed 16 Februarii est propria, uti ex Martyrologio Romano constat? Cum autem quod de hac die diximus, de aliis quoque optime possit intelligi, paris enim sunt iuris, sequitur diem 3 Februarii liberam esse pro reponendo officio saltem duplici aut semiduplici perpetuo translato, cuius officium ob Purificationem, si in illam transferenda sit, redigetur ad instar simplicis consuetisque commemorationibus gaudebit.

II. *E Sicilia*. **De vigiliis pro consecratione Ecclesiae**. Plures plura dicunt, diversimode interpretantes Rubricam Pontificalis Romani super vigiliis agendis in nocte, praecedente alicuius Ecclesiae consecrationem. Sed Decretum extat in una *Cuneen, n. 5621 ad III* apertissimis verbis iubens: « Sacrae vigiliae praescriptae in Pontificali Romano per totam noctem persolvendae sunt ». Quid iudicandum? Ephemeridum iudicium expostulatur, sed certum ac tenendum in praxi.

Resp. Decreti citati vis negari non potest, et, quod maxime animadvertendum, inter Decreta hac super re tractantia recentius est, videlicet d. d. 7. Aug. 1875. Nihilominus tranquillo sit animo adm. Rev. consulens, cum Decretum relatum tamquam revocatum haberi possit, omnique vi destitutum. Primo, quia aliud Decretum, cui standum est licet antiquius (*Cenomanen. 14 Iun. 1844*),

Rubricam exponens Pontificalis Romani declarat: « Pontificalis verba in casu intelligenda esse, quod celebrentur vigiliae *cum Matutino, Hymnis, Canticis, de Communi, cum simili Oratione de Communi, sine nomine expresso, cum non sint partes officii diei* ». Porro pro his precibus recitandis non certe requiritur integra nox. Secundo, in Urbe coram auctoritate ecclesiastica sciente et vidente, Ecclesiae quamplures consecratae fuere, et consecrantur, atque inter eas plures ad religiosas pertinent Familias: et nihilominus vigiliae per totam noctem non protrahuntur, sed tantum recitantur vel cantantur preces ut supra, nec integra in psallendo nox insumitur. Notandum, Emum Vicarium Urbis Ecclesias, ut plurimum, consecrare: alterum ex Apostolicarum Caeremoniarum magistris ei assistere, et omnia ad eius nutum praedisponi; et nihilominus per totam noctem ante Reliquias vigilare nunquam praescriptum, aetate saltem nostra, fuisse, neque praescribi, certa veritas est. Tertio, credimus Decretum *Cuneen* certae expunctioni esse reservatum.

III. *E Regione belgica.* **De manente consecratione arae portatilis, fracto episcopali sigillo.** Quaeritur, num altare portatile, cuius episcopale sigillum invenitur fractum aut deletum, execratum sit censendum?

Resp. Negative. De hoc sigillo hispanica cera imprimendo super aris portatilibus altum silentium servat Pontificale Romanum, nullum Decretum verba facit, neque illi favet Romana consuetudo. Quod si alicubi imprimi illud solet ab Episcopis, nova lex iuberi ab ipsis non potest (non enim facultas est illis), ut execratum altare sit

censendum, fracto vel deleto sigillo. Dici posset, illud esse veluti signum, quo deleto, execratio altaris dignoscitur. Sed reponimus: hoc principium quis statuit? Unde venit? Super qua lege fundatur? Haec nescimus, et interim eiusmodi principium eodem quo asseritur iure negatur.

Sed opponitur Decretum *Vivarien* d.d. 28 Febr. 1880, quod sic se habet: « Dub. I. Utrum altaria portatilia interdicenda sint ob amissionem sigilli episcopalis, intactis remanentibus sepulcro et Reliquiis? » Responsum autem fuit: « Affirmative, nisi constet, rite fuisse consecrata ». Nos autem respondemus, hoc Decretum, etsi in nova Collectione remaneret, quod non credimus, nihil valere contra exhibitam responsionem. Nam omnia et quaecumque altaria, etiam fixa, *essent interdicenda, nisi constaret rite ea fuisse consecrata;* sed quaestio est, utrum ex eo quod sigillum episcopale deletum fuerit, eo ipso constet, altare aliquod non fuisse consecratum: quod absolute negatur. Etenim, aut Episcopus non potuit ex oblivione vel noluit eiusmodi sigillum apponere, nulla enim lege praescribitur: aut iniuria temporum consumptum esse potuit: aut fortuito frangi potuit vel deleri post aliquod temporis a consecratione. Quomodo ergo ex hoc signo argui certo poterit, altare aliquod portatile non fuisse consecratum? Et nota, S. R. Coñgnem noluisse respondere ad propositum dubium, dicta altaria esse interdicenda *ob amissionem sigilli episcopalis,* uti Rm̃us Vivariensis Antistes exquisierat; sed respondere tantum contenta fuit, esse interdicenda quando non constaret, *rite fuisse consecrata.* Hoc autem idem est ac dicere, sigillum episcopale non esse signum, ex quo dignoscatur

ea rite consecrata fuisse. Namque, aut intactum sigillum episcopale id potest demonstrare, aut non: si non potest, ratio pro nobis pugnat, uti patet: si autem potest, explicandum manet, quare in suo responso Sacrum Tribunal Rituum id non expresserit, cum expressum in petitione fuisset. Interim concludimus, sigillum episcopale ab aliquibus in Gallia et Belgio Episcopis ad abundantiam in portatilibus altaribus imprimi, sed neque vi Pontificalis, neque vi Decretorum esse signum anteactae illorum consecrationis. Ergo, altare portatile, cuius episcopale sigillum invenitur fractum aut deletum, non est propter id censendum execratum.

IV. *E dioecesi N.* **De cera quae Venetiana dicitur, et de illius colore**. 1. Quaedam cerae qualitas, quae Venetiis modico pretio venumdatur, nihil, si vera sunt, quae nobis referuntur, aut quasi nihil cerae apum continet: hinc quaeritur, utrum tuta conscientia, ex ratione oeconomiae, adhiberi possit in Ecclesiis ad cultum. Quaeritur insuper, utrum aliqua sit lege prohibitum, dictam aliamve ceram pingere?

Resp. 1. Ne adm. Rev. consulenti displiceat, si pro responsione quae petitur, nonnulla exhibeamus excerpta e suffragio, quod ex officio elucubravit cl. P. Franciscus Maria Cirinus, Vic. Gen. Clericorum Regul. Theatinorum, S. R. Coñgnis Consultor (an. *1885*). Proposito sibi Dubio, *An, attenta pretii gravitate vel penuria candelarum cerearum, adhiberi liceat in Ecclesia sive in altaribus, sive ad Ecclesiae ornatum, candelas, quae non sint, vel ex toto vel ex parte, ex cera apum confectae,* sequenti modo ratiocinatur: « Ut de licito alicuius

rei iudicetur, opus est ante omnia perpendere, num lex aliqua formalis extet, quinam illius sint termini, quaenam latitudo. Ecclesia, quantum mihi constat, formalem atque explicitam legem tulit numquam, quae iubeat, aliis ceris exclusis, ceram apum. Si nihilominus lex formalis desit, extat aliquid illi aequivalens in antiquissima constantique praxi, quam competens Auctoritas sustinet. Cum itaque haud agatur de positiva explicitaque lege, causae excusantes, moventesque ad dispensationem praxis, licet legi aequivalentis, non ita severe existimandae ac censendae, quemadmodum cum de ecclesiastica ac formali lege agitur. Pretii gravitas, posita cerae caritate ex una, ex alia vero parte, Ecclesiarum paupertate, maxime post fere universalem bonorum despoliationem, cui clerus obnoxius fuit, videtur mihi, imo revera gravissima causa est ad concessionem aliquam aut dispensationem deveniendi. Quod adeo verum est, ut S. R. C. validiora eiusmodi momenta admiserit in Decretis suis, tam pro Corea (an. *1834*), quam pro Oceania (*1850*), nec non pro Gallia (*1864*), oleum quod attinet ex quarumdam plantarum vel fructuum seminibus expressum, ut adhiberi nempe posset pro alendis lampadibus ante Eucharistiae Sacramentum. Eapropter generis caritas, ac gravitas pretii, iustam validamque dispensationis causam constituunt ».

Re sic generice pertractata, alteram Dubii partem perpendit, utrum scilicet in Ecclesia ad ornatum, et etiam in altaribus adhiberi possint candelae, quae vel nullo modo, vel saltem non integre sint ex cera, praeindicatis semper positis excusantibus causis. Super quo ita loquitur: « Extra

omnem controversiam est, Ecclesiam pro altaribus, atque etiam ad templorum ornatum, exigere ut cera adhibeatur, vera puraque, ab industri apum oeconomia elaborata. Hinc ad propositum Dubium, *An liceat adhiberi* etc. absolute mihi respondendum foret: *Non licet*. Verum quaesiti spiritus et sensus est, utrum graviorum causarum intuitu permitti possit, vel tolerari saltem ab Auctoritate Ecclesiastica, usus cerae, quae ex toto vel ex parte non sit de apum substantia, tam pro servitio altarium, quam pro decore et pompa solemnitatum in Ecclesiis ».

Utramque autem dubii partem affirmative resolvit. Quod finem attinet ornatus notat, in Ecclesiis indubie permitti pannos, aliasque supellectiles profanas, seu non benedictas: et ad eorum similitudinem posse pariter ceras permitti, quae ex apum substantia non proveniunt. Sunt enim utrumque simplices exornationes, quae unice inserviunt ad solemnitates, quae in sacris templis celebrantur, splendidiores reddendas. Formam tamen coloremque exigit cl. Cirino, cereorum de apum substantia similem, ne templa cum profanis aulis confundantur. Sententiam suam confirmat iudicio cl. ex apostolicarum caeremoniarum magistris Aloisii Ferrari et Ioannis Corazza, quorum sentiendi ratio hac super re plurimi facienda. Ad alterum quod spectat, quamvis ei sit in votis ut super altaria nonnisi ex purissima apum substantia candelae videantur, utpote quae divino cultui magis convenit; nihilominus, praesenti rerum conditione inspecta, mixtionem aliquam ex aliis ceris permittendam aut saltem tolerandam censet. Adeo ut redigi ad hoc quaestio possit: posita necessitate

praefatae commixtionis, quaenam prae aliis substantiae, et quibus proportionibus, sint cum vera cera apum tolerandae? Cui petitioni responso exhibito, prudentia parique eruditione praedito, concludit sequenti modo suffragium: « Attenta penuria cerae per opera apum eductae, eiusdemque pretii gravitate, ad Ecclesiae ornatum tolerari posse candelas ex cera vulgo *di Venezia*, seu *uso Venezia* confectas. In altaribus vero, caeterisque liturgicis caeremoniis candelae opus est, ut sint confectae ex cera apum, cui tamen minori ex parte commisceri possit cera ex vegetabilibus obtenta ».

Verum super cera quae Venetiis componitur, iam cl. Prof. Canon. Regnani chimicam instituit analysim, ex qua deduxit, eam nonnisi vicesimam partem de apum cera continere. Quinimo Doct. Dominicus Colapietro, aliam et ipse instituit analysim; sed conclusit, aut nihil aut fere nihil in illa ex apum cera reperiri. Hi autem diversi successus in eo habent originem, quod tres cerae qualitates Venetiis habentur, ex quibus prima plus, altera minus, tertia nihil aut fere nihil ex cera apum possidet. Prima maiori, secunda minori, tertia infimo pretio venumdatur; discrimen autem in pretio indicat meliorem vel peiorem cerae Venetianae naturam. Nunc autem, uti ex pecuniae defectu facile intelligitur, Ecclesiae quamplurimae ultimae qualitatis ceram sibi comparant: quid dicendum?

Breviter reponimus, et concludimus. Cl. P. Cirino suffragium emisit, Sacraeque Rituum Congni, ut par erat, tradidit; sed Sacrum Tribunal sententiam definitivam non emisit. Auctoritas Eccle-

siastica de hac, quae non solum Venetiis, sed et Mediolani, imo et Romae variis in negotiis, cera venumdatur, satis edocta est, et adhuc silet. Ecclesiis, rebus sic se habentibus, imponere, ut a dicta cera, etiam infima sibi comparanda atque adhibenda, seu ad maiorem pompam seu ad cultum, cuiusnam alius auctoritatis esse potest? Ergo, quoadusque S. R. Tribunal hoc super negotio os suum non aperiat, arbitramur non esse interloquendum, dictamque ceram tuta conscientia adhiberi posse.

Resp. 2. Candelas depictas, prohibitas esse quidam asserunt. Cl. Martinucci scribit: «Monemus, quod candelae oportet ut sint ex alba non picta cera: Summus Pontifex tantum in Missis pontificalibus utitur candelis coloratis seu pictis (*Lib. II, cap. IV, n. 5 N.*)». Alibi autem prolixius proferens suum sentiendi modum, ait: In sacris functionibus adhibendi cerei sunt e cera alba, exceptis officiis pro defunctis, matutinis Tenebrarum, et feria VI in Parasceve, in quibus praescribitur usus candelarum e cera communi, seu non purgata. Hinc error est et abusio, praesertim in festis solemnibus alicuius Ecclesiae, uti candelis coloribus depictis, cum ornamentis inauratis; siquidem huiusmodi ritus locum habet solummodo in Missa solemni a Summo Pontifice cantata (*Lib. II, cap. VIII, n. 38*)». Haec eadem sententia, tamquam certa nec discussioni obnoxia, exhibetur a cl. Van den Stappen quondam Can. Ecclesiae Metropolitanae Mechliniensis, nunc Episcopo Auxil. Emi Goossens in suo Tractatu de Celebratione Missae (*Cap. II, § 4, Q. 49*), qui scribit: «1.° Oportet, ut (*candelae*) sint ex cera alba, non

pictae nec ornatae. Solus Summus Pontifex in Missis Pontificalibus utitur coloratis, seu pictis candelis ».

Sequentia animadvertimus. Consultius esse credimus, cum aliquid tamquam lex imponitur, ipsam citare vel afferre legem, et, si opus sit, exponere, potiusquam silere. Praeterea, quod ad legem pertinere creditur, cum aliqua consuetudine licet laude digna non est confundendum. Hoc autem notandum arbitramur quod cl. Martinucci sententiam spectat, quam alter citatus auctor est secutus. Etenim pluries Caeremoniale Episcoporum loquitur de cera alba; quam adhibendam praescribit in functionibus laetitiam significantibus, uti de cera communi seu non purgata, qua utendum praecipit in functionibus, quae luctum sapiunt, uti in officiis defunctorum, in matutinis tenebrarum, et feria VI in Parasceve. Verum distinctio huiusmodi inter albam ceram et communem posita est ad denotandum discrimen inter ceram in functionibus laetitiae, et ceram in functionibus luctuosis. Adeo ut cera communis exigatur a lege quasi in antithesim cerae albae: ut quod laetitiam exprimit non adhibeatur in actibus se ad luctum referentibus, et vicissim. Ergo ex hoc deduci nullo pacto potest, ceram depictam esse contra legem, quia etiamsi ab hoc abstrahatur, quod candelae magis exornatae albedinem ut plurimum in fundo retinent, ex quo color arguitur totius rei, uti in paramentis accidit, candelae depictae laetitiam vere significant, maioremque demonstrant functionum solemnitatem. Consequenter et legi consonant candelae depictae, et spiritui legis. Quod adeo verum est, ut Crassus agens de funa-

libus ad altare pro tempore elevationis deferendis in Missa a Card. Episcopo celebranda, loquatur de cera, seu alba, seu auro vel coloribus variegata.

Ubi autem lex extat, solum Pontificem in Missa Pontificali adhibere posse cereos depictos? Marcellus, in functionibus, quas describit, a Romano Pontifice peragendis, de candelis pro eodem expresse depictis prorsus silet; quinimo, principaliora in eo percurrentes, de pictis aut nudis cereis nihil invenire potuimus. Quod si in altari papali in Basilica S. Petri, adsunt cerei depicti, ex eo veritas sententiae cl. Martinucci inferri non potest; quia secus ex cereis albis, qui sunt in altari Basilicae Lateranensis, oppositae sententiae veritas deduci posset. Aliud ergo est, eiusmodi esse consuetudinem, aliud est eam servari tantum posse a Romano Pontifice.

Cl. Catalanus Caeremoniale Episcoporum commentans ad relativa capita, in quibus de cera alba aut communi verba fiunt, nihil prorsus dicit de hac distinctione inter Romanum Pontificem et Episcopos, vel alios simplices Sacerdotes. Ceterum consuetudo viget in quamplurimis, ne observantioribus quidem exceptis, Ecclesiis Urbis, et exteris, saltem in Italia, cereos depictos adhibendi. Quinimo cl. Castaldus haec ad rem scribit: « Decet, ut in altari maiori sex cerei in maioribus solemnitatibus *auro exornati* apponantur, ac pariter supra parietes et in candelabris, quae a ceroferariis deferuntur: quod praecipue in solemnitatibus primae classis in ipsis maioribus Ecclesiis, ubi divini cultus observantia viget, *satis congrue ac decenter servabitur* (*Lib. I. Sect. III*, *Cap. VIII*, *n. 8*) ». Denique Catalanus nuper citatus optime observat:

“ Morem fuisse antiquum variis coloribus pingendi cereos, qui in Ecclesia adhibebantur, ex S. Paulino, non in uno loco addiscimus, praesertim vero in Natali VI S. Felicis versu XXXV: « Ast alii pictis accendant lumina ceris ». „ Additque autem: « Qui ritus hodieque servatur in variis Ecclesiis insignibus, praesertim vero in Cappella Pontificia, Papa Celebrante (*Lib. I, Cap. XII, n. XX*) ».

Quibus omnibus perpensis, contra Martinucci, uti contra praecitatum auctorem, qui nimis literae legis adhaerere videntur, nobis concludere liceat, cereos depictos in Ecclesiis non esse contra legem Caeremonialis Episcoporum, saltem si adhibeantur in solemnioribus actibus liturgicis, significantibus laetitiam; quinimo illius respondere et litterae, si apprime intelligatur, atque etiam spiritui, uti et antiquitati.

V. *Ex Hispania.* **De Anniversario defuncti Episcopi.** Praesens Episcopus dioecesanus debet ne anniversarium agere defuncti Episcopi, qui non est illius proximus Praedecessor, eo quod alius Episcopus post ipsum sedem tenuit?

Resp. Affirmative. Verba Caeremonialis sunt: « Episcopus vivens *Praedecessoris sui proxime ante ipsum defuncti* memoriam habere debet, et pro eius anima singulis annis in die obitus anniversarium celebrare (*Lib. II, Cap. 36, n. 1*) ». Quid autem interest, si post defunctum ultimum Episcopum, alius intercesserit, qui vel translatus fuit, vel sponte abdicavit? Nonne legis verba comprobantur adhuc, quia Episcopus defunctus, proximior est Episcopo viventi, inter defunctos, inquam, Episcopos? Alius enim post illum e vita non decessit, qui dictam occupavit sedem. Cete-

rum Decretum in una *Marsorum* (*12 Nov. 1831 ad 18*) rem definit; quaerebatur enim: « Caeremoniale Episcoporum Lib. 2, cap. 20 (*corr. XXXVI*), iniungit Episcopo, ut memoriam habeat Praedecessoris sui proxime defuncti: quid faciendum si proximus praedecessor translatus sit ad aliam sedem? Responsum est autem: « Illius Episcopi, qui decessit Cathedram tenens ».

Nota. Quando Rubricae prohibent Missam votivam solemnem, prohibitio afficit omnes relativas Ecclesias. Dicimus *relativas Ecclesias*, in quibus scilicet idem vel similis ritus habetur, ob quem Rubricae dictas Missas prohibent. Sit ergo Ecclesia privata, sit parochialis, sit Collegiata, sit Cathedralis, nihil interest, Rubricae observandae semper sunt. Quod si de istis postremis duabus Ecclesiis agatur, quibus onus inest Missae Conventualis, nihil etiam interest: ut, si Missa votiva solemnis sit vi Rubricarum vetita, dici aut cantari nequeat, quaevis sit hora, licet Missa Conventualis non omittatur. Si autem Missa votiva prohibetur, neque lícet eius commemorationem agere in Missa Conventuali. Haec quidem, si bene Dubium propositum, quod aliqua laborat obscuritate, interpretati sumus.

NECROLOGIUM.

Dolentes Ven. Consociatis Ephemeridum annuntiamus mortem cl. Dom. **IOSEPHI PROSPERI** Canon. **MAUGÈRE**, Sacrae Liturgiae Professoris: qui pro merito inter Censores ad honorem Academiae Liturgicae Romanae iam fuerat relatus. Liturgiae benemeritus, Sacrorum rituum scientiam, cui tradendae in Seminario Langrensi fuit addictus, apprime calluit, ut et duo ad rem Volumina ediderit aestimatione dignissima: quorum primo titulus est *Notions générales sur la Liturgie*, alteri *Le Bréviaire Romain commenté*, de quibus abunde Ephemerides locutae sunt. Die 23 aug. vertentis anni 1895 piissime obiit in Domino: eius animam Ven. Consociatorum nostrorum precibus, tardius licet, libenter et enixe commendamus.

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1895.

OMINA.

Venerabilibus omnibus et singulis Consociatis nostris proximiora Natalitia festa annumque adventantem faustissima adprecamur.

NOTITIA.

Die 12 Novembris decedentis anni 1895, tertia habita est Congregatio S. R. ad Vaticanas aedes coram SS. Domino Nostro Leone Pontifice XIII super virtutibus heroicis Ven. Servi Dei Stephani Bellesini, ex Ordine Eremitarum S. Augustini. Illa absoluta, Causaeque Postulatoribus dimissis, Sanctitas Sua alterum ex Ephemeridum Moderatoribus excipere dignata est: qui octavum Illi offerens Ephemeridum Volumen, pro se Apostolicam Benedictionem provolutus imploravit, pro Coadiutoribus suis, Consociatisque omnibus. Sanctitas Sua donum sibi acceptum carumque dixit. De frequentia exquirere se placuit in Liturgicam Academiam, cuius conventibus sequenti die daturus erat initium Emus Card. Parocchi Vicarius in Urbe, eiusdemque Academiae Praeses. Responsa satis habuit, supplici Oratori, aliisque patrie effuseque benedixit; illique potestate facta sacros pedes manumque in signum observantiae ac filialis obsequii deosculandi, abeundi facultatem dedit.

Quem filii iniquo animo impetunt atque exasperant, Deus Optimus Maximus benevolentissimum Patrem diu sospitet soleturque.

SACRORUM RITUUM CONGREGATIO

I.

URBIS ET ORBIS.

Quod Benedictus XIV diserte docet *(Op. de Beat. et Can. Lib. IV. part. II. C. II. n. 5)*, Missas nempe in honorem Beatorum, vel etiam Sanctorum nonnullis Ordinibus Regularibus ex indulto concessas, ab aliis Presbyteris sive Saecularibus, sive Regularibus, celebrari non posse; Sacrorum Rituum Congregatio iampridem declaraverat, ac postea quampluribus particularibus seu generalibus Decretis retinuit confirmavitque.

Cum nihilominus, eodem Benedicto XIV fatente, incongruum videretur, ut exteri Sacerdotes ad Regularium Ecclesias, die pro festo statuta, confluentes, aliam celebrarent Missam ab illa, iisdem Regularibus concessa; hinc factum est, ut Summi Pontifices, in ipso Beatificationis Brevi, Indultum pro Regularibus datum, ad omnes et singulos Sacerdotes in praefatis Ecclesiis celebrantes extenderent.

Id autem progressu temporis consultius ac prope necessarium iudicatum est, cum novae pluresque Missae, iisdem Regularibus, seu etiam permultis particularibus Ecclesiis, quum Sanctorum, tum Beatorum indultae sint; ne videlicet, latae super celebratione Missarum leges, aut confusio-

nem aut facilem transgressionem paterentur; nisi et forte earundem observantia fere impossibilis fieret.

Quae quidem omnia cum pluries, ac praesertim in una *Romana, Dubiorum,* in conventu habito die 23 Augusti 1890, perpensa fuissent; Sacra Rituum Congregatio, dilata resolutione, decrevit, ut ad omnem difficultatem penitus amputandam, certae normae hac in re universis Sacerdotibus in singulis casibus constituerentur. Idcirco in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis, hanc generalem regulam ab omnibus servandam constituit:

Omnes et singuli Sacerdotes, tam Saeculares quam Regulares, ad Ecclesiam confluentes, vel ad Oratorium publicum, Missas quum Sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent Officio eiusdem Ecclesiae vel Oratorii conformes, sive illae in Romano, sive in Regularium Missali contineantur; exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis.

Si vero in dicta Ecclesia, vel Oratorio, Officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex Celebrantibus liberum sit Missam de requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria; iis tamen exceptis diebus, in quibus praefatas Missas Rubricae Missalis Romani, vel S. R. C. Decreta prohibent.

Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per me subscriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam eiusdem Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit; Rescripta seu Decreta, tum particularia tum etiam generalia,

in contrarium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando.

Die 9 mensis Decembris anno 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S. A. TRIPEPI *S. R. C. Secretarius.*

II.

LINGONEN.

R. D. Alph. Mart. Larne, Episcopus Lingonensis, humiliter petiit, ut S. R. C. sequentia dubia enodare dignaretur, nimirum:

Utrum officia votiva concurrentia cum aliquo festo primario eiusdem ritus: et, vice versa, an festum primarium concurrens cum officiis votivis, dimidient Vesperas?...

Et S. C., exquisito voto alterius ex Apostol. Caeremoniarum Magistris, reque mature perpensa, respondendum censuit: *Totum de festo primario cum commemoratione officii votivi.*

Ita rescripsit 23.° Aug. 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S. A. TRIPEPI *Secretarius.*

III.

DUBIUM.

A Sacra Rituum Congregatione expetitum fuit, utrum Litaniae Ss. Cordis Iesu, quae per Decre-

tum *Pinerolien.*, quod circumfertur, quamvis a Sancta Sede approbatae non fuerint, permissae dicuntur, saltem extra functiones stricte liturgicas, recitari aut cantari possint in Ecclesiis vel Oratoriis publicis?

Eadem vero Sacra Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, respondendum censuit: « *Negative; et cuilibet Decreto contrario derogatum esse per subsequens Generale Decretum, datum die 6 Martii 1894, quo prohibentur Litaniae quaecumque, nisi exstent in Breviario aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani, ab Apostolica Sede approbatis* ». Atque ita servari mandavit. Die 28 Novembris 1895.

CAI. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praef.

L. ✠ S. A. Tripepi *S. R. C. Secretarius.*

GRAVIORA MONITA

I. In quadam Ephemeride gallica legitur, Sacerdotem posse pro sua privata devotione sacrum Tabernaculum aperire, pro Sacramenti adoratione, preces ad libitum fundere, ac deinde illud claudere. Idque dicitur legitime inferri a quibusdam S. R. Congñis Decretis. Nomine et auctoritate Sacri Tribunalis Rituum, omnes lectores nostros certiores facimus, quod Ephemeris gallica vulgavit, esse *simpliciter* falsum, et illationem esse prorsus *illegitimam.* Expositio privata differt a solemni, quod illa fit cum pyxide, ista

cum Ostensorio; sed utraque instituta est ad bonum publicum, nullo pacto privatae personae.

II. In alia legitur, Communionem fidelibus non posse impertiri sine gravissima causa, neque immediate ante, neque immediate post Missam; et adducitur ad rem recentius quoddam S. R. Congregationis Decretum. Eodem nomine eademque auctoritate declaramus, et *simpliciter* falsum quod asseritur, et apocryphum, si extet, Decretum, quod in genere nominatur, sed non affertur. Ad rem valeat sequens declaratio nobis data d. 28 Novembris 1895:

Nullum extat decretum S. R. Congregationis quod prohibeat Communionem fidelium ante vel post missam; et tum Director *Ephemeridum liturgicarum* **tum Director** *Analect. Ecclesiastic.* **curent, ut huiusmodi resolutio lectoribus innotescat.**

PHILIPPUS DI FAVA *Substitutus S. R. C.*

Communio fidelium immediate post Missam permittitur ex Ritualis Rubrica, uti Sacerdotes norunt; *ex rationabili* quidem *causa*, ait Rituale, sed haec, temporum nostrorum conditione perpensa, facile adest, semperque generaliter adesse censendum est, quando communio petitur. Posse etiam immediate ante Missam communionem distribui indubium est, eadem ut supra extante causa, eodemque, ut diximus, modo intellecta, quamvis Rituale de hoc sileat. Ita fert communis et laudabilis praxis Urbis: hic est Ecclesiae sensus: hoc omnino tenendum, atque ita se gerendum.

III. Nomine tandem et auctoritate eiusdem S. R. Congñis, omnium in memoriam redigimus, Reliquias quascumque et Corpora Beatorum non

posse in publicis supplicationibus deferri, uti deferri possunt Reliquiae et Corpora Sanctorum.

Haec prohibitio sua gravitate pollet, legemque infringere, toties per Decreta seu particularia, seu generalia et a Summis Pontificibus confirmata, nemini licet.

ARCHAEOLOGIA SACRA

VIII. — De templis divo Andreae Ap. Romae dicatis deque eiusdem capite illuc invecto.

Dignus sane erat divus Andreas Apostolus ut illic maxima coleretur religione, ubi frater suus prima iecit fidei fundamenta martyriumque ad eam confirmandam consummavit. Siquidem, iam a saeculo quinto, publica illi memoria in Exquiliis dicata est; nam S. Simplicius Pontifex prope S. Mariam ad Praesepe, anno 468-483, *dedicavit basilicam beati Apostoli Andreae iuxta basilicam S. Mariae* (Lib. Pont). Eam Iunius Bassus ad civiles conventus habendos iamdiu magnifice extruxerat ac dedicaverat initio saeculi quarti hac adiecta inscriptione (1):

IVNIVS BASSVS V. C. CONSVL ORDINARIVS
PROPRIA IMPENSA A SOLO FECIT
ET DEDICAVIT FELICITER.

Basilica digna equidem consulis magnificentia, qui illam politis marmoribus ac musivo decoraverat, nec non eo

---

(1) Ex Cod. Communitatis Senarum signato K. X. 135.

opere, quod sectile marmoreum vocant, una cum vestibulo ac abside opere pariter vermiculato exornatis (1). Cum haec basilica obtigisset Valilae ex Gothorum gente, magistro in Italia utriusque militiae, eam, utpote catholicam religionem profitens, hortatu Simplicii Papae ad catholicum ritum destinavit, praediis eidem attributis (2). Pontifex vero absidem christiano opere vermiculato exornavit ac basilicam ipsam cultui addixit (3) sub nomine divi Andreae, quae ratione donationis in *Catabarbara Patricia* appellata est (4). In abside Simplicius hos versus inscripsit:

HAEC · TIBI · MENS · VALILAE · DECREVIT · PRAEDIA · CHRISTE
CVI · TESTATOR · OPES · DETVLIT · IPSE · SVAS

---

(1) Extabat ubi nunc monasterium S. Antonii, prope S. Mariam Maiorem. Modo vix nudi parietes cernuntur, cum musivi operis lapilli ad potus medicinales conficiendos, saeculo XVI, ex parte teriti sint!!! Eam ac opus sectile iniuria temporum partim deiecit. De ipsa loquuntur Ciampini *Vet. Mon.* Tom. I. Tab. I, Platina *in vit. Simplicii*, Ciaconius, Ugonius, Severanus, *Mem. sac. delle sette chiese*, De Rossi *Boll. d'arch.* anno 1881, aliique. Sangallus vero in Cod. membran. Barberiniano parietem basilicae calamo delineavit.

(2) Idem Valila, precibus etiam Simplici patria tiburtini, Tybure ecclesiam S. Mariae in Cornuta aedificavit, quam praediis ac sacra suppellectili ditavit, anno 471. Charta donationis huius adhuc extat in Archivio Vaticano, nunc in Regesto Tiburtino typis edita, in qua dona ac vela multa adnumerantur, ex quibus patefit usus sacrae antiquae lithurgiae.

(3) Etiam ex dispositione Simplicii, qui nil de basilica eiusque ornatu, ex parte ethnico, immutavit, eorum excidit accusatio, qui aiunt deorum templa inconsulto a Romanis Pontificibus eversa fuisse, artibus despectis.

(4) Valila origine *barbarus*, postea *patricius* romanus effectus est, *Flavio* praenomine assumpto; unde Flavius, Valila, Theodorius vocatus est: postremum nomen probabiliter in baptismate accepit.

SIMPLICIVS · QVE (QVAE) · PAPA · SACRIS · COELESTIBVS · APTANS
EFFECIT · VERE · MVNERIS · ESSE · TVI
ET · QVOD · APOSTOLICI · DEESSENT · LIMINA · VOBIS
MARTYRIS · ANDREAE · NOMINA · COMPOSVIT
VTITVR · HAEC · HAERES · TITVLIS · ECCLESIA · IVSTIS
SVCCEDENSQVE · DOMO · MYSTICA · IVRA · LOCAT
PLEBS · DEVOTA · VENI · PERQVE · HAEC · COMMERTIA · DISCE
TERRENO · CENSV · REGNA · SVPERNA · PETI.

Tectum huius basilicae Leo III reparavit (anno 795-816): Gregorius vero Magnus *in basilica S. Andreae post Praesepe* unam ex homeliis populo romano habuit. Haec ecclesia prima censetur quae Romae divo Andreae Apostolo nuncupata est.

Oratorium perpulchrum seu basilica in templo Vaticana Apostolo ipsi Symmacus Papa dicavit, uti legitur in Libro Pontificali, scilicet. *Hic fecit basilicam S. Andreae Ap. apud beatum Petrum, ubi fecit ciborium ex argento et confessionem pens. lib. centum et viginti, arcus argenteos tres pens. singulos lib. sexaginta.* De ea fit mentio in ipso Libro cum de Honorio I loquitur et alibi. Proxima erat similisque formae oratorio seu templo rotundo quod *musileos* (mausoleum) appellatum est, postea basilica S. Petronillae, qua plures e christianis imperatoribus tumulati iacebant.

Alia ecclesia percelebris divi Andreae, caenobio illustri iuncta, ea est quam S. Gregorius Magnus e gente Aniciorum nobilissima in domo paterna ad Clivum Scauri, prope Septizonium Severi, a solo aedificavit (1). In ipso monasterio, ex quo viri celeberrimi prodiere, Gregorius vitam monasticam professus est, uti ex eius epistulis constat. Ecclesiam Gregorius huius nominis secundus renovavit, quam

(1) Septizonium a septem zonis seu ordinibus columnarum sic dictum: tempore Sixti V solo aequatum est, cum iam temporum ac bellorom iniuria fere esset deiectum.

deinceps a SS. Andrea et Gregorio (I) appellatam novimus (1): ea, anno 1633, omnino a solo restituta est cum atrio, in quo veteris templi quaedam monumenta conspiciuntur.

Ecclesiam item S. Andreae invenimus aedificatam ad Lateranum ab Honorio I (anno 625-640), cui iunctum erat coenobium, quod Hadrianus I restituit ac monacis divi Benedicti attribuit.

Liber censuum ecclesiae romanae, quem Cencius Camerarius, postea Honorius III (Savelli) confecit, meminit has ecclesias: S. Andreae *de Columna*, S. Andreae *de Caballo*, seu de equo marmoreo (2) in colle Quirinali (In eius locum exaedificatum est perpulchrum templum ipsi Apostolo, iuxta formam quam Laurentius Berninius exhibuit) (3), S. Andreae *de Ursa* in regione Columnae, S. Andreae *de Mortariis*. Ecclesia S. Andreae *infra Hortos* sita erat ad radices collis Pincii, ubi iamdiu horti extendebantur. Inibi modo satis amplum assurgit templum ipsius Apostoli *de Fractis* (delle Fratte) nuncupatum, in quo, per apparitionem Virginis Immaculatae, ad fidem catholicam conversus est Iudaeus Ratisbonne. Magnum insuper templum ipsi aedificatum est in loco qui *Della Valle* dicitur, quod a Cardinali Iesualdo, anno 1591 coeptum, a Cardinali Alexandro Peretti, Sixti V nepote, ampliori ac meliori forma absolutum est. Ecclesia S. Andreae *de Biberatica* iuxta templum SS. XII Apostolorum extabat, in ea scilicet regione, quae medio aevo nomine Biberaticae nota erat. Eam Leo III donis ditavit, cui monasterium sub nomine divi Andreae iungebatur.

(1) Ecclesia cum coenobio multa damna passa est, cum Robertus Guiscardus regionem caelimontanam incendio vastavit.

(2) Duo equi marmorei maximi, e proximis Constantinianis thermis eruti, modo in platea Quirinali admirantur.

(3) Hic requiescit corpus S. Stanislai Kostkae e S. I.

Alia insuper ecclesia prope templum S. Petri in Vinculis aedificata est, ac proinde *ad Vincula* seu *de Eudoxia* appellata, aliisque vulgo nominibus.

Praeter templa haec, quae quatuordecim sunt, alia undecim invenimus in Urbe, modo fere omnia deleta. Ex quibus arguere licet quanta veneratione Apostolus Andreas, frater Petri, apud Romanam Ecclesiam sit prosequutus.

Nec tempore desiit unquam Romanorum religio erga B. Apostolum, sed percrebuit admodum, saeculo XV, cum Romam ex Achaia caput eius sacratissimum translatum est. Scimus ab Apostolo evangelium nunciatum fuisse, praeterquam Scythis, uti refert Origines (1), et Sogdianis ac Saccis, uti tradit Sophronius (2), nec non Graecis, iuxta Theodoretum, etiam praesertim populis Achaiae ex testimonio divi Hieronymi (Ep. 148), qua in regione, seu Patris, iussu Egeae Proconsulis in crucem decussatam, seu ad formam latinae litterae X, iuxta traditionem, actus est. Unde divus Paulinus Nolanus Episcopus ait (3).

Hic pater Andreas, hic qui piscator ad Argos
Missus vaniloquas docuit mutescere linguas.

Et alibi (4);

Sic Deus et reliquis tribuens pia munera terris,
Sparsit ubique loci magnas sua membra per urbes;
Sic dedit Andream Patris, Ephesoque Ioannem.

De corpore Apostoli divus Hieronymus sic refert adversus Vigilantium (Tom. I. c. II): *Constantinus imperator*

---

(1) Apud Eusebium. *Hist. Eccl.*, Lib. III. c. I.
(2) Apud Hieron. *De scrip. eccl.*, Tom. I.
(3) Tom. VI. Carm. 24 in Bibl. patrum.
(4) Ibid. Carm. 26.

sanctas reliquias Andreae, Lucae et Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas daemones rugiunt et inhabitatores Vigilantii illorum se sentire praesentiam confitentur. Quas reliquias, cum huic ecclesiae rapuisset Cardinalis Capuanus, in Urbem Amalphitanam, anno 1207, transtulit. Caput vero, saeculo XV vertente, adhuc in urbe Patrarum summa religione colebatur, quod tandem Romam missum est ne a Turcarum impietate ac feritate violaretur (1). Nam Constantinopoli capta a Mahometo huius nominis secundo, die 29 Mai anni 1453, ac Constantino Paleologo imperatore, in urbis excidio, dum dimicaret, extincto, fratres eius Demetrius et Thomas ac christiani universi magno terrore perterriti sunt. Demetrius tamen natu maior, impius, ad Turcas postea defecit. Thomas vero in insulam Sanctae Maurae secessit, quae est contra Epirum, secum ferens caput divi Andreae ut ibi tuto posset servari. Sed Turcarum periculo ingravescente, Thomam hortatus est Pius Papa II, e familia Senarum Piccolominea, ut sibi sacratissimum pignus mitteretur. Annuit petitioni Pontificis Princeps Thomas (quamvis, ut illud obtinerent, magnum auri pondus alii christiani Principes huic obtulissent); imo et spopondit se Anconam usque cum sacro vertice venturum.

Igitur, quamvis validissimae exortae fuissent tempestates in Adriatico mari, tamen Thomas incolumis Anconae Doricae appulit, caputque legatis Pontificis tradidit, qui ad Narniae arcem religiosa, qua decebat, pietate detulerunt, ubi aliquandiu servatum est. Romanis vero finibus pacatis, ubi bellum saevierat, Pius Pontifex tres Cardinales Narniam misit, quorum primus Cardinalis Bessarion, Graecus,

---

(1) Gregorius Magnus etiam Romam secum detulit Constantinopoli *brachium B. Andreae* et B. Lucae, cum ibi apocrisiarii munere functus esset, antequam Pontifex renunciaretur : illud in Oratorio eiusdem Apostoli ad Basilicam Vaticanam recondidit.

Episcopus Tusculanus, maximi ingenii ac sapientiae vir, qui sacrum caput Romam deferrent (1). Ii ad pontem Milvium (ponte Molle) prope Romam extra portam Populi pervenerunt, die decima Aprilis, quae fuit Dominica Palmarum. anni 1462, ubi in arce ad introitum pontis supra Tiberim caput servatum est usque in crastinum, duobus archiepiscopis noctu excubias agentibus.

Interim, tunc temporis, maxima aeris tempestate exorta, nubilus auster assiduas aquas fudit, ita ut de solemnitate perficienda dubitaretur. Attamen relatum est, ut verbis utar ethnici poetae (2), insequenti die

Numine coelesti solem fulsisse serenum
Cum populi vultu conveniente die.

Sane insignis ac permagna solemnitas, in qua multa hominum centena millia Romae reperta sunt; nam omnibus Italiae populis exterisque nunciaverat Pontifex, quod si ad diem festum hunc venissent, eis vere contritis remissione peccatorum indulgeretur. In crastinum igitur optata solemnia acta sunt. Ex Ecclesia S. Mariae de Populo Romani proceres, clerus universus ac populus innumerus ad pontem Milvium per viam Flaminiam una cum Pontifice processerunt. Postquam Pius suggestum ascenditsse, preciosis velis ornatum, ubi caput divi Andreae pernobili thecae inclusum venerationi erat expositum, collacrimans ac venerabundus, illo religiose deosculato, hanc dixit orationem.

— « Advenisti tandem, sacratissimum et adoratissimum S. Apostoli caput! Turcarum tua te sede furor expulsit. Ad fratrem tuum Apostolorum Principem cunfugisti exulans.

(1) Quiescit Card. Bessarion tumulatus in atrio coenobii fratrum S. Francisci ad Basilicam SS. XII Apostolorum, Romae.

(2) Ovidius. *Epist. ex Ponto*, Lib. II. Ep. I.

Non deerit germanus tuus; tibi cum gloria, volente Domino, licebit aliquando dicere: O felix exilium, quod tale reperit auxilium! Interea temporis cum tuo germano moraberis, et honore pari cum eo potieris. Haec est alma Roma, quam prope cernis, pretioso tui germani sanguine dedicata. Hanc plebem, quae circum adstat, B. Apostolus frater tuus pientissimus, et cum eo vas electionis S. Paulus Christo Domino regeneravit. Nepotes tui ex fratre Romani sunt. Omnes te veluti patruum patremque suum venerantur, colunt, observant, et tuo se uti patrocinio in conspectu magni Dei non dubitant. O beatissime Apostole, praedicator veritatis et assertor Trinitatis eximiae, quanto nos hodie gaudio reples, dum verticem tuum hunc sacrum et venerandum coram adspicimus, qui dignus fuit in quo visibiliter sub specie ignis in die Pentecostes sanctus resideret Paracletus. O vos qui Hierosolimam petitis ob Salvatoris reverentiam, visuri locum ubi steterunt pedes eius, ecce sedes Spiritus Sancti, hic consedit Spiritus Domini, hic tertia in Trinitate persona visa est; hic oculi fuerunt qui saepe Dominum in carne viderunt, hoc os saepe Christum est allocutum. Has genas non est dubium quin saepe Iesus fuerit osculatus. En magnum sacrarium, en charitas, en pietas, en animae dulcedo, en consolatio spiritus. Ecquis est cuius viscera non commoveantur? Cuius non ardeant intima cordis? Cuius non exeant prae laetitia lacrymae in conspectu tam venerabilium et praetiosarum Apostoli Christi reliquiarum? Gaudemus adventu tuo, divinissime Apostole Andrea, neque enim dubitamus quin tui carnalis capitis comes adsis, et cum eo ingrediaris urbem. Odimus Turcos christianae religionis hostes; in hoc non odimus, quod tui adventus causa fuerunt. Nam quid nobis optatius contingere potuit quam tuum hoc honoratissimum caput et eius fragrantissimo perfundi odore? Id molestum est quod adventanti tibi non eos honores impendimus, quos mereris, nec te posu-

mus pro tua excellenti sanctimonia digne suscipere; sed accipe voluntatem nostram et mentem non fictam, atque aequo animo patere quod pollutis manibus tua contrectemus ossa, et te peccatores intra moenia comitentur Urbis. Ingredere sanctam civitatem et esto propitius romano populo. Sit omnibus christianis salutaris tuus adventus, sit pacificus ingressus tuus, sit felix faustaque tua nobiscum mora. Esto nòster advocatus in coelo, et una cum BB. Apostolis Petro et Paulo conserva hanc urbem et universo populo christiano pie consule, ut vestris patrociniis fiat misericordia Dei super nos, et si qua est eius indignatio propter peccata nostra, quae multa sunt, transeat ad impios Turcos et ad nationes barbaras, quae Christum Dominum inhonorant. Amen ». —

His auditis verbis, adfuit nemo qui non fuerit ad lacrymas usque commotus. Cum vero circumstanti populo Pontifex ostendisset caput, magni undequaque clamores ad Tiberis ripas sonuerunt, misericordiam a Deo ac victoriam contra Turcos per intercessionem divi Andreae expostulantes. Interim magna cum laetitia, cum canticis ac ramis palmarum sacrum pignus ad ecclesiam, quam supra memoravimus, S. Mariae de Populo delatum est, ut die sequenti, feria tertia scilicet maioris hebdomadae, ad Vaticanam Basilicam fieret translatio solemnis (die 12 Aprilis)

Sed sub vesperam, coelo iterum nubibus obducto, imber maximus decidit: aurora tamen diei, qui sequutus est, rosea ac splendidior apparuit ut solemnitatem redderet laetiorem iucundamque Romam, quae laetitia gestiens fratrem magni Parentis intra moenia excipere festinabat. Itaque omnia ad festivitatem parata: viae ac plateae arcubus, floribus ramisque arborum viridantibus exornatae, nec non velis sericis pictisque e fenestris pendentibus ac peristylis: per trivia altaria passim et odor incensi et thimiamata; passim pictae tabulae, egregiaeque statuae; saxaque iactatis erubuere rosis.

Item alii dulciter canebant, alii psallebant organis, nullum musicae artis instrumentum non audiebatur, laus Apostoli aethera implebat. Agapitus, Anconitanus Episcopus, clarus sui temporis poeta, hymnum elegantiorem canendum composuerat, quem ultimo loco ponimus. Hoc itaque apparatu piscator animarum Andreas fratrem suum, magnum item Romanorum piscatorem, in sua aede salutaturus properabat.

Permagnus tunc etiam comitantium numerus! Iam ad Vaticanum primi ordines pervenerant, et novissimi nondum templum S. Mariae de Populo reliquerant: nullus de clero defuit, nullus de populo; principes romani, regum legati, Ecclesiae romanae proceres aderant omnes; plurimi ramos palmarum ferebant vel accensas faces, quae supra triginta millia numeratae sunt. Omnes, ipseque Pontifex qui caput ferebat, longum iter pedibus perfecerunt. Statim ac Pius ante basilicam divi Petri apparuit, iterum rumor populi magnus, per aera volitans, factus est, veluti sonitus aquarum multarum aut aequoris undarum in tempestate luctantium, qui clamore valido et lacrymis protectionem Apostoli Andreae eiusque adversus Turcas auxilium efflagitabat. Cum Pontifex Templum Vaticanum ingressus esset, capite supra aram maximam Principis Apostolorum deposito, Cardinalis Bessarion orationem habuit, qua huic celeberrimae translationi finem fecit, dignae equidem Pontificalis domus ac Romae, veteribusque Romanorum triumphis aequiparandae. Nunquam forsitan tot hominum centena millia Romam confluxere, quae vix locum habuit hospitiis.

Ad suum in divum Andream amorem adiecit Pius magnificentiam: voluit enim ut sacellum nobilissimum construeretur quod venerabilem verticem honorifice custodiret (1).

(1) Ad perennem translationis memoriam exaedificari iussit Oratorium pulchrae architecturae ad pontem Milvium, in loco quo, primum, caput sacratissimum depositum est, indulsitque illud vi-

Qua de re in necrologio antiquo Basilicae Vaticanae legimus quae sequuntur (1).

Quarta decima die Augusti MCCCCLXIV, obiit Pius Papa II patria Senensis, familia Piccolominea, qui, singulari devotione huic sacratissimae Basilicae affectus, corpus templi totum expolivit, sepulcra veterum Pontificum, mediana in aede perturbate posita, in ordinem redacta parieti coaptavit. Capellam in angulo templi divo Andreae Ap. Germano Petri aedificavit, ciborium marmoreum (2) *auro distinctum altari superne construxit, ubi caput Apostoli ipsius ex Graecia in Italiam a Despota Peloponnesi translatum, argento, auro, gemmisque ornatum collocavit; populo bis quotannis ut ostenderetur instituit, dominica III Iunii et prid. Kal. Decembris* (3); *singulo quoque illius festo, his qui locum more ecclesiae frequentarent decennis veniam indulsit. In altari, cui ciborium imminet, cineres sanctissimi doctoris Gregorii ex alio inexcultiore loco translatos reposuit, reponendis ipse interfuit. Podium Donadei oppidum Sabinorum huic ecclesiae dono dedit.*

---

sitantibus, feria secunda Maioris Hebdomadae, plenariam indulgentiam, uti ex lapide inibi affixo constat, quam Pius V confirmavit. Pius autem VII, cum pontem refecisset, etiam Oratorium instauravit, opera architecti Valadier.

(1) Arch. Basil. Vatic. Cod. H. 11 p. 72. — V. etiam Cod. Barberin. XXXIII. 144 p. 161, et XXXIV 49, p. 50.

(2) Vide huius ciborii seu tabernaculi typum una cum Apostoli signo apud Ciampinum. *De sac. aedif. a Const. M. extruc.* et in Arch. Bas. Vatic. Cod. H. 11. p. 73.

(3) Ex censuale anni 1464, olim in archivio Castri S. Angeli, haec eruitur particula: *Estructo iam ciborio, Pius II. Pont. Max. Dominica III Iunii eiusdem anni, quae fuit die XV, in eo solemniter reposuit S. Apostoli caput, et in altari, cui ciborium imminet, corpus eximii doctoris Gregorii recondidit. Hanc sacri verticis repositionem Dominica III Iunii cuiuslibet anni Vaticana ipsa basilica celebrat:* Cod. Barberin. XXXIV. 49, p. 50.

Sacrum Apostoli caput in basilica veteri Vaticana custoditum remansit usque dum, hac deiecta, in novam inlatum est ac repositum intus cappellam magnae pilae quae tholum sustinet, sinistrorsum ingredientium. In ipsius pilae loculamento magnum divi Andreae signum, cruxi decussatae affixum, ab artifice Duquesnoy affabre sculptum, extollitur (1).

Equidem fatendum est nullum aptiorem ac digniorem locum inventum esse, quo capitis perinsignes reliquiae servarentur, quam Vaticanam Basilicam, quippe quae fratri Andreae Apostolorum Principi ac Romae Parenti optimo fuit dicata. Sic una aedes duorum fratrum ossa servat, quos unum fraternum vinculum iunxit (2).

Nunc hymnum, metro sapphico ab Episcopo Anconitano compositum, quod in solemnitate decantatum est, subiicimus:

HYMNUS.

Primus hic Iesum sequitur vocantem,
Et crucem primus similem subivit,
Martyr Argivis veneratur oris
Omne per aevum.

---

(1) Die 10 Martii anni 1848, magna affecti sunt tristitia Romani, eo quod sciverint de Vaticana Basilica thecam cum capite S. Andreae furtim raptam fuisse. Sed, Deo disponente, die 1 Aprilis, illud intactum ac sua custodia inclusum in dicta Basilica inventum est; quod cum veneratus esset Pius IX in palatio Apostolico Quirinali, solemni pompa iterum in Vaticanum templum transtulit.

(2) Plura de hac translatione invenies apud Gobellinum Comment. Pii II. Lib. VIII.

Hinc Pius, Graios populante Turca,
Praeda ne fiat canibus cruentibus,
Tollit, et sancta profugum secundus
Excipit Urbe.

Seque cum sacro comitem senatu
Obviam praebet, redolente Roma
Floribus festis, resonante clero
Cantica laudum.

Sacra fert dextra nitidus sacerdos,
Splendidi carmen referunt Quirites,
Almae sis nostrae columen, precamur,
Et pater Urbis.

O pugil sanctae fidei supremus,
Primus agnoscens Dominum vocantem,
Primus et letho simili triumphans,
Protege Romam.

Fac diem faustum, Deus alme, nobis,
Fulmen in Turcas acuens trisulcum,
Audit Andreas populum precantem,
Talia reddens.

Te precor, coeli sator atque terrae,
Tolle iam clades scelerumque poenas,
Et, tui tandem populi misertus,
Contere Turcas.

Hoc Pius pastor meritique tanti
Pronus exorat; miserere fessis,
Da manum mundo prope iam labenti,
Maxime rector.

Hoc duces Urbis Petrus atque Paulus
Supplices poscunt pariterque Roma,
His velut nitens geminis columnis
Strata precatur.

Da Pio vitam, rogitamus omnes;
Solus in Turcas animo perenni
Ausus Alpinos superare montes,
Arma vocavit.

Et caput praebet proprium libenter,
Nomen ut Christi veneretur orbis,
Et viam nostrae videat salutis
Perfidus hostis.

IOSEPH Sac. CASCIOLI.

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

XII.

DE CALENDARIO ROMANO A S. SEDE CUIDAM SOCIETATI RELIGIOSAE INDULTO

Societas quaedam religiosa, uniformitatis ergo in officii recitatione, petiit obtinuitque indultum a Sancta Sede, ut *integrae Societatis alumni,* ad Horas Canonicas obligati, *ubique terrarum et gentium diffusi, Calendario Cleri saecularis Urbis in omnibus se omnino conformarent*, propriis quibusdam festis exceptis, nonnullisque aliis locorum propriis, ubi degunt. Aliquibus autem abhinc annis dubium exortum est, num iidem alumni tenerentur ad mutationes, quae post acceptum

indultum in Calendario Cleri romani inducuntur, uti ad nova, quae in illo inseruntur, officia, ad ritum festorum, qui aliquando elevatur, etc. Praeterea putant aliqui, ad nonnulla festa Urbis omnino propria teneri quidem praefatos alumnos, non vero ad ritum, sub quo illa Clerus Romanus recolit: ex. gr. tenentur ad festum S. Philippi Neri, sed sub ritu duplici minori: tenentur ad festum S. Catharinae Senensis, sed sub eodem duplici minori ritu, quamvis pro Clero Urbis sint duplicia 2. classis. Quod alii tamen negant, sustinentes praedictos alumnos Calendario Urbis addictos, ad idem sequendum in omnibus teneri, cum in lege non habeatur distinctio. Quaeritur:

1. *Qualenam Calendarium sequi Regulares generaliter debeant, ad quae festa localia teneantur, et quibus de causis?*

2. *Si cuidam Societati indultum fuerit, ut particulare aliquod Calendarium sequatur, quo sensu intelligenda concessio?*

3. *Quinam ex diverse opinantibus, ut in casu exponitur, Indultum apprime interpretetur?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Josephi Duyer Pontif. Collegii Urbani de Propaganda Fide, habita in Ecclesia Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 11 Jul. 1894: acta Epitoma a Rmo Dom. Chalcedonio Mancini Academiae Moderatore.

I. Quaeritur qualenam Calendarium sequi Regulares generaliter debeant, ad quae festa localia teneantur, et quibus de causis?

Calendarium Romanum, ait cl. Gardellini, universale est, et ad totum catholicum orbem

extenditur. Quapropter Calendaria particularia Dioecesum, Ecclesiarum, ac Ordinum Regularium in eo tantum differunt ab illo, quia retentis Officiis, quae omnibus praeceptive communia sunt, alia his adduntur, quae peculiariter pertinent ad Dioeceses, Ecclesias, seu Religiones, uti sunt Titularis, Patroni principalis, Dedicationis, et alia quae forte locum habent, vel ratione Corporum et Reliquiarum insignium, vel ex concessione Apostolica. Quando dicitur *Calendarium Romanum*, illud intelligitur, quod initio Breviarii Romani prostat, non vero quod Clerus Urbis annuatim sequitur, in quo Officia peculiariter concessa eidem Clero, vel Statui Ecclesiastico, vel Italiae reperiuntur, pluraque ritu potiori praedita, vel octavis aucta. Ex his consequitur Calendarium proprium illud appellari, quod officia exhibet universo orbi concessa, additis peculiaribus illius coetus ad quem pertinet. Regulares igitur tali Calendario, Apostolica Sede probante, uti debent. Sin autem proprium habeant, uti debent Calendario Dioeceseos in qua morantur, additis officiis peculiariter concessis Regularibus Dioeceseos eiusdem *(S. R. C. 22 Iul. 1848)*.

Iuvet hic meminisse SS. D. N. Leonem Pp. XIII. in audientia Superioribus Generalibus Ordinis Seraphici concessa, die 7 Iul. 1883, declarasse, adhuc post novam Tertii Ordinis reformationem, Tertiarios Saeculares, etiam Parochos, sed Choro nullimode obligatos, posse, quacunque die ac pro lubito suo, se conformare Calendario Fratrum Minorum, iuxta privilegium Sa: Me: Pii Papae IX. Si quis Regularis ad Episcopatum promoveatur, ad Calendarium suae Dioecesis tenetur, relicto *Officio*

suae Regulae (S. R. C. 8 Mart. 1631). Praeter officia Ordini indulta, respectu propriae Ecclesiae, Regulares adiguntur: ad officia Titularis et Dedicationis, nec non alicuius Sancti ratione Corporis seu Reliquiae. Respectu loci in quo morantur: ad officia Patroni principalis Regni vel Provinciae, Civitatis, Oppidi, vel Pagi iuxta Constitutionem Urbani VIII, et Titularis Ecclesiae Cathedralis sub ritu dupl. 1. cl. sed sine octava, sicut et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis in sola Civitate, sub ritu dupl. 2. cl. sine octava (*Parisien 16 Jun. 1708 ad 3*). Ad officia festorum Dioecesis de praecepto quoad forum, sine distinctione tenentur: cum distinctione vero quoad officia ad petitionem Regum et Principum concessa, cum expressa mentione Cleri Saecularis et Regularis, quoad officia certis Dominiis indulta sine illa Cleri qualitatis mentione, quoad officia utrique Clero alicuius Dioecesis indulta. Distinctio autem est: si aliquando fuerint ab ipsis Regularibus acceptata *(S. R. C. 28 Aprilis 1866)*. Cl. Cavalieri aequiparat Officiis festorum de praecepto ea, quae « sunt in loco celebriora admodum et solemniora, ac universali populi devotione non minus, si non magis, saltem celebrata, ut sic nihil sit quod celebritatem minuat *(T. I. c. III.)* ». De Patronis autem minus principalibus, quamvis non teneantur, dici posset cum Gavanto: « laudabile est si recitent in gratiam populorum »; eo vel magis quia etiam Patroni minus principales sunt vere Patroni omnium existentium in loco, ut notat Guyetus. Quidquid nihilominus sit de hoc Gavanti sentiendi modo, opposita sententia magis consona est Decretis et rationi. Namque Decretum in una *Ord. Min. de*

Obser. d. d. 20 Mart. 1683 ad 1, prater officium Patroni praecipui loci, alia minus principalium non videtur recitanda concedere. Aliud autem eiusdem d. d. 10 Iul. 1687 ad 4 negat Regularibus facultatem agendi officium S. Margaritae, *cum non sit Patrona principalis.* Hinc cl. De Herdt concludit, dicens: « Certum videtur, quod Regulares de secundario loci Patrono officium recitare nequeant *(Pars 4, n. 233).* » Optima id ratio confirmat; etenim recitatio officiorum, quae locorum ubi morantur sunt propria, opponuntur uniformitati unius Calendarii, quod ut plurimum ubicumque degant sequi tenentur. Satis est ergo, ut de locorum officiis illa tantum celebrent, a quibus ex gravioribus momentis dispensari non possunt, et ad quae certa lege adiguntur, uti sunt Patroni principalis, Dedicationis et Tituli Ecclesiae Cathedralis; sed nimis est incommodum alia recolere ex duplici ratione opposita. Haec festa autem localia celebranda sunt a Regularibus diebus iisdem, quibus in loco recoluntur, sint etiam perpetuo translata.

Quibus porro de causis videamus, sic se gerere debeant Regulares. Prima ex eo repetenda est, quod quamvis Coetus regularis, generatim, privilegio gaudeat exemptionis ab Ordinarii iurisdictione, ideoque non teneatur communem cum Clero Dioecesis habere causam, tamen, ratione solemnitatis inspecta, sive scandali arcendi (festivitatibus non participando) seu mutui favoris exhibendi, aequum, iustumque existimatur locorum sequi mores. Altera ex causis, cur perstricta maneat supra descriptis limitationibus facultas recitandi particularium locorum officia, est in Re-

gularium favorem, ut liberas sedes habeant ad festa ordinis proprias celebrandas. His addere liceat rationem uniformitatis, quae dum ex una parte, nempe Religiosorum, vult omnes, variis etiam regionibus disseminatos alumnos, in una concordes esse lege supplicandi, ex altera, nempe Regionis quam inhabitant, vult ut, saltem in solemnioribus, discrimen abigatur: sunt enimvero loci incolae.

II. Si cuidam Societati indultum fuerit ut particulare aliquod Calendarium sequatur, quo sensu intelligenda concessio?

Agitur hic de privilegii interpretatione; nunc autem regula generalis haec est, ut privilegia tantum valeant quantum verba sonant sub quibus conceduntur; ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Si igitur cuidam Societati, tamquam proprium assignetur aliquod Calendarium particulare, eidem sunt addenda officia, quae in responsione ad I. descripta fuere, et nihil amplius quaerendum. At si ad particularia descendamus, complexa evadit quaestio. Omniane particularis Calendarii officia in genere et in specie sunt recipienda? eodem ritu? cum relativis octavis?.... Si verba declarativa in Indulto habeantur, quiescere dabitur, sin minus, ancipites haerere. Exemplum praebent Beatorum officia, quae permittuntur duntaxat alicui civitati, Dioecesi, etc. peculiari quadam de causa, quae forte non videtur sufficiens pro privilegiatis. Similiter, officium Votivum SS. Petri et Pauli Ap. Romae indultum, vice alterius de omnibus SS. Apostolis, feriis tertiis non impeditis, recitari ne poterit ab utentibus Calendario Urbis, tamen extra Urbem? Decretum circumfertur, quod dicitur a S. R. C.

d. d. 18 Aug. 1879, quamvis in authentica Collectione non insertum. Cum Provinciae Cincinnatensi in America indultum fuerit recitari posse divinum officium, iuxta Calendarium Cleri Romani proprium, Sacrae C. duo proposita fuere dubia, quorum alterum tenoris huius: « Utrum ulla nova festa particularia pro Clero Romano possint includi in memorato privilegio? »; et responsum fuit: « Standum semper verbis Indulti novae concessionis, ita ut officia *peculiariter* concessa Clero duntaxat Urbis, ab eodem Clero sint *tantum* celebranda ». Attamen pro officio Votivo SS. Ap. Petri et Pauli, sententia est in oppositum. Die enim 18 Maii 1889 statutum fuit verba Decreti U. et O. « *Per Apostolicas Litteras* » — *Romae vero de Sanctis Petro et Paulo* — eos etiam afficere, qui Calendario Cleri Romani utentes, extra degunt quidem, sed ad officium quod spectat, quid unum efficiunt cum Clero Romano. Quae sententia nos inducit in latiorem interpretationem etiam circa alia officia, beatorum non exclusis (1), sunt quippe digna notatu ea verba « quid unum efficiunt cum Clero Romano »; moraliter ergo illi pertinent. Unde non ambigimus etiam ritum, forte elatiorem, esse retinendum, v. gr. Romae SS. Vincentii et Anastasii, S. Philippi Nerii... etc. Quid demum de octavis?

---

(1) Favet Decr. in *Romana* 23 Iul. 1887, quo indulgetur « Clero Romano tam Saeculari quam Regulari, *aliisque Kalendario Romano utentibus* » Officium et Missa B. Victoris III. (nunc Sancti nuncupati), sic innuens quae sit mens S. Congregationis.

A specialissimo indulto abstrahentes (1) et iuri communi inhaerentes, dicimus Regulares non debere, nec posse octavas celebrare Patroni principalis, Titularis et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis; non enim eadem ratio militat, quam supra innuimus, de ritu forte elatiori; eo quippe in casu, nulla lex vetat ne festorum ritus elevetur, quacunque de causa, quoad hoc vero peculiaris lex prohibet ne dictae octavae celebrentur. Addas velim clerum etiam saecularem teneri ad octavam Patroni princ. proprii loci, si habeat, non alterius civitatis, sit quidem Episcopalis; nec extra civitatem, teneri ad octavam Dedicationis Ecclesiae cathedralis; multo minus ergo Regulares. Notandum tamen aequivalere, ut ita dicam, ritus elevationi privilegium, quo Roma donata fuit, commemorandi SS. Ap. Petrum et Paulum, quocumque festo occurrente singulis octavae diebus, haud enim datum fuit eo quod sint Urbis Patroni principales, sed quia illam *supra omnes mundi civitates tantopere nobilitaverunt, constituto ibi catholicae unitatis centro, supremoque et indefectibili veritatis magisterio*, quibus nimirum praecipue intendunt qui Calendarium Urbis sequi exoptant.

III. Quinam ex diverse opinantibus, ut in casu exponitur, Indultum apprime interpretetur?

Ex dictis facile eruitur. Indultum satis ampla latitudine gaudet, ait enim: *in omnibus... omnino...*;

---

(1) Clerici Regulares Infirmis Ministrantes nuper obtinuerunt uti posse ubique terrarum Kalendario Cleri Saecularis Urbis, haud exclusa octava Dedicationis Cathedralis Romanae.

postremi ergo recte interpretati sunt, exceptione facta pro octavis Dedicationis Archibasilicae Lateranensis et eiusdem Tituli principalis, nempe SS. Salvatoris. Insuper quoad dubium: *num iidem alumni teneantur ad mutationes, quae post acceptum indultum in Calendario Cleri Romani inducuntur, uti ad nova quae in illo inseruntur officia,* respondendum: « Quoad praefata officia, indultum recte extendi », uti asseritur resolutum Decreto superius citato, 18 Aug. 1879 ad 1.um Et quamvis dubitetur de genuinitate huius Decreti, optima ratio id expostularet; cum enim Indultum dicit conformari Calendario, intelligitur de Calendario perpetuo, ad quod efformandum, pariter ac vetera, concurrent nova officia vel aliae mutationes.

INDEX

CAPITUM ET ARTICULORUM CUIUSQUE MATERIAE

HUIUS IX. TOMI

Archaeologia Sacra.

I. De Sacra Lancea Domini N. I. C. . . . . . . *p.* 257
II. De Imaginibus B. Mariae Virg. in Coemeteriis . » 321
III. De aeneo Simulacro divi Petri Ap. in templo Vaticano . . . . » 387
IV. De Carminibus Damasi Papae ac de cryptis Martyrum ab eo exornatis » 457
V. De Vinculis B. Petri quae Romae asservantur. . » 513
VI. De funereis ritibus veterum Christianorum. . » 581
VII. De Veteri Basilica Vaticana . . . . » 641
VIII. De templis divo Andreae Ap. Romae dicatis, deque eiusdem capite illuc invecto . . . . » 711

Ad dubia Super Sacris Caeremoniis Responsa.

I. De loco Cruciferi in processionis reditu . . . » 61
II. De onere Diaconi officio fungendi . . . . . » ibi
III. De usu obscurae vestis in baptizando. . . . *p.* 62
IV. De cuiusdam incohaerentiae specie inter legem et legem . . . . . . » ibi
V. De manuum impositione in Extrema Unctione . » 63
VI. De Thure adolendo Sacramento ante et post expositionem. . . . . » ibi
VII. De adolescentium assistentia in Missis cantatis de Requie. . . . . » 110
VIII. De quibusdam caeremoniis specialibus in Matrimonii celebratione . » 111
IX. De Sequentia in Missis de Requie. . . . . » 114
X. De statuis in altari principe, aut Sacramenti . » ibi
XI. De solemni benedictione aquae in vigilia Epiphaniae ibi
XII. De Crucifero pergente ad coemeterium . . . » 115
XIII. De habitu illius qui praeest Matutinis Tenebrarum . . . . » ibi
XIV. De Genuflexione super ultimo gradu altaris vel in plano. . . . . . . » 178

XV. De Imaginum Sanctorum detectione sine thurificatione. . . . . . *p.* 179
XVI. De ordine thurificationis ad Vesperas. . . » ibi
XVII. De precibus a Leone P. XIII post Missam praescriptis . . . . » 180
XVIII. De quibusdam inclinationibus faciendis a Diacono et Subdiacono in Missa Solemni. . . . . . . » 182
XIX. De versibus et Orationibus post *Te Deum* . » 220
XX. De genuflexione Celebraturi in altari, ubi est Sacramentum ad Missam » 222
XXI. De eadem panni qualitate in dalmaticis et planeta . . . . » 224
XXII. De manibus extensis in Orationibus . . . » 225
XXIII. De Subdiacono deferente sandalia, qui velo humerali utitur . . . » ibi
XXIV. De Clerico cotta induto vices agente Familiaris Episcopi . . . . » 227
XXV. De Clero in chorum pergente aperto capite » 429
XXVI. De reverentia Cruci a Celebrante per breviorem eunte ad sedile, facienda in Missa cantata » 430
XXVII. De mutua salutatione in ingressu ad chorum » 433
XXVIII. De Ministrorum inclinatione Celebranti ante Sessionem . . . . . » 624
XXIX. De loco genuflexionis a Subdiacono faciendae ad *Pax Domini* . . . *p.* 626
XXX. De tono « Benedicamus Dno » in festo SS. Innocentium . . . . . » 627
XXXI. De osculo Ampullae omittendo in Missa de Requie . . . . » 628
XXXII. De responso « Laus tibi Christe » ad Evangelii lectionem non omittendo » 629

Decreta SS. Congregationum.

Ex S. Rituum Congregatione.

Granaten. De habitu Magistri Caeremoniarum ad Altare et de ordine recitandi aut concinendi lectiones ad Matutinum in choro . » 1
Decretum Generale Commemorationum in Vesperis » 65
Decretum Generale Octavarum in Quadragesima. » 66
Tridentina. De consecratione Ecclesiae . . . . . » 67
Decretum circa Litanias . » 68
Emendatio dierum inscriptarum pro quatuor ultimis enuntiatis decretis . . . 129
Ianuen. De indumentis canonicalibus . . . . . » 193
Romana. Dubia varia. . » 264
Adnotationes in Decretum Romana. . . . . . . » 267
Brugen. De Titulari Ecclesiae 271
Cadurcen. De Patroni vel Titularis festo . . . . » 272

Macaonen. Dubia varia . p. 327
Urgellen. De officio et missa defunctorum iuxta Rubricas et de festo S. Angeli Custodis in Hispania . » 331
Veliternen. De Genuflexione ad verba, Et incarnatus est ad Credo 400
Explanatio. . . . . . » 401
Parisien. Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Ludovicae de Marillac viduae Le Gras . . . . . » 447
Urbis et Orbis. De festo Annuntiationis B. M. V.. » 449
De luce electrica . . . » 450
Ordinis Capuccinorum Prov. Hollandicae. De Sanctis Sociis Patroni vel Titularis et de Dedicatione omnium Ecclesiarum . . . . » 451
Quaedam animadversiones super praefato decreto . » 453
Urbis et Orbis. De Missa votiva S. Ioseph in Dominica tertia Sacri Adventus huius anni . . . . » 577
S. Iacobi de Chile. De usu insignium Archiepiscopalium et Episcopalium . » 578
Adnotationes in praefatum decretum . . . . » 606
Urbis et Orbis. De Missa conformi officio Ecclesiae. » 706
Lingonen. De occursu festi primarii cum off. votivo. » 708
Dubium. Vetitum litaniar. in libr. liturgicis non extantium . . . . » ibi

Ex Sacra Congregatione Concilii.

Decretum circa Clericos et Sacerdotes saeculares alienae dioeceseos aut etiam Regulares extra claustra degentes, qui stabile domicilium in Urbe statuere volunt . . . . p. 190
Rhemen. Insignium Canonicalium . . . . . . » 251

Ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium.

S. Iosephi de Costarica. Remotionis suspensionis et refectionis damnorum. . » 244

Ex Sacra Romana et Universali Inquisitione.

Anticipationis vel dispensationis super lege ieiunii et abstinentiae concedendae Episcopis aliisque locorum Ordinariis . . . . . » 189
De Cultu B. Virginis Dei Genitricis Mariae sub titulo *Dominae Nostrae a Sacro Corde Iesu* et de quibusdam Eius imaginibus . » 509

Dissertatiuncula de Sacro Pallio.

Initium dissertationis. . » 567
Continuatio . . . . . » 634
Continuatio et finis. . . » 679

Dubiorum Liturgicorum Solutio Scientifica.

Ex Utino. De festo primario vel secundario S. Marinae Virg.. . . . . . . *p.* 53
E Pictavis. De Missis votivis quorumcumque Sanctorum . . . . » 54
Ex eodem loco. De modo separandi Matutinum a Laudibus in Nocte Natalis Dni, et in triduo mortis Christi ibi
E Civitate B. De Suffragio Titularis in Ecclesia privata . . . . » 55
E regione Belgica. De die 2.ª Nov. non impedita pro Missa votiva SS. Cordis Iesu . . . . » ibi
E Monte Pessulano. De Commemoratione communi SS. Salvatoris et SS. Cordis Iesu . . . . » 57
Ex eodem loco. De festo patronali et alia solemnitate translata . . . . . » 58
E Melita. De Missa Rogationum post processionem » 96
Ex Urbe. De Diacono vices Sacerdotis agente . . » ibi
E Tuscia. De die assignata officio, ob novum festum mutanda. . . . . . » 97
E Curenna. De praecedentia inter duo festa . . . » 99
E Senis in Tuscia. De qualitate cantus « *Ite missa est* » in festis solemnioribus, si doxologia hymnorum sit de Deipara. . *p.* 100
E Montepessulano. De praelatione in concursu festi Reliquiarum et alterius Sancti. . . . . » 101
Ex Hispania. De hymnis coniungendis vel non . . » 102
Ex eodem loco. De duobus festis eadem die in Martyrologio occurrentibus, quorum alterum primarium, alterum secundarium. . » 103
E Gallia. De festo semid. ad libitum simplificando aut penitus omittendo aut transferendo . . . . » 104
E Dioecesi Senonensi. De Dedic. Ecclesiae in honorem Sanctorum vel Beatorum, quorum cultus recognitus tantum fuit a S. R. C. 108
E Sabaudia. De templo aut altari diruto iterum instaurando, in honorem alicuius Beati. . . . . » 168
E Thuscia. De aqua benedicenda in Dominicis. . » 169
E dioecesi Senonensi. De die festo assignando pro B. Margarita Alacoque . . . » 172
E dioecesi Veronensi. De qualitate antiphonae canendae ingrediente processione Rogationum aliquam Ecclesiam . . . . » 173
Ex eodem loco. De nomine exprimendo ad litteram N. in oratione *A cunctis* . » 174

E Polonia. De candelis ex Stearina in Ecclesia . *p.* 174
E dioecesi Septempedana. De Missa in Anniv. Creationis et Coronationis Summi Pontificis. . . . . » 209
E Verona. De commem. festi occurrentis in Missa de Rogationibus . . . » 212
E Gallia. De festis Passionis D. N. in feria VI. Quadrag. recolendis, impedientibus Missam votivam SS. Cordis Iesu . . . . » 213
E Venetiis. De Alleluia in Versu Panem de caelo etc. 214
E Parisiis. De ordine Commemorationum in Dom. infra octavam Corporis Christi » 216
Ex eodem loco. De festis reponendis die propria vel assignata . . . . . » 218
E Curenna. De Oratione et precibus pro Romano Imperio omittendis. . . » 219
Ex eodem loco. De speciali Oratione pro Episcopo non addenda feria VI. in Parasceve . . . . » 220
E dioecesi Veronensi. De festis Titularis et SS. Cordis Iesu reponendis . . . » 310
E Scyllaceo in Calabria. De Missa SS. Cordis Iesu « Egredimini » retinenda . » 311
E Parisiis. De benedictione et processione candelarum et Missa, ubi Sacramentum solemniter est expositum 313
E dioecesi Uladislaviensi. De commemoratione Tituli in Suffragiis pro Seminariis *p.* 315
E Septentrionalibus. De caeremoniarum Magistro in Sacris non constituto . » 368
Ex Indiis orientalibus. De inclinatione capitis ad cantum «Gloria Patri» in solemniori Missa ex parte Celebrantis et Ministrorum » 372
E Curenna. De quadam inter duo festa occurrentia 373
Ex eodem loco. De iterando « Tantum ergo » post Vesp. de oct. Corporis Christi » 374
E Cuneo. De concursu inter diem octavam et duplex minus . . . . . . » 376
E Monte Cassino. De nomine defuncti exprimendo in Oratione « Inclina » ad Absolutionem. . . . . . » 379
E Senogallia. Super Missa de festo transferendo . » 381
Ex Austria. De Ecclesia non execrata, licet opere tectorio ex arte deleto ac renovato . . . . . . » 419
E provincia Leodiensi. De Dedic. omnium Ecclesiarum pro Regularibus . » 423
E Curenna. De duplici Alleluia ad « Benedicamus Dno » post Matutinum in Pascha . . . . . . » 424
E dioecesi Briocensi. De ordine Commemorationum in Vesperis . . . . . » 425

Ex eodem loco. De praecedentia inter festa Titularis et Patroni. . . . *p.* 427
E dioecesi Lavallensi. De pluvialistarum numero in festo Annuntiationis . . » 494
Ex eodem loco. De Missa exequiali in praedicto festo vetita . . . . » 495
E dioecesi Friburgensi. De sonitu Campanarum Ecclesiae in funere acatholicorum . . . . » 496
E Dioecesi Briocensi. De quodam Decreto super Titularium festis, in Decretorum collectione non inserto » 497
E Montepolitiano. De quadam Concurrentia in Calendarii specimine . . . . . » 498
E Castro Palatii Forosempron. Dioecesis. De extensione Patronatus Virginis Lauretanae. . . . . . » 499
E Curenna. De indulto Missae solemnis festi, alia die recolendi, non includente privatas. . . . . . . » 501
E Germania. De officio S. Mariae in Sabbato, praeceptivo vel non . . . . » 545
E Mandela. De nonnullis in baptismo conferendo mutandis . . . . » 615
Ex America. De bireto pro clericis in choro. . . » 616
Ex eodem loco. De Missa cantata de requie prohibita in octava Paschae . . . » 618
Ex eodem loco. De mera Cordis Iesu figura non exponenda in Ecclesiis . . *p.* 618
E Parisiis. De concursu inter Titulum Ecclesiae et Patronum Provinciae pro Regularibus . . . . . » 620
Ex eodem loco. De cantu vernacula lingua in populo ad processionem Corp. Christi 621
E dioecesi Briocensi. De decurtatis pro plicatis casulis in Adventu et Quadragesima . . . . » 622
E Neapoli. De officio assignato die 3 Februarii. » 689
E Sicilia. De vigiliis pro consecratione Ecclesiae . » 692
E regione belgica. De manente consecratione arae portatilis, fracto episcopali sigillo . . . . » 693
E dioecesi N. De cera quae Venetiana dicitur, et de illius colore . . . . » 695
Ex Hispania. De Anniversario defuncti Episcopi » 702

Expositio Novissima Rubricarum Breviarii Romani.

Continuatio Tit. VII. N. 3. De Octavis. . . . . » 4
Continuatio . . . . . . » 69
Titulus VIII. De officio S. Mariae in Sabbato . . . » 77
Titulus IX. De Commemorationibus . . . . . » 134
Continuatio . . . . . . » 297

Continuatio . . . . . *p.* 475
Titulus IX. N. 4. De Octavis 478

Institutiones Liturgicae.

Caput III. De exequiis
§ 2. De defunctorum officio, continuatio. . . . . » 12
§ 3. De Missa exequiali. » 13
§ 4. De absolutione super Cadavere . . . . . » 16
§ 5. De Sepultura . . . » 162
§ 6. De exequiis Parvulorum 165

Manuale Novissimum pro visitandis Ecclesiis a Vicariis Episcopalibus et Foraneis.

Caput XIV. De visitatione Altarium.
Continuatio . . . . . » 33
Continuatio . . . . . » 116
Continuatio . . . . . » 238
Cap. XV. De Visitatione Cappellarum . . . . . » 241
Continuatio . . . . . » 362
Continuatio . . . . . » 657

Quaestiones Academiae Liturgicae Romanae.

I. De festis primariis et secundarii. . . . . . » 20
II. Super Rubricis Breviarii Romani . . . . » 38
III. De concursu diei octavae cum festo SS. Vincentii et Anastasii . . . » 149
IV. De festorum Translatione 195
V. De Versiculis *Qui venturus es* et *Qui natus es* ad Primam. . . . . . *p.* 274
VI. De Commem. festi dupl. min. vel semid., potiori festo impediti . . . . » 344
VII. De quadam assignatione officii votivi ad libitum » 405
VIII. De festorum impeditorum repositione in sequenti anno . . . . » 480
IX. De occursu et concursu Dedicationis et Patroni » 529
X. De Translatione Indulgentiae festo adnexae . » 594
XI. De Verba distribuendi ratione in thure adolendo ad Missam. . . . . » 665
XII. De extensione obligationis ad Calendarium Cleri Romani, ad quod tenentur cuiusdam religiosae Societatis alumni . . . . » 724

Super Ordinatione pro Musica Sacra Commentaria.

Continuatio . . . . . » 120
Continuatio . . . . . » 229
Continuatio . . . . . » 304
Continuatio . . . . . » 434
Continuatio . . . . . » 502
Continuatio et finis . . » 630

Argumenta Varia.

Casus Liturgicus. De off. Tit. aut Dedic. pro Sacerdotibus Parochi Coadiutoribus . » 42

De Concursu duorum officiorum semiduplicium, eiusdem aut diversi ordinis *p.* 47
Benedictio aquae in Vigilia Epiphaniae. . . . . » 64
De inquisitione genuini sensus Decreti generalis 2 Iulii 1893 super primariis et secundariis festis . . » 141
Specimen Kalendarii Universalis Ecclesiae, pro anno bissextili 1896 . . . » 286
Super decreto generali, « In catalogo festorum » commentaria . . . . . » 332
Dubium. Ad quem spectet solemnes functiones in Cathedrali Ecclesia peragere, quae a locorum Ordinariis celebrari solent, his impeditis vel absentibus . *p.* 355
Nuntium . . . . . . » 385
Consultatio de ordine in Commemorationibus servando 548
Emendatio. . . . . . » 576
De Congr. generali super virtutibus Ven. S. D. Stephani Bellesini ex Ord. Eremitar. S. Augustini . . . . » 739
De Benedictione Pontif. Ephemerid. Moderatori, Adlaborantibus, et Consociatis. . . . . ibi

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM QUAE IN HOC IX TOMO CONTINENTUR

(N. B. Numerus lectorem ad paginam remittit)

A

Abacus, de abaco, 365.

Absolutio super cadaver, quae et eius origo, 16 — quomodo peragenda, *ibid.* — quomodo defunctus *in feretro collocandus* pro absolutione, 17 — fieri nequeunt pro uno defuncto *plures successivae absolutiones* licet eadem die et in eadem Ecclesia, *ibid.* — a quo facienda absolutio, 18 — ex praecepto *facienda est post missam* in die obitus, *ibid.* — absolutio *fieri nequit post missam de vivis*, quamquam fieri possit extra missam a Sacerdote absque Ministris paratis, *ibid.* — tempore absolutionis *non est genuflectendum Celebranti* et *Ministris* ante tabernaculum transeuntibus, neque a toto Clero si *elevatio fiat in Missa*, 19 — servari potest consuetudo, ubi viget, exprimendi nomen defuncti in Oratione « *Inclina* » ad absolutionem, 369.

Abstinentia, facultas facta Episcopis anticipandi atque ob gravissimas causas etiam dispensandi *super lege ieiunii et abstinentiae*, 189.

A Cunctis, de nomine exprimendo ad litteram N. in oratione *A Cunctis*, 174.

Alleluia, tempore paschali in ℣. « *Panem de caelo* » addatur *Alleluia*, 214 — qui Matutinum separat a Laudibus in Pascha vel infra eius octavam non tenetur dicere « *Benedicamus Dño* » cum duplici Alleluia, 424: vide *Antiphona*, *Cantus Sacer*.

Aloisius (S) Gonzaga, missa solemnis de S. Aloisio *incidens in fer. VI. post Oct. Corporis Christi,* in qua agendum est de SS. Corde Iesu, non est prohibita, 381 — hac die Missa propria Sancti legi potest, *quae habetur in corpore Missalis,* 383.

Altare, altare aut templum dirutum instaurari nequit in *honorem alicuius Beati,* 168.

Altare portatile, non est censendum execratum altare portatile, *cuius sigillum episcopale fractum invenitur,* 693.

Altare privilegiatum, quodnam dicitur, 238 — quomodo esse debet, *ibid.* — privilegium semper *altari determinato* conceditur, *ibid.* — *ad septennium* conceditur omnibus Ecclesiis parochialibus, *ibid.* — inquirenda a Visitatore *circa hoc altare eiusque concessionem, ibid.* — de legatis in altari erectis, 240 — altaris conservatio *ibid.*

Ampullae, de ampullis, 117 — ampulla aquae in Missa de requie *osculanda non est,* 628.

Andreas (S) Apostolus, de templis Divo Andreae Andreae Romae dicatis, 711 — a saeculo V publica Illi memoria *in Exquiliis* dicata est, ibid. — Symmachus Papa Ipsi *oratorium perpulchrum* in templo Vaticano dicavit, 713 — ecclesiam percelebrem divi Andreae S. Gregorius Magnus ad *Clivum Scauri* a solo aedificavit, ibid. — de ecclesia *ad Lateranum* aedificata ab Honorio I, 714 — de templis in aliis variis Urbis locis aedificatis, ibid. — Romanorum *religio* erga B. Apostolum *saeculo XV percrebuit,* cum ex Achaia Romam Caput Eius delatum est, 715 — de Corpore Apostoli et praecipue de *Eius Capite,* 716 — Pii II *oratio* ante Caput divi Andreae expositum *dicta,* ibid. — magna cum laetitia Caput *ad S. Mariam de Populo* primum delatum est, ibid. — solemnis eius translatio *e dicta ecclesia ad Vaticanam Basilicam,* 719 — Pius II *nobilissimum sacellum construere fecit,* quod venerabilem verticem honorifice custodiret, 720 — de *loco,* in quo asservatur in Basilica Vaticana, 721 — hymnus ab *Agapito Anconitano Episcopo*

compositus, et decantatus in *translationis solemnitate*, 721 et seq.

Anniversarium Creationis et Coronationis Summi Pontificis, Missa in hoc anniversario videtur praeceptiva in *solis Patriarçalibus Urbis,* et ubi eam cantandi consuetudo viget, 209 — Episcopus *ius non habet* praecipiendi hanc Missam, 212.

Anniversarium pro Episcopo defuncto agendum est Episcopo dioecesano praesenti, quamquam *Episcopus defunctus non sit illius primus Praedecessor,* eo quod alius Episcopus post ipsum sedem tenuit, 702.

Antiphona, ingrediente processione Rogationum in Ecclesiam *antiphona Titularis canenda* ex Laudibus sumenda est, 174 — eique tempore paschali addendum est *Alleluia, ibid.* — pro Antiphona finali vide *Tantum ergo.*

Antonius (S) Abbas, festum S. Ant. Abbatis quando faciendum in *Cadurcensi dioecesi,* 273.

Annuntiatio B. M. V., elevatio huius festi ad *ritum duplicem primae classis* absque octava, 449 — vide *Feria primaria, Occurrentia.*

Aqua, tanta aquae quantitas benedicenda est in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis singulis diebus dominicis, *quanta requiritur pro aspersione cleri et populi,* 169.

Assignatio, quid, 483 — discrimen inter *translationem* et *assignationem,* 484 — de officio assignato die 3.ª Febr., 689.

Baculus Pastoralis ab Episcopis suffraganeis vel titularibus in *aliena dioecesi deferri potest* ex permissione Ordinarii loci, 579.

Baptismus adultorum utrum publice vel secreto conferendus sit, 62 — verba sexum respicientia in *collatione baptismi* mutanda sunt, 615.

Basilica Vaticana, de veteri Basilica Vatic., 641 — vetus Basilica deleta fuit eorum consilio, qui nova artis opera

saeculo XVI, plurimi facientes, vetera praestantiora parvi penderunt, *ibid.* — de *loco* in quo sepultus fuit B Petrus, 642 — Constantinus Basilicam Vatic. *supra corpus Principis Apostolorum* excitavit, *ibid.* — templi dimensiones, 643 — de portis Basilicae, 644 — de porticu, 645 — ante porticum *maxima quadriporticus* protendebatur, 646 — primis Eccl. saeculis Reges et Pontifices *in atrio templorum* deponebantur, *ibid.* — per quot gradus ascendebatur ad atrium, 647 — in quatuor minoribus navibus *multa praeclara sepulcra* conspiciebantur, 648 — ante D. Petri confessionem, duodecim surgebant *vitineae columnae,* 649 — in proxima abside pictae effigies *ex opere musivo* conspiciebantur, 650 — de templi fronte, *ibid.* — de fonte baptismatis, 651 — de Petri Cathedra, 653 — Vaticanum templum *oratoriis aliisque sacris aedificiis* circumdabatur, *ibid.*

Benedicamus Dno, de tono « *Benedicamus Dño* » in festo SS. Innocentium, 627 — vide *Alleluia.*

Benedictio, servari potest consuetudo, qua simplex Sacerdos vel Canonicus missam solemnem Celebrans, *concionatorem qui post Evangelium praedicat*, benedicit, 328.

Benedictio aquae in Vigilia Epiphaniae, de *nova huius benedictionis forma,* 64 — solemniter et cum *cantu Orationum* benedici potest, 114.

Biretum, Episcopi uti nequeunt *bireto doctorali*, 579 — clerici choro assistentes, *uti possunt bireto* quemadmodum alii sacerdotes, 616.

C

Calendarium Romanum, de quadam Societate religiosa *Rom. Calendario utens ex indulto,* casus, 724 — Calendarium Rom. *universale est,* et ad totum catholicum orbem extenditur, 725 — quid intelligatur per *Calendarium Rom.,* quid per *proprium,* 726 — Regulares *Calendario proprio,* Apost. Sede probante, uti debent, ibid. — praeter officia Ordini indulta, *respectu propriae Ecclesiae*

ad alia quaedam officia adiguntur, ibid. 727 — *quibus de causis* festa localia celebranda sint a Regularibus *iisdem diebus,* quibus in loco recoluntur, 728 — si cuidam Societati indultum fuerit ut particulare aliquod Calendarium sequatur, *quo sensu intelligenda concessio,* 729 — quinam ex diverse opinantibus ut in casu, *Indultum apprime interpretetur,* 731.

Campanae templorum catholicorum *pro achatolicorum funere* pulsari nequeunt, 496.

Campanula, de campanula pro Missa, 119 — in Missa privata pulsari potest ad *« Dñe non sum dignus »* 626.

Candelabra pro altari quomodo esse debeant, 33.

Candelae, de candelis pro altari, 33 — candelis ex *Stearina in Eccl. uti non licet* etiamsi ad pompam augendam vel propter tenebras adhibeantur, 174 — legi respondet romana praxis, 178 — de benedictione et processione candelarum et Missa, ubi *Sacramentum solemniter est expositum,* 313.

Canonici Episcopi associare debent *Archiepiscopum cappa indutum* ad Metropolitanam Ecclesiam, 579.

Cantoria, vide *Organum.*

Cantus Sacer, Rmi Ordinarii praestent, ut *perfecte clerici munus adimpleant liturgici cantus,* 229 — ut clerici *cantum liturgicum ediscant,* 230 — Ordinatio pro Musica Sacra *haud inhibet studium in codicibus,* quos non probavit Ecclesia, 231 — *pravae musicae* executiones Episcopi impendiant, 232 — Ordinatio haec *quodlibet actum super hoc argumento praecedens* abrogat, 234 — Ordinationis divisio in quatuor partes, 235 — Pontifices *sibi semper attribuerunt auctoritatem* decori et utilitati cantus liturgici prospiciendi, 236 — de variis cantus vicissitudinibus, 306 — liturgici cantus emendatio Petroaloisio committitur, 300 — nonnullae animadversiones super his, quae historia tradit, 308 — de Editione Medicaea, 435 — de discriminibus *inter textum a Romana Eccl.* adoptatum et archetypum a *Cl. Dom Pothier* vulgatum, 437 — de contractionibus in

Gradualibus et *Alleluia*, 441 — adhuc de mutilatione cantus Gregoriani, 445 — ***Rythmi defectus*** in editione Medicaea, 502 — Pius IX hanc editionem ***in pretio habuit***, 506 — Commissio cui onus impositum est, ut *hanc editionem imprimeret*, 507 — de Aretino Conventu, 630 — de editionibus quae sunt in usu *in variis Ecclesiis*, 632.

Cappa, de eius usu pro *Episcopis suffraganeis vel titularibus* in aliena dioecesi, 579.

Cappellae, de maiore Cappella seu Presbyterio, 241.

Casula, pro casulis plicatis in Adv. et Quadrag. *casulae decurtatae* adhiberi possunt, 623.

Cera quae ***Venetiana dicitur*** adhiberi potest quoadusque S. R. Tribunal ***suam non ferat sententiam***, 699 — contra legem non est *ceram pingere* pro Ecclesiis, *ibid.*

Chirothecae, Archiepiscopi, cum accedunt vel recedunt ab Ecclesia ante Missam pontificalem, *chirothecis uti nequeunt*, 579.

Corus, de choro, 366.

Clerici, decretum S. C. C. circa *clericos suam deserentes dioecesim* et ad Urbem demigrantes, 190 -- vide *Familiaris Episcopi.*

Clerus in chorum pergens *capite aperto* ex communiore usu incedat, 429.

Commemorationes, quando in suffragiis agenda est Commem. SS. Cordis Iesu, *addenda est etiam commemoratio Tituli* si sit SS. Salvator, 57 — decretum generale *circa ordinem commemorationum* in Vesperis, 65, 131 — de *commemorationum ordine* in Dom. infra oct. Corporis Christi, 216 — quid commemoratio, 134 — commemorationes fiunt *de festis simplicibus*, 136 — quando in eorum diebus incidit festum novem lectionum etiam translatum, 137 — vel Dominica, vel Octava, *ibd.* — vel Sabbatum, 138 — vel quando fieri debet de feria ut ponatur officium alicuius Dominicae, quae eo anno supersit, *ibid.* — de feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, Vigiliarum et secunda Rogationum,

quoad earum commemorationem, *ibid.* — si simplex festum in iisdem feriis occurrat, officium fit de feria et commem. de festo simplici, 139 — praeterea fit commemoratio de Dominicis a Pentecoste usque ad Adventum, 140 — de aliis Dominicis nulla fit commemoratio occurrente festo duplici, quia festum in illis occurrens transfertur, *ibid.* — aut de eo fit commem., *ibid.* — nisi illud festum fuerit principalis Patroni, vel Tituli, aut Dedicationis ipsius Ecclesiae, 296 — non autem alicuius cappellae vel altaris eiusdem Ecclesiae, 303 — et tunc de huiusmodi principali festo fit tantum in eo loco vel Ecclesia, cuius est Patronus vel Titulus, *ibid.* — aut fuerit Dedicationis festum, 304 — excepta Dominica prima Adv., Dominica prima Quadrag., Dominica Pass., Dominica Palm. et Paschae, et Dominica in Albis, 475 — Dominica Pentecostes et SSmae Trinitatis, 476 — in quibus huiusmodi occurrens festum transfertur in sequentem diem similiter non impeditam, 475 — dummodo non fuerit intra Maiorem hebdomadam, 477 — idem iudicandam de aliis festis 1.ae classis occurrentibus in praefatis Dominicis Maioribus, *ibid.* — si fer. VI. post Oct. Ascensionis occurrat duplex 2.ae cl., feriae commem. non est omittenda in 2.is Vesperis, sicut et in Laudibus, 264, 268 — de Commemorationibus ad Vesp. et Laudes casus, 340 — quid commem., 345 — quasnam commem. admittant et quasnam respuant duplicia 1.ae et 2.ae classis si cum aliis concurrant tam in 1.is quam in 2.is Vesperis, 346 — quomodo interpretandae et conciliandae Rubricae, loquentes de tertia commem. semiduplicis redacti ad instar simplicis in 1.is Vesperis festi dupl. 2.ae classis, 350 — quid de disceptandis iudicandum, 353 — si cum festo dupl. quod in Dominica occurrit, dies concurrat infra octavam, de qua feria II. agendum est, de concurrente prius commen. fieri debet, 426 — de ordine in commem. servando ad utrasque Vesperas, 548 — vide *Octava, Patronus.*

Concurrentia, Concursus, in concurrentia inter diem octavam et duplex minus quomodo ordinandae Vesperae, 376 — de quadam concurrentia in Calendarii specimine, 498 — emendatio, 544 — vide *Octava, Praelatio, Vesperae*. — de dierum infra oct. concursu et fest. primar. V. Decretum Lingonen. 708.

Consecratio Altaris, vide *Altare portatile*.

Consecratio Ecclesiae, nova consecratione non indiget Ecclesia e cuius parietibus crusta, vulgo *intonaco*, maiori ex parte disiecta fuit, 67 — decr. S. R. C., vide *Vigiliae*.

Cor Iesu, retinenda est etiam nunc Missa « Egredimini » cum officio relativo si ista dicebatur in dioecesi ante innovationes Leonis XIII circa festum SS. Cordis Iesu, 311 — attento speciali privilegio, festum SS. Cordis in Regno Lusitaniae est per accidens primarium, 328 — figura SS. Cordis Iesu, omnino a persona separata, exponi nequit ad cultum publicum, 618 — vide *Commemoratio, Festa primaria, Missa votiva*.

Crispinus et Crispinianus (Ss.), in Eccl. dioecesis Cadurcensis, quarum Patroni aut Titulares sunt SS. Crispinus et Crispinianus, eorum festum celebratur die propria, 273.

Cruciger, de loco Cruciferi in processionis reditu, 61 — de Crucifero pergente ad coemeterium, 115.

Crux, fer. VI. in Parasc. post adorationem et osculum S. Crucis Celebrans, ministri et reliqui surgant, genuflectant unico genu et ad propriam sedem redeant, 329.

Crux Archiepiscopalis, de eius forma, 579 — Archiepiscopus in Pontificalicus crucem pectoralem super planetam gestare nequit, 579.

Cryptae Martyrum, vide *S. Damasus*.

D

Damasus (S.) Papa, de eius carminibus ac de cryptis Martyrum ab eo exornatis, 457 — referuntur quaedam de tanti Pontificis vita, *ibid.* — de eius familiaritate cum

S. Hieronymo, 459 — Pontifex renunciatur, 460 — de eius ingenio et eruditione, *ibid.* — Damasus multa SS. Martyrum sepulcra carminibus illustravit, 462 — aedificat ad Catacumbas Basilicam Principum Apostolorum nomini dicatam, 463 — quaedam carmina speciminis gratia referuntur, 465 — barbarorum tempore Damasiana carmina magnum detrimentum passa sunt, 469 — Damasi propositum in edendo sua carmina, 470 — de litterarum forma, quam Damasus lapidibus sculptam voluit, 471.

Dedicatio, dedicari nequeunt Ecclesiae in honorem Sanctorum vel Beatorum, quorum cultus recognitus tantum fuit a S. R. C., 108 — de festo Dedicat. pro Monachis S. Benedicti Congregationis Gallicae, 194 — de Dedic. omnium Ecclesiarum pro Regularibus, 423, 451 — vide *Commemoratio, Occursus, Titularis.*

Diaconus, si in Missa solemni inservire debeant Presbyter et Diaconus, hic officium ordinis sui exerceat, Presbyter autem Subdiaconi officio fungatur, 61 — Diaconus nullum pium exercitium peragere, Oremus canere potest cum stola transversa ante Sacramentum expositum, 96 — vide *Inclinatio.*

Domina nostra a S. Corde Jesu, decretum S. Rom. et Univ. Inquis. quasdam Eiusdem imagines prohibens, 509.

Dominica, officium Dominicae anticipandae impedit quoque recitationem officii votivi ad libitum ex iis, quae Leo XIII super indulsit, 264, 267.

Doxologia, in concursu off. votivi de SS. Sacram. et festi alicuius instrumenti Pass. Dñi N. I. C. ut in Quadrag., nihil fit de Sacramento, dicenda est tamen eiusdem doxologia in hymnis eiusdem metri tam ad Vesp. quam ad Complet., 265, 268.

E

Ecclesia non execratur, *licet opus tectorium arte deleatur,* ut elegantius aedificetur, 419.

Episcopi, de Episcoporum vigilantia quoad cantum, vide *Cantus Sacer, Organum.*

Et Incarnatus est, vide *Genuflexio.*

Exequiae Parvulorum, animadvertenda in Parvulorum exequiis, 165 — ordo tenendus in *parvulorum cadaverum associatione,* 166 — quid *super psalmorum cantu* peculiariter observandum, *ibid.* — parvulorum corpuscula *non sunt exponenda in Ecclesiis* more adultorum, *ibid.* — florum corona *licite adhiberi potest super caput infantis demortui, ibid.* — Sacerdos in parvulorum exequiis *superpelliceo et stola alba* utatur, 167 — peculiares ritus in istis exequiis, *ibid.* — pro quibus pueris *ritu exequiarum pro parvulis* uti non licet, *ibid.* — utrum Missam in exequiis parvulorum *dicere aut cantare liceat, ibid.*

Extrema Unctio, in huius Sacramenti administratione locum habet *quaedam manuum impositio,* 63.

F

Familiaris Episcopi, de clerico *cotta induto* vices agente Familiaris Episcopi, 227.

Feria V in Coena Dni, non licet Missam canere cum *delatione alterius hostiae ad Sacellum* vulgo *Sepulcrum,* si sequenti die Praesanctificatorum Missa non celebretur, 133 — licet praedicta feria Missam canere *absque alterius hostiae consecratione* et absque processione, de venia saltem Episcopi, *ibid.* — ubi nulla eadem feria habeatur functio *sacra, Pyxis in suo altari servari potest* usque ad solis occasum adorationi fidelium loco Sepulcri, *ibid.* — an pro altarium denudatione *sufficiat mappas ita complicare,* ut maior mensae pars nudata remaneat, *ibid.*

Festa Dominicis assignata si particularia sint, *iure translationis,* secluso privilegio, destituuntur, 55 — de festo patronali et alia solemnitate translata, 58 — festa etsi primaria Patronorum minus principalium non requirunt Symbolum in Missa, 60 — vide *Repositio, Cor Iesu.*

Festa impedita, de festis impeditis casus, 481 — praenotanda pro solutione, 482 — utrum quodcumque officium transferri possit, si cum alio occurrat, 484 — quodnam ex duobus festis, *quae transferri possunt*, transferendum, 486 — de *duobus occurrentibus officiis*, quae translationem admittunt, 487 — quanam die reponendum festum, quod ob occurrentiam cum alio est transferendum, 488 — quanam liturgica solemnitate *festum repositum* erit celebrandum, 490 — quid agendum cum pro officiis transferendis *dies liberi* in anni decursu non suppetunt, *ibid.* — quid iudicandum in casu, 492.

Festa primaria et secundaria, in quo praecipue *ratio primarii et secundarii* constituenda, 21 — festum diei mensis affixum, ceteris paribus, *praevalet alteri* feriae vel Dominicae affixo, 27 — festum secundarium, sed solemnius, *praeferri non debet primario minus solemni,* 30 — quaenam festa *praeceptiva* et quaenam *indultiva,* 31 — praeceptiva *aliis quibuscumque indultivis,* praeferri debent, *ibid.* — festum Translationis S. Mariae V., quae ut in casu die 17 Iulii recolitur, est festum secundarium, 53 — de occursu octavae SS. Apostolorum Petri et Pauli cum oct. Visitationis B. M. V., ubi Visitatio est Titulus Eccl., casus, 83 — de *dignitate personali et obiectiva* festorum, *ibid.* — in festis liturgicis *datur dignitas personalis,* 85 — datur et *dignitas obiectiva,* 86 — quae *ritu et primarii praerogativa* constituitur, 87 — in paritate ritus festum *dignitatis potioris obiectivae* alteri praeferendum est *dignitatis superioris personalis,* 90 — quo sensu accipienda sint verba *dignius et solemnius* in Rubricis, in nota, *ibid.* — eo dignior est octava, *quo dignius est festum* ad quod pertinet, 91 — quid censendum in casu, 94 — inquiritur *genuinus sensus Decreti generalis 2 Iulii 1893* super primariis et secundariis festis, 141 — scopus huius decreti est *praeminentia* inter festa primaria et secundaria, *ibid.* — non minus perfecte declaratur, si attendatur ad dubii positionem et solutionem, 142 — catalogus horum festorum

pro intelligentia decreti est maximi momenti, 143 — incommoda quae sequerentur, si decretum generale *officiis votivis et diebus infra Octavas* applicaretur, 144 — animadversiones in contrarium, scopus Decreti, 145 — positio et solutio dubii, *ibid.* — *festorum* Catalogus, 147 incommoda, quae sequuntur, *ibid.* — de festo SS. *Ioseph* et *Joannis Baptistae,* 333 — festa transferuntur quoad se et quoad officium, 335 — de sede propria et tanquam propria alicuius festi, 336 — de privilegio praecedentiae *quoad officium SS. Ioseph et Ioann. Baptistae,* 337 — de festo translato *Annuntiationis* B. M. V., 340 — de intelligentia decreti circa Deiparae Annunt. festum, 342. — vide *Cor Iesu.*

Functiones Solemnes peragere in Cathedrali Ecclesia ad quem spectet, *quando non celebrant Ordinarii locorum,* 355.

G

Genuflexio, de genuflexione super *ultimo altaris gradu* vel in *plano,* 178 — Regulae generales pro genuflexionibus a Diacono, Subdiacono et Ministris inferioribus *coram Sacramento exposito* faciendis, 221 — Celebrans transiens ante altare, ubi fit missa a consecratione ad communionem *nullam genuflexionem* facere debet, 222 — de quadam praxi non genuflectendi ad verba « *Et incarnatus* » ad Credo in Cathedrali Ecclesia Veliterna, 400 — de genuflexione a Subdiacono facienda ad « *Pax Dñi* » in Missa, 626.

H

Hymni pro Vesperis coniunguntur et cum hymnis Matutini, si *eumdem ordinem historicum sequantur* et *sint eiusdem metri,* quando recitatio hymnorum ad primas Vesperas impeditur, 102, 264, 267 — in festo S. Angeli Custodis, quod sub ritu dupl. die 1.ª Oct. in Hispania

celebratur legendus est hymnus *Tibi Christe,* mutata secunda stropha, 330.

I

Imago quaenam requiritur in altari, 35 — utrum *benedicenda* sit, *ibid.* — *doctrina S. Caroli* super altarium imaginibus, 36 — de imaginibus minus principalibus in altari, 39 — de *Beatorum* imaginibus, 40 — de imaginum materia, *ibid.* — non permittuntur in eadem Ecclesia *duae eiusdem Sancti vel mysterii* imagines, 41 — imagines virorum, *qui cum sanctitatis fama decesserunt, in vitris repraesentatae* recentiori iure permittuntur, *ibid.* — imagines thurificari non debent cum deteguntur, 179.

Imagines B. Mariae V. in Coemeteriis, in parietibus ad coemeteria *duobus modis proponere solebat Ecclesia* B. Virginem colendam, 321 — saepissime ad latus Virginis *Reges Magi* conspiciuntur, *ibid.* — Ecclesia iam a suo exordio *Virginem Sanctam una cum Unigenito* in sinu effingere coepit, ut divinam Maternitatem profiteretur, 322 — de celebri Icone in *Coemeterio Priscillae, ibid.* — de insigni imagine Virginis in *Coemeterio Domitillae,* 323 — de Virginis Imagine udo pariter depicta in *Coemeterio SS. Petri et Marcellini* ad duas Lauros, 324 — de Virginis Imagine in *Coemeterio divae Agnetis* in via quae Nomentum pergit, *ibid.* — cultus Imaginum B. Virginis *ab initio catholicae Eccl. invaluit* apud fideles, 325 — de Virginis Imagine *prope muros Carthaginis* reperta, 326.

Inclinationes, de quibusdam inclinationibus faciendis *a Diacono et Subdiacono* in Missa solemni, 182 — de capitis inclinatione ad cantum « *Gloria Patri* » in solemniori Missa ex parte *Celebrantis et Ministrorum,* 372 — de inclinatione Ministrorum Celebranti *ante sessionem,* 624.

Indulgentia, de translatione indulgentiae festo adnexae casus, 594 — de solemnitate *verbi etymologia* spectata, 595

— solemnitas alia *interna,* alia *externa,* 596 — solemnitas externa *transferri* potest, 597 — translatio *iuxta legem* fieri debet, 598 — obiectio desumpta *ex decreto Urbis et Orbis*, 599 — *quibus de causis* fieri translatio possit, 602 — *generales regulae* pro transferenda indulgentia *alicui festo adnexa,* 603 — quid de casu proposito iudicandum, *ibid.*

Indultum Missae solemnis pro festo alia die recolendo, *non includit missas privatas,* 501.

Indumenta Canonicalia, de indumentis Canonicorum *Insignis Eccl. Colleg. B. M. V. a Vineis* in Archidioec. Ianuensi, 193.

Insignia Canonicalia, decr. Rhemen. S. C. Concilii, quo privilegia concessa Cañcis Eccl. Cathedr. Rhem. per Breve anni 1851 *extenduntur ad Canonicos ad honorem,* tantummodo in *functionibus capitularibus,* 251.

Ioanna (B.) Valesia recte Vidua appellatur in Editionibus *etiam typicis* Brev. et Missalis Romani, 623.

Ioannes (S.) Baptista, vide *Festa primaria.*

Ioseph (S.), S. R. C. decretum permittens unicam missam votivam solemnem S. Ioseph et commemorationem eius in missis lectis, *Dominica tertia Adv.* huius anni, 577 — vide *Festa primaria.*

Ite Missa est, de qualitate cantus « *Ita Missa est* » in festis solemnioribus, si *hymnorum doxologia* sit de Deipara, 100 — vide notam, 229.

K

Kalendarium, Kalendarii univ. Ecclesiae specimen pro anno 1896, 286.

L

Lancea Dni N. J. C., eius notitiae archaeologicae, 257,

Laudes Sacrae *vernacula lingua* canere potest populus ad *processionem Sacramenti,* 621.

Laus tibi Christe, ad Evangelii lectionem *nunquam est omittendum*, 629.

Lectiones, de quadam *consuetudine legendi lectiones* in Matutinis in Eccl. Metropolitana Granatensi, 2.

Lectorile, de lectorili pro choro, 366.

Libri chorales, inquirenda a Visitatore circa hos libros, 367.

Litaniae tantum quae habentur in Brev. aut in recentioribus edition. Rit. Rom. ab Ap. Sede approbatis *publice recitari valent* in Ecclesia, et Oratoriis publ. 68 — prohibitae sunt invocationes *in honorem S. Familiae, SSmi Cordis Iesu, Mariae Perdolentis* etc., *ibid.*, decretum S. R. C., 130 et 708 *Dub.* — in litaniis Lauretanis Ecclesiastica auctoritas localis permittere nequit *ut alii Sancti nominentur*, 313.

Loricae septum vulgo Balaustrata, de eius materia, 362 — praescriptiones S. Caroli circa *Cappellarum clathras et cancellos, ibid.* — quibusnam solemnitatum tempore *intra presbyterium* ingredi liceat, 363.

Luduvica De Marillac, (Ven.) decr. S. R. C. de signanda Commissione Introductionis Causae, 448.

Lux electrica non ad cultum, sed tantum *ad depellendas tenebras adhiberi potest*, decr. S. R. C., 450 adnotationes, 607 — de *quo cultu agatur* in hoc decreto, *ibid.* — quid dicendum de functionibus, *quae vix liturgicae* dici possunt, *ibid.* — in quibus casibus S. R. Tribunal *lucem electricam* in Eccl. permittat, 610 — quomodo haec lumina electrica *confecta esse debeant*, 613 — quomodo locari in templis possint, 614.

M

Magister Caeremoniarum, num liceat Magistro Caeremoniarum officium suum *cum habitu chorali* implere praesertim ad Altare, 2 — ex Caeremoniali Episcoporum apparet Caeremoniarum Magistrum pro Cathedralibus et Collegiatis *in Sacris constitutum esse debere*, 368.

Manus, Orationes *quae dicuntur fer. VI. in Parasc.*, et quae *interponuntur Prophetiis in Sabb. Sancto,* manibus extensis sunt dicendae, 225 — Episcopi manus *osculanda non est* a Diacono Evangelium cantaturo in Missa Pontificali *post acceptam benedictionem,* 318.

Margarita (B.) Alacoque, de die festo pro Ea assignando, 172.

Marina (S.) Virgo, vide *Festa primaria et secundaria.*

Matrimonium, de *quibusdam caeremoniis specialibus* in Matrimonii celebratione, 111.

Matutinum, in Nocte Nativ. Dñi *post Orationem et versiculos in fine Matutini* ante Missam in choro non est addenda *Oratio Dominica,* 54 — in Triduo Mortis Christi Matutinum cum oratione « *Respice quaesumus* » concludi potest, *ibid.* — qui praeest Matutinis Tenebrarum, *cotta tantum uti potest* super talarem habitum, *absque ulla assistentia,* 115.

Missa dabet esse semper conformis officio Ecclesiae 706 et seq. nisi ritus sit duplici inferior, quia tunc datur libertas, ibid.

Missa de Requie cum cantu. Missa exequialis in die obitus, quantum fieri potest, *omittenda non est,* 13 — *Solemnitates maximae* hanc Missam impediunt, *ibid.* — *quaenam* istae Solemnitates, *ibid.* — Missa haec ut permissa sit, *cum cantu fieri debet,* 14 — non semper requiritur praesentia cadaveris, 15 — qualis esse debeat Missa exequialis, *ibid.* — una tantum permittitur, *ibid.* — prohibita dicenda est in *festo Annunt. elevato ad duplicis 1.ae classis ritum,* 495 — de adolescentium assistentia in *missis cantatis de Requie,* 110 — in tota Oct. Paschae prohibita est, 618 — Missa pro defunctis, diebus a Rubricis designatis, celebranda est *etiamsi in choro non recitetur officium defunctorum,* 330.

Missa Conventualis, si festum agatur de aliquo Sancto, cui dicatum sit altare laterale, *celebrari in eo altari potest,* manentibus Canonicis in choro, dummodo altare *nimis non distet a choro,* 133 — Missam Conventualem Ce-

lebrans de Oct. Omnium Sanctorum, *die 2.ª Nov. uti potest concessione a Benedicto Papa XIV* facta Regno Lusitaniae dicendi tres Missas pro defunctis, *alia duas Missas* de requie celebrando, 327.

Missa « Egredimini » vide *Cor Iesu.*

Missa Pontificalis, Presbyter et Diaconi assistentes missae pontific. *fer. V. in Coena Dñi* si sint Sacerdotes, ad Sacram Synaxim accedere tenentur *iisdem paramentis, quibus utebantur ab initio Missae,* 328.

Missa Rogationum, vide *Rogationes.*

Missa Votiva pro Sanctis ad antiquum foedus pertinentibus *desumendae sunt e relativo Communi Sanctorum*, nisi propria suppetat, 54 — de missa votiva SS. Cordis Iesu *in die 2.ª Nov.*, 55 — missa votiva SS. Cordis Iesu *prima feria VI. cuiusque mensis* dicenda, impeditur festis Passionis D. N. in feriis VI. Quadrag. recolendis, 213 — occurrente prima feria VI. Nov. cum Commem. Omnium Fidelium Defunctorum, *non licet Missam votivam SS. Cordis celebrare* iuxta decretum, 327 — quando Rubricae Missam votivam solemnem prohibent, prohibitio afficit *omnes relativas Ecclesias,* 703.

Monita (graviora) 709.

Mozzetta in aliena dioecesi Episcopi suffraganei vel titulares *uti non possunt*, 579.

Musica Sacra, vide *Organum, Cantus Sacer.*

N

Notitia, 705.

O

Occurrentia, Occursus, de occurrentia festi S. Francisci titularis Ecclesiae, *in qua recolitur sub ritu dupl. 1.ªᵉ cl. cum Oct. ex peculiari Indulto Solemnitas SS̃mi Rosarii*, casus, 20 — quid iudicandum, inspectis omnibus, de casu proposito, 32 — in occurrentia duorum festorum

in Martyrologio, quorum alterum *primarium* alterum *secundarium*, agendum est de primario, 103 — de occurr. festi Annunt. B. M. V. *cum fer. VI. in Parasc. vel Sabbato Sancto,* quoad praeceptum audiendi Sacrum, 329 — in occurr. duorum festorum secundariorum *eiusdem ritus et classis,* dignitas personalis praevalet, 373 quid occurrentia, 482 — de occurrentiae causis, *ibid.* — de occursu et concursu *Dedicationis et Patroni* casus, 529 — de solemnitate Dedic. Eccl. eiusque anniversarii, *antiquitate et Rubricis Breviarii Rom.* perpensis, 530 — Episcopus *aliam diem determinare potest* pro Anniv. Dedic., si anniversaria dies *sit impedita,* 534 — de qualitate diei, quem seligere Episcopus potest, *ibid.* — — utrum Eccl. Dedicatio sive propriae, sive alienae *sit festum primarium,* 536 — occurrente aut concurrente *Anniv. Dedic omnium Ecclesiarum cum festo Patroni loci,* praecedentia Patrono tribuenda videtur, 542 — quid iudicandum in casu, 543 — vide *Festa primaria.* De occurrentia festi prim. cum off. votiv. V. Decr. *Lingonen.* 708.

Octava, si octavae occurrentes pertineant *ad festa in omnibus paria* agendum est de illa, de qua actum est festum anterius cum commem. alterius, 4 — de octava cuiuscumque festi *fit totum officium duplex,* 5 — cum commemoratione *diei infra aliam oct., ibid.* — quomodo faciendum officium oct., 6 — exceptio *pro oct. Paschae et Pentecostes,* 7 — in oct. omnia dicuntur *ut in die festi* praeter lectiones 1.ⁱ noct., quae sunt de script. occurr., 8 — infra oct. Assumpt. B. Mariae *lectiones propriae de Canticis Canticorum* habentur, 9 — lectiones 2.ⁱ et 3.ⁱⁱ noct. dicuntur, *quae infra oct. positae sunt, ibid.* — de lectionibus 2.ⁱ et 3.ⁱⁱ noct. legendis *infra oct. Patroni vel Titularis, ibid.* — lectiones 2.ⁱ et 3.ⁱⁱ noct. infra oct. Sanctorum *sunt lectiones positae in Communi Sanctorum,* 10 — in praxi infra oct. proprii Titul. *lect. 1.ⁱ noct. sumuntur de scriptura, ibid.* — de lectionibus 2.ⁱ et 3.ⁱⁱ noct. *infra oct. proprii Titul.,* 11

— nisi agatur de Sanctis, *de quibus fiat oct.*, legantur lect. diei festi, 12 — *Decretum generale* circa octavas in Quadrag., 66, 131 — infra oct. *officium fit semiduplex* exceptis diebus duobus *Pascham et Pentecosten* immediate sequentibus, 69 — in die oct. *officium fit duplex,* 70 — an dies oct. et infra oct. *adnumerandi sint inter festa primaria vel secundaria, ibid.* — quid dicendum si infra oct. *festi primarii Dñi vel B. M. V.* occurrit semid. Sanctorum primarium, 73 — in Vesp. infra oct. *omnia dicuntur sicut in 2.ᵘ Vesp. festi,* 74 — et in primis Vesperis diei oct. *omnia sicut in primis Vesperis festi,* nisi aliter in propriis locis notetur, 76 — infra oct. *non fiunt Suffragia consueta de Sanctis, ibid.* — nec dicuntur preces *ad Primam et ad Completorium,* 77 — in diebus infra oct. *SS. Martyrum Cosmae et Damiani Titul. et S. Michaelis Arch. Patroni,* de Patrono agendum est cum commem. Titul., 99 — de die oct. festi *concurrente cum festo S. Compatroni loci,* casus, 149 — de die octava quacumque *non eodem modo disserendum est* in occurrentia atque in concurrentia, 150 — *Generales Regulae* pro diebus octavis, *quae cum aliis festis possunt occurrere,* 151 — utrum *praefatae regulae sint conformes Rubricis, Tabellae Concurrentiae* et *Decretis,* 152 — obiectio contra tertiam regulam, 153 — exceptiones, 156 — Decretum Generale *sensu generalissimo gaudet* sive quod festa attinet, sive quod ritum, excepto simplici, 157 — vi praedicti decreti, dies octava cuiuscumque festi recensiti in Rubrica 2.ᵃ Tituli XI, *nullo gaudent privilegio,* 158 — dies octavae Sanctorum, quos Rubrica recenset, utpote liturgica dignitate pollentes, *nullo privilegio gaudent,* 160 — in *quo consistat privilegium,* de quo agitur, 161 — in casu proposito *integrae debentur Vesperae Sanctis Vincentio et Anastasio,* et sola competit commem. *SSmo Iesu Nomini, ibid.* — de octavis, 478 — vide *Festum.*

Officium, de die assignata officio, *ob novum festum mutanda,* 97 — vide *Dominica, Octava.*

Officium defunctorum recitantes vel decantantes in choro *habitu chorali utuntur,* officium faciens *stolam nigram adhibere potest,* 12.

Officium S. Mariae in Sabbato, de huiusmodi officii origine, 78 — in omnibus Sabbatis per annum, exceptis excipiendis, *officium fit de S. Maria,* 79 — excipiuntur feriae *Adv. et Quadrag., ibid.* — item excipiuntur *feriae Quatuor Temporum* aut *Vigiliae,* 80 — vel nisi fieri debeat de feria *propter officium alicuius Dominicae aliquando infra hebdomadam anticipandae, ibid.* — et nisi fiat *officium novem lectionum* vel de *oct. Pascha eet Pentecostes,* 81 — semper fit de S. Maria *eo modo quo fit de festo simplici,* ut circa finem Breviarii disponitur, 82 — de festo autem simplici in Sabbato occurrente *fit tantum commemoratio, ibid.* — utrum hoc *officium sit praeceptivum* post officia ad libitum concessa, 545.

Officium, de officiis *parvo B. M. V.* et *defunctorum* recitandis in die *Dominicae anticipatae.*

Officia votiva, de officiis votivis casus, 405 — de votivi *significatione,* 407 — differunt inter se *officia votiva* et *officia ad libitum,* 408 — de horum officiorum *origine,* 409 — de *officiis votivis ad libitum* a Leone XIII concessis, 411 — in feria, qua officium Dominicae anticipandum praescribitur, *de officio votivo fieri nequit, ibid.* — de officiis votivis *Immac Conc B. M. V. in Sabbato, S. Francisci* et *S. Clarae* prc Minoribus Capuccinis, 452, 456.

Opera Liturgica, consilium circa editionem novorum operum liturgicorum, 185.

Omina, 705.

Oratio, tam feria VI in Parasc. quam in Sabb. Sancto *oratio et preces pro Imperio Rom.* ubique locorum omittendae sunt, 219 — addi nequit *specialis oratio pro Episcopo* fer. VI. in Parasc., 220 — in Laudibus et Missa *S. Agapiti Papae et Conf. die 20. Sept.* si facienda quoque sit commem. *Vig. S. Matthaei Ap.,* ne repetatur eadem

oratio, Missa S. Agapiti « *Statuit* » mutetur in aliam « *Sacerdotes* », 265, 268 — vide *Versus*.

Oratio funebris immediate post Missam exequialem habenda est, 15.

Ordinarii, Ordinariorum cura *quoad Cantum liturgicum* vide *Organum*, *Cantus Sacer*.

Ordinatio pro Musica Sacra, vide *Organum*, *Cantus Sacer*.

Organum, vetitum est pulsare organa ex tempore, *quod pro ingenio dicitur,* iis omnibus, qui congrue id praestare non valeant, 120 — cum sacra musice Liturgiae partem constituat, *R̃mis Ordinariis committitur ut peculiarem de illa curam gerant,* 124 — de organi *tribuna, seu cantoria,* 657 — *quomodo pulsandum* sit organum, 658 — *quando* pulsandum, 660.

P

Pallium Sacrum, quid, 567 — de eius materia, *ibid.* — huius sacri indumenti origo, 569 — pallii definitio, 572 — quinam pallio uti possint, 574 — ex privilegio *pallium competit Cardinali Episcopo Ostiensi,* et quibusdam Episcopis *qui illud obtinuerunt* a Sede Apostolica, 634 — differentia inter Romanum Pontificem et alios Episcopos maiores *quoad usum pallii,* 635 — qui pallii usu gaudent, illo nunquam uti possunt *coram Summo Pontifice aut eius Legato a latere,* 636 — pallio fruentes in Ecclesiis sibi subiectis *nec ubique, nec semper pallio uti possunt,* 637 — et dumtaxat *dum missam solemnem celebrant,* 638 — a Caeremoniali *praescripti sunt dies,* quibus Antistites pallio uti possunt, 639 — Archiepiscopo ad Sedem episcopalem translato, *expirat ius deferendi pallium,* 679 — pallium *commodari* nequit, *ibid.* — Archiepiscopus curare debet *ut pallium suum honorifice asservetur,* 680 — mortuus Archiepiscopus *sepeliri debet indutus proprio pallio* si in provincia sua sepeliatur, secus *pallium plicatum* ponatur sub illius

capite, *ibid.* — si Archiepiscopus moriatur *antequam illi pallium tradatur,* quod ei missum fuit ab Apostolica Sede, *pallium est comburendum* et cineres in Sacrarium proiiciendae, *ibid.* — *quo ritu induendum* pallium, *ibid.* — Archiepiscopi aliique iure pallii gaudentes *illud a Rom. Pontifice postulare tenentur,* 682 — formulae *per quas ab Apostolica Sede pallium postulari* solet, 683 — de pallii *auctoritate,* 684 — de pallii *benedictione,* 686 *formula* benedictionis, 688.

Pannum Dalmaticarum *debet esse eiusdem qualitatis panni planetae,* qua induitur Celebrans pro solemni missa, 224.

Passio Dni deficientibus aliis ministris *cantari potest a Diacono ministrante quoad textum Evangelistae* et a *Celebrante quoad verba a Christo prolata,* 132.

Patronus, mentiones Patroni et Titularis in *Rubricis generalibus,* 298 — Rubricae, quum verbuum faciunt de Patrono intelligendae sunt *de Patrono loci* quum autem loquuntur de Titulo intelligendus est *Titularis Ecclesiae,* 300 — quidam liturgici doctores *confundunt Patronum et Titulum, ibid.* — vide *Occurrentia, Praecedentia.*

Pluvialistae *sex requiruntur* pro Vesp. Annunt. *post eius ad ritum dupl.* 1^{ae} *cl. evectionem,* 494.

Praecedentia si festum Titul. Eccl. parochialis occurrat infra oct. Patroni loci *praecedentia Patrono debetur,* 427 — vide *Octava, Praelatio.*

Praelatio, in concursu festi Reliquiarum et alterius Sancti eiusdem ritus, Vesperae integrae erunt *de Reliquiis cum commem Sancti,* 101 — vid. *Repositio.*

Preces ad Primam et Completorium, — vide *Octava.*

Preces post Missam imperatae a Leone P. XIII *in missis sine cantu dicendae sunt,* 108 — Sacerdos in recitatione istarum precum *genuflectere pro lubitu sive in suppedaneo,* sine *in infimo gradu altaris* potest, 162 — quando tres missae dicuntur *recitantur solum* in fine ultimae missae, 328.

Presbyterium, vide *Cappellae.*

Pulpitum, de eius forma, materia et loco in Ecclesia, 663.

R

Reliquiae Beatorum deferre in processionibus non licet, 710.

Repositio, quid, 483 — de festis reponendis *die propria vel assignata,* 218 — festis Titularis et SS. Cordis impeditis, in repositione *praeferendum est officium Titularis,* 310.

Reverentia non est facienda Episcopo *a transeuntibus ante illum Missae solemni adstantem* cum pluviali et mitra vel in cappa post elevationem, 320 — in missa cantata si Celebrans post Introitum pergat ad Sedile, *reverentiam Cruci facere debet,* 430.

Ritus funerei, de funereis ritibus veterum Christianorum, 581 — primitiva Ecclesia admodum se sollicitam exhibuit ut fideles in extremo agone luctantes *Sacramentorum ac precum subsidio* firmarentur, 583 — Ecclesia *ab ipsis suis primordiis* sese societatem exhibuit eo praesertim intenta, ut fidelibus suis *iustae sepulturae honorem daret,* 584 — ritus ac mores christianorum *in mortuis sepeliendis,* 585 — Christi *Monogramma* in sepulchris saeculo IV effingere coeptum est, 588 — de precibus *quae pro defunctis* fundebantur, 590 — agapes seu convivia *pro defunctorum refrigerio,* 591 — de vestibus atris *funeris causa* induendis, 592 — de laudationibus funebribus, 593.

Rogationes, in diebus Rogationum in paroeciis, quae officium publicum non faciunt, *Missa Rogationum saltem legenda est* si processio fiat, 96 — in Missa de Rogationibus probabilius *nulla commem. fieri debet de festo occurrente,* 212 — vide *Antiphona.*

Rota, vulgo **Velocipede**, litterae Emi Praefectus S. C. Episc. et Regul. *quoad usum rotae* vulgo *Velocipede,* 251.

Rythmus, vide *Cantus Sacer.*

S

Salutatio, nulla extat lex in Caeremoniali Episcoporum *de mutua salutatione* in ingressu ad chorum, 433.

Scamnum pro Ministris quomodo esse debeat, 364.

Secretae, vide *Tabellae Secretarum.*

Sedes propria alicuius festi, vide *Festa primaria.*

Semiduplex, de festo semiduplici *ad libitum simplificando* aut *penitus omittendo* aut *transferendo,* 104 — vide *Octava.*

Sepultura, quinam sepulturae locus, 162 — observanda in sepultura *si habeatur in Eccl, ibid.* — *quomodo* ad sepulturam cadaver deferri debeat, 163 — quomodo *collocanda cadavera in sepulchro, ibid.* — non omnia defunctorum cadavera indiscriminatim *in eodem sepulcro condi possunt,* 164 — *preces recitandae* super tumulo, *ibid.* — quaenam exequiae omitti *super cadavere* nunquam debeant, 165.

Sequentia, in missis quotidianis de requie *semper est ad libitum*, 114.

Simplex, vide *Officium B. Mariae in Sabbato.*

Simulacrum D. Petri Apostoli in Vaticano, de huius Simulacri cultu, 387 — de eius origine, 389 — notitiae historicae, 392 — de *celebritate Archetypi* huius Simulacri, 395.

Solemnitas, vide *Indulgentia.*

Statuae ex charta crassa ad ornamentum inservientes *hinc inde Altaris principis,* etsi in eo Sacramentum asservetur, poni possunt, 114.

Stearina, vide *Candelae.*

Subdiaconus, vide *Inclinationes.*

Suffragia Sanctorum, commem. Crucis *omittenda est in Off. votivo de Euch.* si tempore paschali recitetur, 265, 268 — vide *Titularis, Commemoratio, Octava.*

Suspensio, decretum S. C. Episcoporum et Regularium *circa suspensionis remotionem,* 244.

Symbolum, vide *Festa.*

T

Tabellae Secretarum, — de istis tabellis in altari, 41.

Tabernaculum, ex individuali devotione aperiri non debet, 709.

Tantum ergo iterandum est *post Vesperas de Oct. Corporis Christi,* 374 — reprobatur usus *de exponendo Sacramento* post ultimum Vesperarum psalmum, 375 — post has Vesperas et ante benedictionem *omittenda est antiphona finalis,* 376.

Tegumentum altaris, de altaris tegumento, 116.

Templum, vide *Altare.*

Thurificatio, de thurificationis ordine ad Vesperas, 179 — thurificatio facienda est in Vesperis *etiamsi solus Celebrans paratus sit absque* ministris, 264, 267 — de *verba distribuendi ratione* in thurificatione ad Missam, casus, 665 — quid thus, 666 — thurificandi altaris consuetudo in Missarum solemniis *ab apostolica traditione derivat, ibid.* — *quomodo distribuenda verba* in thurificatione altaris, 670 — in Reliquiis thurificandis *silendum est,* 672 — quid *de consuetudine et rationibus allatis* prout in casu, 678.

Thus Sacramento adolendum est *tantum ante Expositionem,* 63 — vide *Thurificatio.*

Titularis, Sacerdotes coadiutores Parochi ut in casu functiones exercentes *tenentur ad festa Titularis et Dedicationis,* 42 — explanantur difficultates, 44 — de Suffragio Titularis *in Eccl. privata,* 55 — de Titulari *Eccl. Cathedr. Burgensis.* decretum S. R. C., 271 — de Titularis commem. in Suffragiis pro Seminariis, 315 — de *Sanctis Sociis Patroni vel Titularis,* 451, 457, 487 — de Decreto super Titularium festis *in decretorum Collectione non inserto,* 497 — vide *Patronus, Commemoratio.*

Translatio, de festorum translatione, casus, 195 — de *Generalibus Regulis Translationis* iuxta Tit. X. Rubricarum Brev. Rom., 197 — nonnullae exceptiones, 201 — de Rubricae VII. Tit. X. interpretatione, 203 — quo-

modo nunc post Decretum *Iamdudum super primariis et secundariis festis,* eadem Rubrica intelligenda sit, 205 — utrum *vere Calendarii redactor erraverit* ut in casu, 207 — quid Translatio, 483 — in Translatione *duo termini* considerari possunt, *ibid.* — quaenam *accidentalis,* quaenam *perpetua,* 485 — vide *Festa primaria, Festa impedita, Indulgentia, Assignatio.*

V

Velocipede, vide *Rota.*

Velum humerale, Subdiaconus allaturus in Missa Pontificali ex credentia ante Episcopum *sandalia et caligas super bacili,* velo humerali uti potest, 225.

Venite exultemus, utrum in choro ad Ps. *Venite* recitandum in 3.° Noct. festi Epiph. Dñi, omnes Canonici *capitibus detectis stare teneantur,* 328.

Versus, de versibus et orationibus post *Te Deum,* 220 — de versiculis « *Qui venturus es* » aut « *Qui natus es* » dicendis ad *Primam* in Dominica Adv. casus, 274 — versus *post Capitulum Horarum* dicendi quare dicuntur *Responsoria brevia,* 275 — *Regulae generales* quae *vi Rubricarum* dirigunt recitationem et mutationem versus ad *Primam,* 276 — in Dom. Adv. infra Oct. Imm. Conc. Deiparae, *versus ad Primam dicendus* est « *Qui natus* » 279 — Versus « *Qui venturus* » censendus in casu de tempore et de die, de hoc tamen magis quam de illo, 279 — inspectis Rubricis concludendum est *in Domin. infra Oct. Imm. Conc.* dicendum esse versum « *Qui natus* », 281 — confirmatur conclusio *doctorum liturgicorum auctoritate,* 283 — obscuritatem quamdam in dictam sententiam proiciiunt, quae in oppositum afferuntur, 285.

Vesperae, de duorum officiorum concursu ritus semid. *eiusdem aut diversi ordinis,* 47 — de duorum officiorum votivorum *eiusdem ritus* concursu, *ibid.* — quomodo ordinandae Vesperae *in concurs. duorum officiorum voti-*

vorum ad libitum, aut ex quibus alterum *festivum,* alterum *votivum eiusdem ritus,* 50 — festum semid. dignius indubie est *quocumque officio votivo etsi superioris dignitatis,* 51 — quomodo ordinandae *in concursu Tituli Eccl. et Patroni provinciae* pro Regularibus, 620 — vide *Octava, Praelatio.*

Vestis obscura, non videtur tolerandus *usus vestis obscurae* in baptizando, 62.

Vigilia, quando in Pent. Vig. *Officium Sancti ad instar Simplicis redigendum occurrit,* legenda est eius nona lectio sicut ante Rubricarum reformationem, 265, 269 — quoties in diem 20 Decembris simul incidunt *Vig. S. Thomae Ap.* et *fer. IV Temporum,* in fine Missae *Evangelium Vigiliae est legendum,* 265, 270 — de vigiliis pro Ecclesiae consecratione, 692.

Vincula B. Petri Ap., de templo B. Petri Vinculis dicatum historia, 513 — Vinculorum notitiae historicae, 518 — cultus praestitus est Vinculis *iam ab antiquissimo tempore,* 520 — de parvis Clavibus, quae magnis viribus mittebantur et quae *devotionis causa ad collum ligatae* portabantur, 521 — de Vinculorum *miraculis,* 526 — de Catenarum *forma,* 527 — de loco in quo asservantur, *ibid.*

Virgo Lauretana, de extensione Patronatus Virginis Lauretanae, 499.

Visitatio B. M. V., de Eius octava vide *Festum.*

Proprietas literaria

Superiorum permissu.

Romae, Philippus Cuggiani. — Typ. a Pace, an. 1895.